

12-18-'84.

HOMO CHRISTIANUS

IN SUA LEGE INSTITUTUS.

SIVE

DISCURSUS MORALES

QUIBUS

TOTUM HOMINIS CHRISTIANI OFFICIUM EXPLICATUR;

Quídque is fugere, quid agere debeat, quàm exactissimè traditur.

AUTHORE

R. P. PAULO SEGNERI

SOCIETATIS JESU.

Liber & Pastoribus Animarum summè utilis, & privatæ Cujuslibet lectioni apprimè deserviens.

Editio quinta Latina, priore multò emendatior & exauctior.

Additæ, præter Indicem Rerum, Tabulæ,

Quæ docent, quis quolibet Dominico, aut Festo per annum die Discursus ad dicendum pro Concione serviat.

PARS SECUNDA.

Cum Gratia & Privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis, & Facultate Superiorum.



AUGUSTÆ Vindelicorum & DILINGÆ,

Sumptibus JOANNIS CASPARI BENCARD, Viduæ & Consort.

ANNO MDCCXXXVII.



INDEX
Discursuum Partis secundæ.

DISCURSUS I.

De injuria, quæ Deo per Peccatum mortale infertur.

UT accurata intimorum etiam viscerum peccati mortalis anatomia fiat, ostenditur inprimis illud verè esse injuriam DEI per se, & non tantùm comparatione facta: est autem injuria semper facta in oculis ipsius offensi: injuria facta ob bonum momenti nullius: Hæc autem est qualitas, modus, ac finis, quibus Monstrum tam abominandum constituitur.

DISCURSUS II.

Ex summa divini in nos Dominii Excellentiâ infertur, quàm gravè sit Peccatum lethale.

Cùm perfectissimum sit DEI in nostrùm quemlibet Dominium, ut Creator, ut Redemptor, & ut DEUS est, non potest non esse malum inexplicabile illud Peccatum, quod actu unico omnes hos in eo titulos contemnit. Discursus tamen iste ultra duos primos titulos non progreditur.

DISCURSUS III.

Tertius Dominii divini Titulus jam indicatus explicatur, qui fundatur in excellentia divinæ naturæ; & ex eo Peccati lethalis enormitas colligitur.

Cùm nos in Terris divinæ Naturæ excellentiam aliundè, quàm ex magnis ejus effectis cognoscere non possimus, potestatem ejus ac vim miratur Orator, primò considerando opera, quæ produxit, deinde illa, quæ producere potuisset: ut inde deducat; quàm immanis sit audacia, rebellem esse adversùs Omnipotentem.

DISCURSUS IV.

Demonstratur singularis injuria, quam peccatum infert Mysterio Sanctissimæ Trinitatis.

Cùm hoc arcanissimum Mysterium consistat in Unitate Essentiæ, & Trinitate Personarum, ostenditur, quâ ratione peccatum superbè lædat hanc Unitatem, dum vult tollere Deo, ne sit Unicus: Trinitatem verò, dum omne Peccatum offendit Patris Potentiam, Filii Sapientiam, Spiritûs S. Bonitatem, quæ SS. his Personis attribuuntur.

DISCURSUS V.

De injuria, quam Peccatum infert beneficio Incarnationis.

Etsi DEI Filius, dum humanam naturam induit, id præcipuè spectârit, ut nobis fieret Via Exemplô, Veritas doctrinâ, Vita Redemptione à culpa; homo tamen, qui peccat, nihil minus cavet, quàm ne omnibus his tribus Incarnationis finibus se opponat.

DI-

DISCURSUS XIII.

Jactura omnium bonorum Operum demonſtrat, quam grave malum ſit peccatum.

Cùm peccatum duplici modo bonis operibus noceat, imprimis illis, quæ in gratia exercita ſunt ante admiſſum Peccatum; deinde iis, quæ fiunt in ſtatu Peccati, proponuntur omnium oculis, formidandæ iſtæ ſtrages, ut nemo non perſequatur Feram peſſimam, quæ toto paſſim Mundo tales ſtrages edit.

DISCURSUS XIV.

Peccatum facit, ut quæ Peccatoribus vel ſecunda, vel adverſa accidunt, evadant materiâ damnationis.

Peccatum eſſe ordinis totius Univerſi perturbatorem: cùm enim bonus ordo in eo conſiſtat, ut & proſperis quæ DEUS mittit, & adverſis rectè utamur, Peccatum adverſa non minùs quàm proſpera à ſuis finibus abducit.

DISCURSUS XV.

Pœna Angelorum Peccati lethalis gravitatem demonſtrat.

Ut ex ruina innumerabilium Angelorum, Cœlo ejectorum, tantò vehementiùs terrefiat homo vilis; primò tota illorum lapsûs cauſa examinatur; afferuntur, quæ pro ipſis faciunt; & cùm nihil horum potuerit impetrare ne quidem mitiorem pœnam, tantum abeſt, ut veniam, deducitur, quid tandem mali debeat, eſſe Peccatum.

DISCURSUS XVI.

Adami pœna Peccati lethalis gravitatem manifeſtat.

Cùm nulla Juſtitia ſit magis formidanda, quàm quæ nullo diſcrimine etiam potentiſſimum quémque ad pœnas vocat, ob oculos ponitur, qualisnam illa fuerit, quâ DEUS ne tanto quidem Regi, quantus erat Adamus, pepercit; cujus dum primò Regnum, poſtea præcepti violatio, ac denique pœna perpenditur, inde infertur, qualis ergo juſtitia, ſeu vindicta noſtris reſpondeat Peccatis, ſi talis reſpondit Peccato ipſius.

DISCURSUS XVII.

Judicium extremum & Univerſale gravitatem Peccati mortalis demonſtrat.

Si omnis publica vindicta, quàm de Peccatoribus DEUS ſumpſit, eſt certum argumentum divini contra peccatum odii, negari non poteſt, quin tunc omnium maximam viſuri ſimus, quando poſt prævias quaſi velitationes tandem ſequetur ultimum & decretorium prælium, cujus interim deſcribitur primò quidem initium & aggreſſio, dum deſcendit ad Judicium DEUS; dein pugna in diſcuſſione conſcientiarum manifeſtarum; & tandem victoria ac clades in ipſa Judicis ſupremi ſententiâ.

DISCURSUS XVIII.

Inferni ſupplicia Peccati lethalis gravitatem manifeſtant.

Quoniam omnes Inferorum pœnæ ad duas reducuntur, ad pœnam nimirum damni, & ad pœnam ſenſûs, oſten-

stenditur, ex quot capitibus utraque quasi contendat magis formidandam reddere illam Damnationis Abyssum. Nihilominus necessariò hinc conficitur magis timendum esse Peccatum, ad quod vindicandum utraque hæc pœna ordinatur.

DISCURSUS XIX.

Differitur de magnitudine Beatitudinis Cœlestis & inde Peccati gravitas colligitur

Ad contemplandam velut è longinquo Beatitudinem triplici aspectu consideratur imprimis is, qui Beatos facit, dein Beati ipsi, ac tertiò ipsa Beatitudo: & inde arguitur, quàm immane sit furtum peccati, quod Animas Cœlo, & Cœlum Animabus furatur.

DISCURSUS XX.

Etiam Purgatorii Pœnæ ostendunt, quantum malum sit Peccatum.

Pœnas Purgatorii fortassis magis manifestare malitiam Peccati, quàm illam manifestent ipsæ pœnæ Inferni: illarum autem atrocitas deducitur ex duplicis generis flammis, quæ animas ibi ardentes purgant: ex flammis nimirum ignis, & ex flammis amoris ipsarum animarum.

DISCURSUS XXI.

Passio Christi manifestat gravitatem malitiæ Peccati.


Quia Passio Christi fuit quasi Diluvium pœnarum, quo Divina Justitia atrociùs voluit punire Peccatum, quàm puniverit Diluvio illo Noëtico aquarum, notatur proportio inter fontes utriusque Diluvii, ut inde colligatur, quantum malum sit illud Peccatum, quod utrumque aperuit, eousque donec primo Diluvio mergeretur totum genus humanum, altero verò ipse Deus.

DISCURSUS XXII.

Ex malitia Peccati venialis infertur summa malitia Peccati mortalis.

Ut emendetur error, qui ex nominibus nascitur, demonstratur Peccatum veniale non esse veniale, parvum non esse parvum, & leve non esse leve eo in sensu, in quo id accipiunt ignorantes; nimirum in absoluto, sed tantùm in comparativo, prout comparatur cum Peccato mortali, cujus tandem malitia quanta sit, deducitur, si vel venialis Peccati malitia tanta est, in se, in suis effectibus, & in suis pœnis.

* * *



DISCUR-



DISCURSUS I.

DE INJURIA, QUÆ DEO PER PECCATUM MORTALE INFERTUR.

I. Eidem superat, quod fasti Romani de Nerone referunt, quo nullum atrocius in terris monstrum sol unquam aspexit; à quo cùm propria occisa fuisset mater, patria flammis devastata, totúmque Imperium innocuo sanguine inundatum nihilominùs non defuit, qui non mortuum tanquam DEum adoraret, eique vota & victimas, velut bono & benefico Principi offerret, cùm tamen Tyrannus fuerit perniciosissimus. Verùm video quidpiam in mundo multò magis stupendum; peccatum scilicet, omnium monstrorum monstrosissimum, quod, postquam animam peremit, à qua generatum est; postquam terram infecit, in qua natum est; postquam omnes humanas, Divinásque leges invertit, non solùm ab innumeris plus quàm DEUM ipsum coli, sed quod amplius est, in ejus cultum maximos impendi sumptus: pro illo enim miseri non verentur æternis se ipsos inferorum suppliciis sacrificare. Optarem itaque, tantas mihi esse vires, ut abominabile hoc idolum ab aris deturbare possem; ita ut saltem nemo ex Auditoribus meis imposterum ampliùs ipsi genua curvaret. Multum veritatis efficaciæ, & virtuti confido; sed non absque attentionis vestræ auxilio: quare vos etiam atque etiam rogo, ut eam magis, quàm unquam, renovetis; nec solùm hodie, sed pro omnibus de hac materia Discursibus à me habendis. Peccatum secundùm omnes suas partes expendemus. Primò, quale sit in seipso; deinde perniciosos ejus effectus, ut ad vivum omnino depingamus; quid sit, hoc est, omnium possibilium malorum maximum. Hac vice peccatum considerabimus tanquam DEI injuriam, tres hósce malitiæ gradus in illo examinaturi: talis injuriæ qualitatem; modum, quo infertur; finem, quo homo ad illam DEO inferendam inducitur.

II. Inprimis verò, ne errore aliquo teneamini, necesse est à me differentiam peccati mortalis ab aliis culpis edoceri, quæ non inferunt mortem animæ. Peccatum mortale igitur est illâ offensio, quâ DEUS notabili irreverentiâ & contemptu afficitur, aut proximo, aut sibi ipsi notabile damnum & præjudicium infertur. Quare illa peccata, quæ communiter mor-

S. Thom. 1. 2. q. 48. art. 4. mortalia vocantur, & quorum sunt septem, potiùs peccata capitalia appellari debent; non enim semper sunt peccata gravia, sed origines sunt, è quibus aliæ culpæ innumerabiles scaturiunt.

III. Hoc posito, ut prudenter procedamus, necesse est, ut consilium Tobiæ ab Angelo datum sequamur. Descenderat bonus Adolescens in fluvium Tigrim, ut suos lavaret pedes, cùm ecce enormis magnitudinis piscis illum devoraturus prosilit: sed ne timeas, inquit Angelus Dux itineris illius, ne timeas: macte animo, manus brachiis injicito, & in terram protracto, palpitantíque viscera eximito; quæ postea in variis casibus velut præstantissima pharmaca erunt usui. *Tunc dixit*
Tob. 6. 5. *ei Angelus: exentera hunc piscem, & cor ejus & fel, & jecur repone tibi: sunt enim hæc necessaria ad medicamenta utiliter.* Hic igitur piscis in aquis absconditus, qui se loturos devoraturus invadit, peccatum est, quod voluptatum in aquis delitescens devorat incautos illos, qui absque ulla consideratione iis se immergunt; quare extrahamus illud ex his undis in planitiem, id est, ab omni delectatione separatum expendamus: viscera ejus eximamus; hoc est non à foris insipientium instar aspiciamus oculis; sed internam & enormem ejus penetremus malitiam; videbimus, quantum utilitas ab hoc tam bono consilio hausturi simus.

I.

IV. Quid rei est igitur peccatum? Est injuria, quæ à cretura altissimæ DEI Majestati infertur: ideóque est omnium miseriarum maxima, est deformitatis abyssus absque fundo, est pelagus iniquitatis absque littore; est enim malum, quod quodammodo DEUM aggreditur, honorem ejus feriens. Non existimabo vos credere, hæc à me per auxesin dicta esse; cùm sint ipsissima veritas; ideóque & auctoritate & rationibus expressissimè à me confirmabuntur. Primò Theologi affirmant, peccare nihil esse aliud, quàm DEO terga vertere, faciémque ad creaturam convertere; quod fieri non potest, quin maxima & manifestissima DEO inferatur injuria. Insu- S. Th. 1.
per Sacræ litteræ communiter peccati 2. q. 87.
gravitatem his contemptûs terminis ex- art. 4.
plicant, ita in Ezechiële cap. 5. legimus, ubi dicendum esset: Pecca- Ezech.
tor infregit omnia mandata mea, di- 5. 6.
xisse DEUM: *Contempsit judicia mea.* In Ecclesiastico cap. 49. ubi dicendum esset, Peccatores omnem DEI timorem amiserunt, inquit: *Contem-* Eccl. 49.
pserunt timorem DEI. Per Isaiam 6.
quoque 1. c. ubi dicendum esset, quòd peccatores Patri suo cœlesti non obediant, ait: *filios enutrivi & exalta-* Isa. 1. 1.
vi, ipsi autem spreverunt me. Ita quoque ore Sapientis lamentatur: *despe-* Prov. 1.
xistis omnes consilium meum, & increpa- 25.
tiones meas neglexistis. Eodem modo ore Sancti Pauli queritur, divitias bonitatis suæ contemni ab illis, qui post impetratam veniam de novo peccant: *divitias bonitatis ejus contemnunt*: imò his ipsis relapsibus Filium DEI tanquam rem totius Mundi abjectissimam non solùm contemni, sed pedibus

Heb. 10. bus conculcari. *Qui Filium DEI conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit.* In hunc modum pluribus in locis Sacræ loquuntur Litteræ, quæ omnia nimis longum foret adducere.

V. Hæc ipsa veritas ratione declaratur. Fieri potest, ut aliquis legem humanam transgrediatur, ut tamen Principem, à quo lata est, nullâ afficiat injuriâ: fortè enim Princeps eam condendo legem, magis Subditorum commodi, quàm dignitatis suæ rationem habuit, at hic casus dari non potest, in lege DEI, utpote quam transgredi non possumus, quin maxima Divino Legislatori injuria inferatur, propter rationem oppositam; DEUS etiam legem ferre non potest, cujus ipse non sit finis ultimus, & in quâ principaliter rationem dignitatis suæ Divinæ personæ non habeat, quemadmodum clarissimè apparet in Levitico: Ubi qui condemnatur, quòd injustè Proximo suum neget depositum, qui calumniatur; rapit, litigat, aliáque in alterius perniciem mala perpetrat, non quasi contemptor Proximi, sed velut Divinæ Majestatis injurius condemnatur. *Anima quæ peccaverit, & contempto Domino negaverit proximo suo depositum*, atque alia, quæ ad longum sequuntur, *reddet omnia*, &c. Ita ut omnino impossibile sit peccare, nec illo ipso tempore DEUM injuriâ non afficere. *Per Prævaricationem legis DEUM inhonoras:* inquit Spiritus Sanctus. O peccatores! nolite putare, vos, dum Legem Divinam transgredimini, malum committere, comparandum joco; tali actu DEUM despicitis, à quo illa ipsa lex est lata: *DEUM inhonoras.* Considerate ergo quàm venenata malitiæ viscera hoc malignum peccati monstrum in se contineat! Et tamen necdum ad intimam peccati malitiam penetravimus. Et ut ita dicam, nondum è pectore cor evulsimus. Non enim solùm DEUM peccator contemnit, dum peccat, sed tanquam bonum aliquod creatum illum despicit, id quod extremè illius auget malitiam.

Anton. Perez. de incar. disp. 5.

Rom. 2. 23.

VI. O si modò intelligeretis, quid faciatis, cùm peccatum committitis, malletis potiùs non esse, quàm peccare! Propheta Oseas peccatorem, bilancem manu gerentem, nobis proponit. *In manu ejus statera dolosa*; quia Os. 12. 7.
cùm peccatum admittitur, unâ lance DEUS, altera creatura ponderatur, & qui peccat, practicè judicat, putridam creaturam majus esse bonum, quàm DEUM ipsum. Potéstne in mundo bilanx infidelior, injustior, detestabiliórque inveniri? Quod si inveniri non poterit, quis ergo non videt, nulli majorem posse fieri injuriam, quàm eam, quæ quotidie à peccatoribus DEO infertur? Solus absolutus contemptus esset immensa DEI injuria; quid ergo erit, si aliis comparetur? Si populus aliquis contra legitimum Dominum suum exsurgat, ut libertatem sibi afferat, aliquam excusationis umbram adducere potest; sed si jugum excutiat, non ut fruatur libertate, sed ut crudeli Tyranno se subjiciat, absque mensura crescit injuria, quâ tali perduellione prior Dominus afficitur. Vos ipsos etiam

quotidiana docet experientia, quantum affligamini, si plus quàm alii minorum meritorum despiciamini. Fingite animo aliquem consanguineorum vestrorum mori, omnésque facultates suas Ecclesiæ ex testamento consignare; ægrè fertis hoc vos emolumento privari, attamen æquò toleratis animo, quia testator facultates suas animæ suæ prodesse voluit. At si neque Ecclesiæ, neque vobis eas relinquat, sed extraneum hæredem instituat, imò etiam inimicum vestrum; id enim verò nullo modo ferendum putatis; sed minitamini hæredi, ac duplicatâ inimicitiâ litem intenditis; nimis enim durum vobis videtur, comparari cum homine extraneo, inimico, indigno, immerente, imò malè merito, nec ullâ meritorum vestrorum ratione habitâ illi postponi. O igitur abyssum malitiæ incredibilem, quæ sinu suo comprehendit quodcunque peccatum! non enim per illud contemnitur DEUS, sed etiam rebus vilissimis, & bonis nihili comparatus posthabetur.

VII. *Obstupescite Cœli super hoc, & portæ ejus desolamini vehementer*, inquit Dominus. Quasi diceret, obstupescite ò Cœli, omnésque Cœlorum incolæ! recedite ab illis portis, quasi personæ lugentes & extremè desolatæ. Et quæ est hæc tam insolita cum Beatis loquendi forma, ita ut, cùm non possit vera aliqua melancholia corda illorum penetrare, saltem apparentem admittant, pullis, ut ita dicam, induantur vestibus, ipsóque nuptiarum suarum tempore quantum possibile est, se abscondant? desolamini vehementer (pergit DEUS loqui) *Duo enim mala fecit populus meus:* primm est, quòd omnis boni fontem dereliquerit, *me dereliquerunt fontem aquæ vivæ:* Secundum est, quòd propter cisternas, in quibus nec aquæ gutta inveniri poterat, illum dereliquerit: *& foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* In hoc consistit DEUM esse summum bonum, ut omnibus mereatur præferri bonis, quæ non sunt DEUS. *Hic est DEUS noster, & non æstimabitur alius adversùs eum*; Summa enim DEI perfectio in hoc fundatur; in tali scilicet præeminentia & Divinæ essentiæ plenitudine infinitâ, quâ omni bono creato, non solùm actuali; sed etiam possibili anteferri meretur. *Non æstimabitur alius adversùs eum.* Et in hoc altissimum consistit obsequium, quod omnes Justi reddunt DEO. *Omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi?* Per ossa, inquit Sanctus Augustinus, intelliguntur Boni, qui firmam de Creatore solo habent æstimationem, adeò ut si millenos possent lucrari Mundos, ne minimum quidpiam ab eâ moverentur, tam bene nôrunt, quòd omnem superet comparationem. *Domine quis similis tibi?* Ad differentiam carnis, id est hominum carnalium, qui non solùm ista non pollent firmitate, sed ob quodvis leve motivum inducuntur, pluris æstimare creaturam, quàm DEUM. Quare satis explicari non potesti injuriæ hujus enormitas, quâ peccator Divinam Majestatem

Jerem. 21. 10.

Baruch. l. 3. 36.

In Ps. 34.

ſtatem afficit. Sola DEI, qui eſt omnia, cum creaturâ comparatio, quæ nihil eſt, talis eſt injuria, ut DEUS per Prophetam graviſſimè de eâ queratur: *Cui aſſimilâſti me & adæquâſti? dicit Sanctus.* Qui igitur erit, ſi non ſolùm Creatura DEO comparetur, ſed etiam haud diſſimulanter præferatur? Hoc eſt, quantum eſt ex parte peccatoris, Divinam ſuam DEO auferre naturam, quæ in hoc conſiſtit, ut ſit bonum incommutabile, ideóque dignum, ut infinities omnibus aliis bonis præferatur.

Iſa. 40. 25.

VIII. Quod ſi unquam ſtultè credidiſtis, hanc fæminam, ob quam peccâſtis, majori dignam eſſe amore, quàm ipſummet DEUM, an non veſtra in mente DEUM de throno ſuo deturbâſtis? quod ergo veritatem aliquam affirmando vel negando facit intellectus, idem voluntas volendo, & non volendo facit. Quare ſi voluntate DEO creaturam præfertis, ipſi aufertis hoc modo, quod auferri poteſt, hoc eſt, eſſentiam Divinam. Ita ut jam videatis[1], quid in veritate ſit peccare; peccare eſt cognoſcere creaturam in eſſentia ſua eſſe quid viliſſimum, in duratione quid breviſſimum, in voluptate quam præbet, quid turpiſſimum, & tamen dicere in corde ſuo: Nihil refert: parva illa, brevis & vilis hujus creaturæ voluptas pluris æſtimanda eſt quàm DEUS, ipſiúſque gratia. Quare potiùs paucis diebus hanc volo videre puellam, quàm DEUM in æternum aſpicere. Potiùs volo iſtius gaudere præſentiâ, etiamſi infinito tormento mihi conſtare debeat; quàm Divinâ frui poſſeſſione; etiamſi non alio labore, quàm paſſionis meæ edomatione illam obtinere poſſem. Hoc eſt in veritate, quod ſit, quotiescunque peccatum mortale committitur: Novus conſtituitur DEUS contra rigoroſam illam prohibitionem: *Non erit in te DEUS recens*, præcipitatóque, ut ita dicam, DEO è cordis arâ, in ejus locum vile ponitur Idolum, quale eſt, eſt, hæc fæmina, hoc argentum, iſta nominis æſtimatio, aliúdque quodcunque ſimile bonum terrenum; quod à nobis pluris quàm Divina voluntas æſtimatur, & tanquam ultimus noſter finis conſtituitur; in cujus gratiam & honorem non agnum aliquem, aut bovem, ſed propriam animam ſacrificamus, ideóque æternis ignibus cruciandam. *Unusquisque quod cupit & veneratur*, inquit S. Hieronymus, *hoc illi DEUS eſt.*

S. Thom. 1. 2. q. 14. ar. 2.

Pſal. 10. 10.

In Pſ. 80.

IX. Creditíſne vos poſſe plenè intelligere, quàm gravis ſit talis injuria? Non eſt poſſibile, Chariſſimi mei, non eſt poſſibile, DEUS ſolus hanc abyſſum cognoſcere poteſt. Adeóque juſtiſſimus titulus, qui peccato dari poſſit, eſt ille, quo à Propheta inſignitum eſt, quando illud occultum vocavit. *Ab occultis meis munda me.* Hoc enim omni peccato eſſentialiter proprium eſt, non ſolùm eſſe incognitum, ſed etiam à nullo alio intellectu eſſe cognoſcibile, quàm ab intellectu Divino. DEUS ſolus quemadmodum ſupremæ ſuæ eſſentiæ perfectionem comprehendit, ita perfectiſſimè intelligit, quantum ſit malum,

Pſal 18. 13.

 illi

illi viliſſimam aliquam præferre creaturam. Quare vos non tantùm milleſimam mali hujus, quod peccando committitis, partem non cognoſcitis, ſed neque omnes Cherubini & Seraphini ſimul illud capere poterunt. Imò quod ampliùs eſt, ne quidem Sanctiſſima DEI Mater, quæ tamen Divinâ ſapientiâ tam plena eſt, ut quæ meruit illam totam ſinu ſuo recipere, illud cognitione aſſequitur. Atque hoc eſt veriſſimum. Hæc cognitio ſoli reſervatur DEO. Poteſt igitur aliquo modo dici, tam grande malum eſſe peccatum, quàm grande bonum eſt DEUS; quia ſicut DEUS eſt bonum infinitum, ineffabile, incomprehenſibile, ita peccatum eſt malum incomprehenſibile, ineffabile, ſuo modo infinitum. *Peccatum habet quamdam infinitatem ex infinitate Divinæ Majeſtatis:* inquit S. Thomas.

S. Th. 3. p. q. 1. ar. 2, ad 2.

II.

X. Verùm quod adhuc pejus eſt, hæc injuria non tantùm DEO infertur, ſed ante ipſiúſmet oculos & in Divino ejus conſpectu committitur; ita ut non ſolùm qualitas offenſæ, ſed etiam offendendi modus ſummopere altiſſimæ Majeſtatis deſpectum augeat. Quæ differentia eſt inter furem & latronem? Profectò maxima eſt; licèt enim uterque iiſdem rebus ſuis hominem ſpoliet; nihilominus non eandem illi adfert injuriam. Fur clam domum intrat, atque adeò quemdam reſpectum & timorem erga perſonam noſtram oſtendit. Sed latro in aperto campo, publicè, violenter & pleno die nos ſpoliat, rapinæque manifeſtâ ſuâ violentiâ in notabiles conjicit anguſtias. Si ergo peccator, fur ille nocturnus, poſſet ſe coràm oculis DEI abſcondere; illique clam honorem ſuum furari, quem deprædatur, quis dubitat injuriam DEO hac iniquitate illatam multùm diminui? Sed hoc ſperari non poteſt. Oculi DEI plus vident ipſius Solis oculis, ut nuper vobis dixi. *Oculi Domini lucidiores ſunt ſuper ſolem.* Sed quare plus vident? quia licèt Sol ſit luminoſus, non ideo aſpectu ſuo corpora opaca, quemadmodum DEUS, penetrare poteſt, & in ſui opprobrium in unâ Mundi parte noctem neceſſe eſt regnare permittat, dum ille in altera claro die dominatur. Et hoc ipſum eſt, de quo tantopere dolebat Rex David, conſiderans ſe non ſolùm peccando contempſiſſe DEUM. *Tibi ſoli peccavi*, ſed etiam illum in præſentiâ ſuâ deſpexiſſe, *& malum coram te feci*, & hoc ipſum nihilominus tam parùm iniquorum commovet animos.

Eccl. 23 28.

Pſ. 50. 5

XI. Præterea animadvertendum eſt. Peccatores à DEO non ſolùm ut teſte, ſed etiam velut à Judice obſervati. Licèt etiam poſt peccatum DEUS nos nollet punire, an non ſolum timorem nobis incutere deberet, ſcire nos peccantes ab illo videri? Sanctus Gregorius Nazianzenus refert, protervam quamdam mulierem, cùm domum aliquam ingreſſa eſſet, quæſtum corpore factura, aſpectâ Polæmonis Pudici Philoſophi effigie, quaſi qui eam ſevero, & ſerio vultu intueretur, quamprimum attonitam abiviſſe, nec ſcelus auſam fuiſſe perpetrare. Quod

In Carmin.

ſi

ſi igitur DEUS aliud non faceret, quàm nos intueri, an non incomprehenſibilis Majeſtatis illius præſentia ſufficiens eſſe deberet, ut nos à peccato deterreret? Quantumcunque libido à tentatione jam accenſa fuerit, non credo aliquem fore tam impudentem, ut in pleno populo, locóque publico eidem ſatisfacere audeat, quamvis ob id ulla ſubeunda foret pœna. Quomodo ergo in præſentia DEI audet ſuæ ſatisfacere libidini? an non plùs eſt, in DEI conſpectu peccare, quàm in totius mundi facie? neceſſe foret igitur, ut peccator, antequam horribile hoc monſtrum in animâ conceptum in lucem edat, locum aliquem ſubterraneum & ſolitarium quærat, quem DEI oculus penetrare non valeat. Quanta enim aliàs veſtra erit confuſio, comparere coram DEO, reprehendíque, talia in oculis illius auſos eſſe facinora, quæ ob ſolum pudorem ante oculos meos nunquam commiſiſſetis? *Tunc audeas illo præſente, quod me præſente non auderes?* Antigonus Rex audiens quoſdam milites contra ſe murmurare, aperto nonnihil tentorio, in quo erat, caput protulit, magnáque cum animi tranquillitate illis dixit: recedite parum, ne Rex vos audiat. Sic peccatores admonendi eſſent temeritatis ſuæ, qui blaſphemant, cùm DEUS illos audit; qui turpiſſimas comittunt abominationes, dum à DEO videntur. Recedite parumper, reſpicite ſaltem DEUM veſtrum, locum quærite, in quo vos non conſpiciat: quodſi hoc fieri non poſſit; quomodo ergo peccare audebitis, nec ſolùm illi honorem auferre, quaſi indormiêrit, velut fures, ſed etiam apertè latronum inſtar? Totum hoc perpendendum eſſet, licèt tantùm pravitatis noſtræ teſtis eſſet DEUS. Quanta igitur major illius habenda eſſet ratio, cùm inſuper peccati condemnati Judex ſit implacabilis, & à quo non datur appellatio.

[margin: ...en. l. 4. ...e ira. ... 22.]

XII. Novit Ars pingere militem, arcum adductum manu tenentem, tali habitu corporis, ut à quacunque parte illum aſpiciatis, vos ferire videatur. Talis omninò eſt ille, quo in veritate peccatorum malitiam DEUS intuetur; eodem ſemper ferire minitantis habitu illam aſpicit. Nihilominus Peccatores minùs timent DEUM, quàm ſimilem inanimem picturam; hinc eſt quòd alacriter peccata committant, nec de commiſſis multùm angantur. Plures beſtiæ ipſis in hoc multò ſunt prudentiores. Leo timens Venatorum perſecutionem, veſtigia ſua in arenâ relicta delet: Urſus ſpecum ſuam retrogradis intrat unguibus, quaſi egreſſus & non ingreſſus eſſet. Ipſi etiam lepores variis nunc huc, nunc illuc libratis ſaltibus inſequentes ſe ſtudent deludere. Solus peccator omni beſtiâ ſtolidior non ſolùm veſtigia peſſima culpis ſuis impreſſa non deſtruit, ob timorem, ne illis à DEO deprehenſis pœnæ ſubjiciatur; ſed inſuper ſuperbè illa oſtentat, deprædicat, jactat, de iiſque intolerabili audaciâ gloriatur. Quidam Gentiles, ut refert Sanctus Cyrillus, ſolem adorabant; quia nocte jam ingruente credebant ſe liberè peccare poſſe; cùm à DEO ſuo non vide-

[margin: Cyrill. Hieroſ. Catech. 4.]

viderentur. *Alii ſolem quidem ponebant DEUM, ut occidente ſole noctis tempore ſine DEO eſſent.* Si Chriſtiani ſimilem adorent DEUM, cauſam caperem, ob quam intra noctis tenebras tam diſſolutè viverent; ſed quia DEUM colunt, qui totus oculus eſt, coram quo ipſæ tenebræ lux ſunt, cauſam temeritatis illorum non intelligo.

XIII. Et hoc optarem ſingulariter ab illis obſervari, qui ex verecundia neſcio, an naturali dicam, aut diabolicâ, peccata graviora Confeſſario non audent manifeſtare. Timetiſne, ne homo aliquis id de vobis cognoſcat, quod jam novit ipſe DEUS? Cùm peccatum veſtrum jam DEO conſtet, quomodo illud abſconditum putare po-
16. *Jun.* teſtis? Surius in vita Sanctæ Ludgardis recenſet, Adoleſcentem quemdam, neſcio, quàm brutale in occulto commiſiſſe peccatum, cujus eum tantopere puduit, ut confiteri auſus non fuerit. Quodam igitur die miſer obvium habuit virum peregrinum, qui illius advertens triſtitiam, ſubſtitit, eique dixit, ut ad obtinendam peccati veniam, quò potiſſimùm affligeretur, ex charitate ſibi caput lavaret; conſenſit Adoleſcens, inſolito prorſus operæ ſuæ pretio. Cùm enim ad hoc charitatis officium adimplendum accinctus ſtaret, longiores peregrini elevans capillos lucidiſſimum in vertice oculum reperit, exclamátque: O miraculum! quis unquam hominem vidit, in cujus capitis ſummitate fuerit inventus oculus? Ita eſt, reſpondit peregrinus: & hic oculus nunquam viſus, eſt ille ipſe, qui te peccantem aſpexit: quo dicto diſparuit, ſuúmque benefactorem totum compunctum, & ad crimen abſconditum ſalutari Confeſſione expiandum commotum reliquit.

XIV. Sed revertamur jam ad nos. Quis negare poteſt peccatoris temeritatem absque menſurâ creſcere, qui non ſolùm DEUM injuriâ afficit, ſed hoc audet in ipſius præſentiâ, qui ſe omnis iniquitatis & teſtem, & Judicem eſſe declarat? *Ego ſum Judex & teſtis dicit Dominus.* Quis enim un- *Jerem.* 29. 32.
quam legem in præſentia Latoris auſus eſt infringere? Quis unquam in Monarchæ ſui conſpectu conjurationem ordiri attentavit: *Excuſatione caret, qui facinus ipſo judice teſte committit:* inquit Petrus Chryſologus. Profectò ſi Divina Majeſtas ſe poſſet infinitarum ſuarum prærogativarum aliquâ privare, auſim quaſi dicere, illam ſe immenſitate ſua ſpoliaturam, ne tantis injuriis, quæ ſibi à peccatoribus continuò innotantur, præſens adeſſe cogeretur. Quare in pluribus Scripturæ locis acerbè queritur de hac injuriæ gravitate, quam patitur ab iis, quicunque in Divino conſpectu ſuo peccant; & de hac ipsâ circumſtantiâ veri pœnitentes vehementer compunguntur; in quorum perſonâ, ut ſuprà dixi, inconſolabiliter lamentabatur Propheta David, háncque injuriam DEO illatam deplorabat, quando ingemuit: *Et malum coram te feci.* Verùm ut paucis dicam, Peccatores *neſciunt quid faciunt.* Ideóque tanquam cœci lucem illam non aſpiciunt, quæ cùm immenſa ſit, in quovis loco illis præſens eſt.

III.

III.

XV. Utinam saltem ob magnam aliquam utilitatem capiendam tantâ peccator DEUM afficeret injuria, tam in qualitate, quàm in modo; qualitate, DEUM non tantùm absoluto, sed comparativo, ut vidimus, despectu contemnendo; & in modo, in præsentiâ illius peccando. Sed hoc est, quod extremam peccati complet malitiam, etiam ob finem & rem nauci illud committi. DEUS tanto honore dignus est, ut propter maximum, qualecunque illud sit, Mundi bonum à nobis vilipendi non debeat, ita ut si per impossibile levi peccato parem illi, quâ gaudet DEUS, felicitatem assequi possetis, liberè illi renunciandum esset, ne tam magnum Dominum offenderetis: minima enim Creatoris gloria pluris æstimanda est, quàm immensa omnium creaturarum felicitas. Diabolus ore serpentis Adamo & Evæ; divinitatem promisit, si pomo prohibito vescerentur. *Et eritis sicut Dii scientes bonum & malum.* Sed fingite animo, Dæmonem verum ipsis promisisse; Dico vobis, si non fuissent stulti, non debuisse consensum præbere, ut DEI mandatum transgrederentur, ob tam grande emolumentum, quo DEO similes fierent; hoc est, ut absque illo beati forent, sibique ipsis in omnibus bonis sufficientes; minus enim DEI malum rectæ justitiæ lanci impositum, omnibus infinitis nostris bonis longè præponderat. Etjam quidem videte, quomodo in simili casu Sanctissima Virgo processerit. Adest Archangelus Sanctus Gabriël felicissima illa apportans nova, eum à DEO in Matrem electam esse, & consequenter totius Mundi Imperatricem, omniúmque purarum creaturarum Principem. Dignitas Matris DEI inquit sanctus Thomas, est tam excelsa, ut DEUS ipse majorem non possit condere dignitatem. Sicut enim nihil majus potest esse DEO, sic inter creaturas non potest esse major eminentia, quàm esse Matrem DEI, haberéque à se illum dependentem, qui à nullo alio dependet. Nihilominus quia magnus ille Divinæ Maternitatis titulus sub terminis adumbrationis alicujus Sanctissimæ Virgini oblatus fuit, ita ut ab Angelo Matrem dici, perpetuæ virginitati, quam DEO promiserat, præjudicare posset, levis hæc suspicio, aut ut meliùs dicam, sola culpæ alicujus umbra tanto eam implevit horrore: *Turbata est in sermone ejus*, illíque persuasit hunc Divinæ Maternitatis titulum absque maturâ consultatione non acceptare. *Cogitabat qualis esset ista salutatio*, nec antequam plenam istius rei haberet informationem; quam hísce omnino clarissimis verbis petîit: *quomodo fiet istud?* O miserabilissimam ergo hominum cæcitatem! qui non horrent DEUM ob rem nihili offendere, cùm ne quidem propter thesaurum infinitum ejus gratia amittenda esset. Si Puellæ alicui dignitas Matris DEI offerretur tantùm ut immodesto cuidam aspectui consentiret, non deberet illam acceptare: sed ipsa meretricis acceptat infamiam, non immodesto alicui aspectui, sed cuivis impuræ turpitudini assensum præbendo! Si Adolescenti offer-

Gen. 3. 5.

1. p. q. 25. ar. 6.

offerretur, fore eum tam divitem, tam honoratum, támque beatum, quantum eſt ipſe DEUS, ſi tantùm verbo minùs pudico delectaretur, optionem hanc renuere deberet; & tamen non renuit eſſe Diabolus, ſolùm ut turpi ſuæ libidini ſatisfacere poſſit.

XVI. Quis ergo comprehendere poteſt, quouſque peccatoris creſcat injuria, ſiquidem DEUM infinitâ dignum æſtimatione, tam parvi facit? Si injuria eſt perſonæ dignæ indigna tractatio, quæ major illâ poteſt eſſe injuria, quæ irrogatur DEO Creatori noſtro, cùm immenſa ejus & incomprehenſibilis Majeſtas tam indignis tractatur modis, quaſi totius Mundi res eſſet viliſſima? Audite quomodo per Prophetam lamentetur. *Violabant me propter pugillum hordei, & fragmen panis.* Ezech. 13. 19. Propter unum hordei pugnum, propter fruſtum panis audent peccatores horribile committere Deicidium, quod peccando perpetrant, non eſt panis integer, ſed fruſtum panis, hoc eſt; eſt bonum aliquod in eſſentia ſua miſerrimum, & quoad durationem breviſſimum, propter quod DEUs offenditur: Non eſt modius frumenti; eſt tantùm pugnus hordei, hoc eſt, eſt delectatio non tantùm miſera, & brevis, ſed etiam beſtialis, eodem modo, quo hordeum eſt propriè cibus pro beſtiis deſtinatus, potius quàm pro hominibus. Et nihilominus ob vilitatem adeò indignam DEUS ſpernitur. Notate hoc verbum *Violabant*, quod multorum Frequentatorum actuum continuationem ſignificat, ad hanc etiam extremitatem deveniant homines, ut non ſemel aut iterum, vehementiſſimæ alicujus paſſionis aſſultus Divina infringant mandata, ſed uſu jam aſſueti contemnant, atque ut ita dicam, peccando vivant. *Comedunt panem impietatis, & vinum iniquitatis bibunt.* Prov. 4. Jam DEUM offendere tam eſt commune, quàm eſt comedere & bibere. Imò in neceſſitatem degeneravit. Non ampliùs neceſſe eſt, ut ad illud inducendum Dæmon nobis promittat, ſicut Christo in deſerto omnia Regna promiſit, & gloriam eorum; ſatis eſt nobis, ſi ignominioſam aliquam proponat ſpurcitiem. Non alios hujus rei requiro teſtes, quàm vos ipſos. Si mulier aliqua ſit malæ vitæ, vos publicè illam objurgatis, ejúſque impudentiâ commoti exclamatis, eſſe carnem morticinam, proſtibulum nulliúſque valoris fœminam: quando igitur cum illâ aut aliâ illius farinæ DEUM offendiſtis, DEUM permutâſtis pro perſonâ nullius valoris pro ignominoſo ſcorto. Si homo unum tantùm cognitionis haberet radium, quo vivaciter unam ſolam infinitarum perfectionum, quæ ſunt in DEO, conciperet, quomodo quæſo, poſtquam illum offendit, ampliùs poſſet vivere?

XVII. Beata Catharina Genuenſis *In vit. c. 12.* mirabiliter à DEO illuſtrata ad peccati horribilitatem cognoſcendam, ſolebat dicere, ſi ſibi permiſſum eſſet ea aliis monſtrare, quæ ſibi oſtenſa ſunt, nullum ſe ſcire ſupplicium, quod non ſubire vellet, ut ignoranti Mundo ſingnificaret, quanta ſit cujusvis peccati monſtroſitas propter oppoſitionem,

quæ

quæ est illi cum Divina voluntate. Quare optimè infertur, vos DEUM non cognoscere, dum peccatis. *Qui non diligit, non novit DEUM*, inquit
1. Joan. 4. 8. S. Joannes. Qui DEUM non æstimat pluris quàm omnia bona, qui illum, non dicam cuivis exiguæ delectationi, sed omnibus possibilibus præfert bonis, qui propter quamcunque magni momenti rem DEUM non horret contemnere, illum non cognoscit. Astrologi opinantur, tunc monstrum concipi, quando generatio illius à nullo cœlestium siderum aspicitur. Si qui ita sentiunt, fortè hallucinantur, profectò non errat, qui affirmat, peccati monstrum cogitatione non concipi, nec opere in lucem produci, nisi absente omni veræ cognitionis lumine. Cæterùm ad clarum lumen quivis dicturus est, quod Josephus à Domina tentatus respondit: *quomodo possum hoc malum facere?* non tantùm non volo tentationi consentire, sed ne quidem possum: tam vivam habeo magni hujus mali cognitionem, quod committerem, si vellem. *Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in DEUM meum?*

XVIII. Quare, Charissimi, altissimam hanc veritatem profundissimè cordibus vestris imprimite; quòd, quando DEI mandatum violatur, DEO infinito inferatur injuria, & quidem in Divinæ præsentiæ illius oculis, atque ob rem tam vilem, quæ ne quidem coram illo nominari meretur. *Memor esto hujus*, dicit Propheta, *ini-*
Psal. 73. 18. *micus improperavit Domino.* Tu qui tam liberè peccas, qui contra DEUM insurgis, attende & considera, quòd facinoribus tuis Altissimum invadas: *memor esto hujus.* Et in veritate paucos est videre, qui talem in mente suâ conservent memoriam. Imò qui abstinent à peccatis, communiter non abstinent ideò, ne offendant DEUM, sed propter alia motiva, quæ in comparatione istius nullius sunt momenti. Non sumam vindictam, inquit ille, quia familiam meam ad incitas redigerem; non consentiam, dicit alia quædam, ne meo marito faciam injuriam; qui ita respondet, non quidem dicam, illum cæcum esse, dicam tamen, tam malè eum videre, ut inter granum arenæ & Mundum universum non distinguat: Justissimum est detrimentum familiæ considerare, quod ex homicidio emergeret; decet omnino honorem mariti præ oculis habere, qui adulterio contaminaretur: quis de hoc dubitat? sed hoc non est, quo Christianus quilibet à peccato deterreri deberet. Hæc consideratio cordi sit necesse est: Si pecco, DEUM offendo, infinitam Majestatem injuriâ afficio; Omnipotentis DEI sceptrum pedibus conculco. *Memor esto hujus.* Hoc est illud, quod semper memoriæ infixum esse debet.

XIX. Quanta est igitur illorum stultitia, qui, ut conscientiæ suæ stimulos tranquillent, adeòque profundiùs in turpitudinis suæ cæno obdormiscant, audent dicere. *Eccui quid mali facio? nemini quidquam furor, neminem spolio, non occido, neminem injuriâ afficio.* An ignoras, cui malè facis? DEO malefacis, quem majori af-

ficis injuriâ, quàm illi ab aliqua creatura afferri possit, quæ est DEO nolle obedientiam præstare. Et hoc vobis parum videtur? Peccatum non est malum grande ideo, quia injuriam contra proximum continet, furando, spoliando, occidendo, aliáque similia facinora perpetrando; sed est malum infinitum, ideo quia injuriam contra DEUM comprehendit. Propterea dicit S. Augustinus, cùm DEUS ad exercendam supremam suam Jurisdictionem primo homini deberet aliquod præceptum imponere, tam leve ipsi mandatum dedit, quod erat, ne pomo illo vesceretur sibi ostenso. Quare non potiùs res difficiles illi præcepit, longas preces, longas peregrinationes, longasque abstinentias? an fortè tales non erant proportionatæ ad fidelis sibi subditi obedientiam explorandam? non, inquit sanctus Doctor, quia solùm hoc DEUS intendit, ut omnes homines benè intelligerent, quantum malum sit, DEO non obedire. Si DEUS homini res magnas præcepisset, videri poterat totum transgressionis malum ab ipsarum rerum commendatarum pondere dependisse: verùm cùm rem tam levem præceperit, clarè patuit, omne malum culpæ ab inobedientia legi DEI resistente profectum esse. *Quæ nolui elegistis*, inquit DEUS. An parum malum vobis videtur illa velle, quæ DEUS non vult? Hoc est Diadema supremæ Majestatis è capite ipsius auferre, ut vestro imponatis. Tantum contra Principes hujus Mundi non requiritur, ut quis læsæ Majestatis crimen incurrat. Satis est, ut subditus dicat: Non volo; faciam sicut mihi lubet, ego sum Dominus meus. Et parum mali erit, tantundem dicere DEO? quid mali fecerat Adamus? nihil furatus fuerat, neminem spoliaverat, neminem interfecerat, solùm de pomo sibi interdicto comederat. Attamen, quia comedendo non obedivit DEO, satis fuit hoc unicum pomum, ut eo non solùm se ipsum, sed omnes homines post se nascituros, infinitæ tradiderit ruinæ. Hic aliud non datur remedium. DEUS pondus vult esse justum. *Pondus æquum voluntas ejus.* Et talis est voluntas DEI, inquit Hugo. *Voluntas DEI est, ut nihil ei, sed ipse omnibus præferatur.*

de Gen. ad lit. l. 8. c. 13. — *Is. 5. 12.* — *Prov. 11. 1.*


XX. Quamobrem *Memor esto hujus.* Hoc semper recenti tenendum est memoriâ; nec non illud, horrendum planè, quod consequens est peccando DEUM velut inimicum tractari; ipse injuriâ afficitur: *Inimicus improperavit Domino.* Illi fit injuria, inquit S. Thomas, dum uno aliquo, ex quatuor his modis despicitur; aut directè in seipso, aut indirectè in suis Sacramentis, aut in sua imagine; qui est Proximus noster, aut in aliquo præceptorum suorum. Unde sicut impossibile est basiliscum absque veneno reperire, ita impossibile est dari aliquod peccatum absque contemptu DEI. Quare ex ore vestro non ampliùs audiatur stolidissima quorumdam excusatio: *non pecco, ut DEUM spernam sed solùm, ut voluptatem capiam.* An non auditis à Sacris Doctoribus, duo contemptûs genera distingui, unum expressum, & directum, alte-

alterum indirectum, & interpretativum? quod si ergo pro fine vestro non habetis injuriam DEI, sed delectationem aut lucrum, tunc non directè illum contemnitis, quod verum est, sed indirectè. Pluris enim voluptatem, aut lucrum prohibitum, quàm ipsum æstimatis. Si aliquis filiorum vestrorum mulierem infamem duceret, non propter infamiæ motivum, sed solùm ut suæ satisfaceret voluptati, an non etiam hoc modo vos despici putaretis? verum est à filio vestro intentione sua vos non despici; ipso tamen facto despiceremini; nec quicquam valeret ista excusatio; istam fœminam duco, non ut contrister patrem meum, sed uxor mea erit, quia mihi placet. Charissimi, nolite à Diabolo decipi, qui instar proditoris oculos vobis tegit, ne præcipitium advertentes, talparum more incidatis. Quo plura de hac dicemus materiâ, nihil tamen afferemus in comparatione illorum, quæ in veritate de qualiscunque peccati malitiâ dicenda restant.

XXI. Hoc igitur solùm adhuc dicam, & non ampliùs. Si Diabolo tantæ essent vires, ut ex Cœlo omnes Sanctos & Sanctas, omnes Angelorum choros, ipsam etiam sanctissimam DEI Matrem, unâ cùm illis, in infernum præcipitare posset; an non grande id vobis videretur malum, maximáque injuria, quæ creaturis tam perfectis, tam eximiis, omnique honore dignis irrogaretur? attamen quotiescunque vos peccatum committitis, malum incomparabiliter majus perpetratis, si DEI ratio habeatur; quàm esset totius curiæ cœlestis ruina, si consideretur ut malum creaturatum. Si Dæmon aliquis absque DEI offensa omnem illam stragem ederet, talis strages etiam minimæ DEI offensæ comparata, infinities minor foret, quàm aliquot formicarum myriades delere, si cum calce, qui eodem pede Papæ impingitur, comparetur. Audebitísne adhuc imposterum, auditis his omnibus, absque ullâ consideratione & respectu peccare, & peccato jam commisso jocando dicere: quid ergo mali est? si in hac cæcitate persistere statueritis, aliud vobis denuntiare non possum, quàm quòd aliquando tandem oculos vestros, nunc clausos, vel nolentes aperturi sitis. *Nónne cognoscent omnes, qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem meam sicut escam panis?* Ps. 13. Putatísne semper hanc ignorantiæ noctem duraturam? Erit, erit aliquando dies, & vos, qui iniquitatem tanquam sapidum panem jam devoratis, malum illud tunc cognoscetis, quod jam non agnoscetis, quando rapti ad Tribunal DEI; tam grandem illam aspicientes Majestatem, immensam illam potentiam, DEUM adeò infinitum, adoratum, honoratum, summáque reverentia à Paradisi principibus cultum, horrore exterriti deficietis, pudebitque tam temerarios fuisse, ut neque bonitatis ipsius, nec justitiæ, nec immensitatis ullam rationem haberetis, sed ante oculos ipsius veriti non sitis ea committere facinora, quæ tam severè ab illo fuerant prohibita.

XXII. Tunc erit tempus in vobis adimplendi minas peccatoribus à

Psal. 20. 13. Psalmista his verbis prædictas. *Pones eos dorsum.* Non enim solùm vobis terga vertet, sed quasi tergum suum vos faciet, ita ut impossibile ipsi sit ampliùs benevolis vos oculis aspicere. Qui post tergum aliquas literas abjicit, ita adversus non potest verè eas ampliùs intueri; sed aspicere potest, si de novo ad easdem vultum convertat. Verùm qui literas dorso inscriptas gerit (quemadmodum olim quædam portabant mancipia) quomodo respiciet, ut eas legat? DEO igitur, ut significaret à se nunquam in totâ æternitate bono oculo peccatores aspiciendos, non satis est dicere illos post terga sua relinquendos, sed quotquot sunt à se pro tergo habendos esse. *Pones eos dorsum.* Hoc si fiat, quàm bene pœna culpæ erit proportionata?
Zach. 7. 11. Peccatores terga verterunt DEO; *averterunt scapulam resedentem.* DEUS quoque sua illis terga vertet. DEUM quasi rem nihili sperverunt; ipse illorum non recordabitur; quasi de facto nihil essent, & à naturâ eliminati. Illi has ipsi in conspectu suo intulerunt rias, ipse illos à facie suâ projectos, æterna morte afficiet. *Pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini.* 2. Tess. 1. 9. Hîc solùm comparatio claudicat, quòd DEUM peccatores aspernati sint brevi tempore, vix momento peccati commissione delectati; ipsi verò in æternum à DEO contemnendi sint, & absque intermissione puniendi. Verùm hoc ipsum justitiæ est convenientissimum. Tam grande malum est unico tantùm momento offendere DEUM, ut ipsa æternitas non sit satis longa ad tantam injuriam castigandam, si pœna sit absque cessatione futura. Quamobrem Charissimi, discite nunc, quid sit DEUM offendere, ut singulari attentione quodvis caventes peccatum, non cogamini in Inferno incomprehensibilem tam venerandi Monarchæ Majestatem ad summam calamitatem vestram agnoscere; sed potiùs eandem ad summam felicitatem vestram cognoscatis in Cœlo, primo ejusdem intuitu beati.



DISCURSUS II.

Ex summa Divini in nos Dominii excellentia infertur Peccati mortalis gravitas.

I. JUre meritò potuit olim David peccato imponere nomen omnis injustitiæ: *non dominetur mei omnis injustitia.* Ps. 118. 133. Hæc enim verissimè est magis propria hujus monstri definitio. Injuria, quæ infertur hominibus, quasi quæ Jus aliquod particulare lædit, est etiam injustitia particularis; sed injuria, quæ DEO irrogatur, quasi quæ omne Jus possibile invadit, non potest æquiori titulo, quàm injustitiæ adeò generalis designari. vid. Hug. hic.

ſignari, in qua omnes continentur injuſtitiæ; *omnis injuſtitia.* Quamvis igitur verum ſit, quotquot in DEO ad amandum illum reperiuntur tituli, tot à nobis, dum eundem offendimus, committi injuſtitias. Nihilominus ad tres ſolos præſentem meum reſtringam Sermonem, demonſtraturus, quàm grande ſit malum quodvis peccatum, quo his tribus titulis, ob quos DEO obedire tenemur, nos opponimus; obedire tenemur tanquam Creatori, tanquam Redemptori, denique tanquam DEO. Certè errorum omnium maximè intolerabilis, qui peccantium excæcant mentes, eſt ille, qui à ſancto Jobo his notatur verbis: *Vir*
Job. 11. 1. *Vanus in ſuperbiam erigitur, & tanquam pullum onagri, ſe liberum natum putat.* Falſiſſimum, falſiſſimum eſt,
Tract. 19. in Joan. clamat S. Auguſtinus, *quid tam non tuum, quàm tu, ſi alicujus, quod es?* Non eſt res, quæ ſit minùs noſtra, quàm noſtrum liberum arbitrium, quoties tres has obligationes modò dictas perpendere vellemus, quæ nos admonent, quantopere debeamus habere ſubjectum illud DEO. Atque hæ ſunt tres illæ obligationes, paucis immenſa complectentes, quæ à Davide inſinuantur, ubi deſiderans invitare homines ad DEUM tanquam ſupremum Dominum recognoſcendum;
Psal. 49. *Venite adoremus Dominum*, tria ſupra dicta attulit motiva, quia creavit nos, *qui fecit nos:* quia velut Divinus Paſtor ſanctiſſimo Sanguine ſuo nos redemit: *nos autem populus ejus, & oves paſcuæ ejus.* Supra omnia verò quia eſt DEus noſter, *quia ipſe eſt Dominus DEus noſter.* Incipiemus igitur à primo creationis titulo, & ſi tempus omnes explicare non permiſerit: tertium in alium Sermonem reſervabimus.

I.

II. Quamquam ſint plurimi poſſeſſionis tituli, non eſt tamen ullus juſtior, quàm effectionis; ita viri Docti obſervant, DEUM in Sacris Literis frequenter vocari Dominum creaturarum: quia illas fecit, eáſque ex nihil abyſſo extraxit, in quo per omnem æternitatem abſtruſæ permanſiſſent. Singulariter autem hoc notatur in pulchris illis verbis ex libero Eſther. *Domine DEus omnipotens, in ditione tua cuncta ſunt poſita; tu enim feciſti omnia.* Et *Eſther. 13. 9.*
ut verum fateamur, quis plus Juris habet in ſtatuam, quàm Artifex, qui ex rudi ſaxo tam venuſtum effinxit opus? Artifex tamen marmor non fecit, non illi ſoliditatem contulit nec ſplendorem, nec durabilitatem contribuit, ſolùm in hominis ſimilitudinem illud exſculpſit. Quale igitur Jus erit DEO in quemvis noſtrum, cùm ille omnia fecerit, quæ ſunt in nobis; imò ex nihilo fecerit, faciendóque potentiam infinitam adhibuerit? dixi *S. Thom. 1 p. q. 32. ar. 1. ad 2. & q. 45. ar. 5.*
infinitam, quia ut aliquid fiat ex nihilo, ajunt Philoſophi, non ſufficit potentia finita, infinitam eſſe oportet. *Infinitæ virtutis eſt ex nihilo producere.* Et hæc eſt illa, quam DEUS in creatione noſtra impendit; ideóque in nos par potentiæ dominium, id eſt infinitum, acquiſivit.

III. Imaginamini vobis, antequam eſſetis homines, vos tot in littore maris fuiſſe

fuisse arenæ grana, DEúmque ex mera benignitate vos omnes ex illis formare voluisse, donando cuivis corpus & animam tam perfectam, quemadmodum nunc possidetis: quantum creditis vos obstrictos esse ad gratias Benefactori vestro referendas? Cur igitur non magis teneremini illum recognoscere, cùm non è littore, sed è nullitatis abysso vos extraxit, omnipotentísque brachii sui potentiam adhibuit? Non sumus igitur, Charissimi, rei alicujus in nosmetipsos Domini. Non possumus pro voluntate nostra vel manum movere, vel elevare oculum, vel aurem applicare, neque unam proferre syllabam; quia toti ipsius DEI sumus, ideóque infinito modo illi obstringimur, toti sine exceptione pro voluntate ipsius vivere: infinitum enim non habet terminum, totum sine ulla exceptione complectitur, *in omni virtute tua, dilige eum:* Ita nos monet Ecclesiasticus. Eccl. 7. 32.

VI. Ad hæc, hæc dependentia à DEO & subjectio, quam illi debemus, est adeò essentiæ nostræ creatæ intimè impressa, ut ipse DEUS non possit illam tollere, adeóque liberos efficere, ut à suo Dominio independentes essemus. Quamvis illorum admitteretur opinio, qui putant posse à DEO creaturæ rationabili, quales nos sumus, communicari potestatem plures creandi mundos, nihilominus ne quidem in hoc casu verificaretur, hanc creaturam creatricem ipsimet Creatori suo non esse immensè subjectam: adeò indubitatum est, hanc independentiam esse thesaurum, quem DEUS solus à se alienare non possit. Et grande hoc Dominium est illa gloria, quam DEUS habet pro fine in omnibus operibus suis extra se, ideóque declarat illam à se nemini dandam, adeò incommunicabilis est: *Gloriam meam alteri non dabo*; quamobrem titulus est tam supremus, ut in consideratione illius Imperatores Mundi jure non possint vocari Domini. Referunt, Augustum initio Imperii sui recusâsse titulum Domini; quod si hoc cognitæ veritatis impulsu fecisset, næ illa magnarum actionum talis Monarchæ maxima dici meretur. Siquidem solus Rex Regum hoc nomen legitimè potest prætendere, solúsque illud gerere potest, ideóque sæpius in Scriptura de se dicit, *Ego Dominus:* quippe Reges terræ nec Provincias, nec Populos, nec exercitus fecerunt, sed solùm exercituum, populorum & provinciarum possessionem occupârunt, totiúsque Regni, aut per hæreditariam successionem, aut per violentam invasionem; adeóque illorum Dominium provenit *ab extrinseco*, & est purè supra externas Subditorum actiones: cùm vicissim DEUS omnia titulo creationis possideat, titulo tam intrinseco, ut, quemadmodum dicit S. Augustinus, ultimum rerum fundum penetret, id est, ipsi essentiæ nostræ intimus sit. Hinc est quòd illi viginti quatuor Reges in Apocalypsi, acceperint diademata de capitibus suis & ante thronum DEI posuerint, existimantes; licet tanquam Reges, omnes essent DEI imagines, cujus personam exhiberent, auctoritatémque sustinerent, nihilominùs

Mag. 4. sent. dist. 5. sess. 3.

Isa. 42. 8

Suet.

minus se non ampliùs esse Dominos, sed ipsum solum hoc nomine dignum esse declarabant, utpote illum, qui solus creâsset omnia. *Dignus es Domine DEUS noster accipere gloriam & honorem, & virtutem, quia tu creâsti omnia.* Apoc 4. 11.

V. Quod si ita est Charissimi, considerate, quâ DEUM afficiatis injuriâ, quando pro libidine vestra vivere vultis, ita ut ad desideriis vestris satisfaciendum, voluptatulámque aliquam capiendam, Divinis vos non velitis submittere mandatis, perinde ac si integri vestri ipsorum essetis Domini. Tam cæci estis, ut magnum illum Dominum, qui supra vos est, non videatis; à quo multò magis secundùm essentiam dependetis, quàm à vobismetipsis: quippe esse non potest, ut vos sitis sine vobis, bene autem esse potest, ut sitis possibiles, sed absque illo non solùm non essetis actualiter, sed multò minùs unquam possibiles.

VI. Attamen id, quod in essentiali hac subjectione summum est, quódque Creatoris titulus in se maximum continet, adhuc vobis non dixi. Quandoquidem considerare oportet, hoc DEI dominium, quia vitam nobis dedit, omni momento augeri, cùm ab illo etiam conservemur. Charissimi, DEUS non est sicut Architectus aliquis, qui domo exstructâ abire potest, absque illo enim Domus jam erecta consistit. Non est ita DEUS, inquit Sanctus Thomas, ut creaturæ in se ipsis perseverent; necessarium est, ut continuò illis DEUS unitus maneat, suóque Divino brachio illas sustentet, quæ aliàs in antiquum suum nihilum reciderent. *Si suam actionem eis subtraheret, omnia in nihilum redigerentur.* S. Thom. p. q. 9. art. 2. in c. Videtísne illam lampadem ante altare suspensam? Si funem, ex quo pendet, præscinderetis, quamprimum caderet, licèt à tot jam annis in aëre pependerit. Sic se res habet nobiscum, cunctísque creaturis, quæ omni momento tam indigent post multos annos in essentiâ suâ conservari, quàm primo nativitatis suæ die indigebant. Unde quovis temporis puncto à DEO conservantur. *Portat omnia verbo virtutis suæ.* Heb. 1. 3. Semper enim pro utilitate nostra potentiam illam creativam continuat, quâ in principio nos fecit. Quare si pro primo illo momento, quo creati sumus, infinitam DEO debemus subjectionem, qualem illi debebimus pro omni illo tempore, quo nos conservavit? quovis enim instanti conservando nos non facit minùs, quàm si semper de novo nos crearet. *Non aliter DEus res in esse conservat, quàm semper eis esse dando.* S. Thom. p. 1. q. 9. art. 2. in c. Manifestum est, sicut creationis gratia semper continuatur, ita quoque jus illud, quod in nos habet DEUS, continuò augeri; si tamen infinitum potest crescere.

VII. O magne Domine, quid est igitur DEUS noster! O ingens Dominium, quod illi competit in nos! postquam enim fecit nos, non solùm nos potest destruere, sicut cæmentarius domum à se exstructam diruere potest, sed ubi nos conservare desinit, in nihilum redigere potest; quod cæmentarius non valet, qui ad summum in

in pulverem domum redigeret! At nihilominus Dominium tam excellum non cognoſcitur ab homine, imò liberrimè abſque ullo reſpectu contemnitur! Video, ſi quandoque à fure nocturno ex vitibus horti veſtri aliquæ clepantur uvæ, tantopere vos indignari, ut non pudeat ei coram Judice litem intentare, & quandoque etiam juramento exacto pauculorum racemorum furem detegere. Jam verò dicite mihi, in quo tanta, quam paſſi eſtis, fundatur injuſtitia? in hoc fundata eſt, quòd vites ſint plantatæ in terrâ veſtrâ. At terram illam, in qua plantatæ ſunt hæ vites, vos non feciſtis; nec plantas produxiſtis, nec pluviâ fœcundâſtis, nec radiis ſolis calefeciſtis, neque rore cœli recreâſtis, neque cœli influentiis animâſtis, neque unicam quidem pampinorum illorum fibram formâſtis; tantum abeſt, ut vel unicum acinum in uvis naſcentem feceritis. Quantus tumultus propter jus extrinſecum in has vites? quid jam faceretis, ſi ſupra illas dominium vobis eſſet intrinſecum, integrum & univerſale, quo quidquid & pulchrum & utile in illis continetur plantis, à vobis factum fuiſſet? Et hoc ipſum eſt, quod vobiſcum fecit DEUS, & ſine ulla comparatione multò plura. Quomodo ergo creditis, nullam à vobis committi injuſtitiam, quando peccatis? An non meminiſtis, non eſſe ſimilem peccatori in terris furem, qui DEO jus aufert infinitum, quod Divina voluntas habet in voluntatem creatam, quâ omnia pro beneplacito ſuo fieri velit, hominem verò pro animi ſui libidine nihil velle poſſe? Ego mihi perſuadeo, DEUM nonnunquam permittere, ut quædam vobis auferantur, ut ex furti illius diſplicentiâ & indignatione contra eum, qui illud commiſit, colligatis indignationem DEI, quàm ei ſuum jus auferendo, hoc eſt vos ipſos ſurripiendo excitatis. Suâ indignatione contra talem furem, taléque furtum quid poteſt eſſe juſtius?

VIII. Imò propter hanc ipſam cauſam credere licet, DEUM quandoque permittere, ut à filiis veſtris horrendum affligamini; ut intelligatis, quid ſit Factorem veſtrum contriſtare. Poterat DEUS, ut alio loco docui, per ſe ipſum omnes homines creare, poſſet enim, ſi vellet, omnes lapides in homines convertere: *Potens eſt de lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ.* Nihilominus non voluit per ſe homines producere, ſed potiùs ſtatuit, ut unus ab alio naſceretur, & ut Patrum & filiorum ſucceſſio ſit, ut Patres ab illa obedientia & honore, quem jure merito à filiis ſuis exigunt, obedientiam, & honorem diſcerent, quem multo potiori jure DEUS ab ipſis requirit. Sic itaque perſuadere vobis, ſæpiùs à DEO permitti, ut filii veſtri proculcatâ obedientiâ vobis non gerant morem, nec ullum honorem exhibeant, ut damno veſtro docti majorique animi dolore intelligatis, quàm grave malum ſit DEO Patri optimo inobedientem eſſe, debitóque honore eum non afficere. Unde impoſterum nolite lamentari, homines nulli ſibi ducere

cere

cere religioni, sua aliis auferre, filios vestros tam contumaces & refractarios esse, ita ut impossibile sit vobis illos regere. At meum, si placet consilium sequimini: vos ipsos accusate, & intra vos dicite: quomodo ego audeo ab alio quicquam exigere, aut aliquid ampliùs, quod ipse DEO non præsto? An fortè majus furtum est, paucos aliquos fructus clepere, quàm DEO alicujus creaturæ suæ voluntatem surripere? Aut, éstne major fortè perversitas, quemdam filiorum meorum non parere jussis meis, quàm quòd ego DEI transgrediar mandata? Quia ex reflexione aliquam immensæ illius injustitiæ umbram observabitis, cujus Tyrannidi voluntariè vos subjicitis, quotiescunque peccato vos contaminatis. *Non dominatur mei omnis injustitia.*

II.

IX. Ecce igitur primum Dominii infiniti titulum, quod DEO in suas debetur creaturas, eò quòd fecerit illas. Nihilominus, si ita licet discurrere, hoc est debitorum nostrorum minimum. Quò non cum titulo Redemptoris accrescit eorum summa? tantum accrescit, ut Sanctus Bernardus illam considerans obstupescat. *Si totum me debeo pro me facto, quid addam pro me jam refecto, & refecto hoc modo?* Sed ut clariùs hoc percipiamus, præsupponendum est priùs, quid sit redimere. Redimere idem est ac rem aliquam pretio recuperare, quæ revera prius ad nos pertinebat, sed à nobis abalienata est: unde necessariò sequitur, bonum illud hoc modo recuperatum duplici titulo nostrum esse; nostrum est, quia ante erat; & nostrum est de novo, propter pretii pro eo solutionem. Quare licèt homo DEI esset, quia modo jam dicto ab illo creatus fuit, nihilominus quia peccando Divino se imperio subtraxit, saltem quoad possessionem, hunc suum fundum DEUS ipse redimere voluit tam perversè alienatum, non ut homo propriam animi posset sequi libidinem, sed ut novo hoc titulo, Divino Dominio magìs subjiceretur, adeóque strictiùs Divinis teneretur obtemperare mandatis, quò major erat servitus, è quâ redemptus fuit. Quare si cognoscere desideretis, cujusmodi nostra DEO debita sit præstanda subjectio, eò quòd ab ipso redempti simus, paucis hisce verbis illam indicabo: Proportionata debet esse servituti, quâ nos gratiâ ipsius liberati sumus; DEO debemus subjectionem, non enim aliter chirographum illud, quo nos Inferno vendideramus, JESUS laceravit, quàm ut aliud exararet, quo de novo charissimo Patri suo cœlesti nos dedicaremus. *Pro omnibus mortuus est Christus, ut & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est.*

[Margin: De Di-lig. DEO.] [Margin: 2. Cor. 5. 15.]

X. Triplicem igitur servitutis nostræ catenam considerate, ut eâdem præsentem obligationem nostram metiamur. Antequam redempti essemus, trium inimicorum eramus Servi, Peccati, Diaboli, & Mortis. Servi eramus peccati, nulla enim vi creatâ ab animâ nostrâ pote-

poterat auferri culpa, quâ onerata erat, & quasi insolubili vinculo oppressa tenebatur. Eramus Diaboli mancipia, qui nos devicerat, unde licèt etiam ille sit mancipium culpæ, quemadmodum & nos sumus, nihilominus, cùm ille primarius in peccati regno sit minister supra reliquum servorum vulgus, tale jurisdictionis exercet Dominium, quale in turbam ad triremes relegatam competit Portisculo seu remigum Præfecto. Tertia, quâ premimur, est servitus mortis, non tantùm corporis, quæ brevis & transitoria, sed æterna animæ, quæ subditos suos semper vivos in igne detinet, ut quovis æternitatis interminabilis puncto moriantur. Qui æternorum istorum vinculorum pondus verè æstimare poterit, aliquo modo etiam immensam DEO serviendi obligationem, illique obediendi debitum redemptione nostra contractum intelligere poterit. Agrippa sex mensium spatio à Tiberio Imperatore in carcerem conjectus, à Cajo illius in Imperio successore libertate donatus fuit, cum hoc insigni beneficentiæ additamento, ut Catenam auream illi daret tanti ponderis, quanti erat illa ferrea, quâ tam durè huculque vinctus fuerat. Quare Cajus Agrippæ indicare voluit, se tantundem prætendere, beneficio illum sibi obstringere, quantum ab alio catenâ ferreâ eatenus constrictus fuerat. Si me non puderet tam humili comparatione Redemptoris nostri Divinas explicare inventiones, dicerem hoc ipsum esse, quod JESUS Christus nos Redempturus intendit: voluit nimirum omnes catenas nostras ferreas commutare in aureas, ut quantum illis priùs peccato inviti astricti eramus; alterum tantum post redemptionem ex amore DEO alligaremur.

XI. Si propter solam Redemptionem tam altum DEO in nos competit Dominium, quantò majus illud erit, quod tam caro pretio, hoc est, proprio sanguine suo nos redemerit? Atque ita se res habet. Non vili aliqua auri solutione, ut alii solent, sed se ipso nos recuperavit. *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis,* inquit Sanctus Petrus, *sed pretioso Sanguine: quasi agni immaculati Christi & incontaminati.* Si rem perpenderemus, ut æquum est, dum servus auro emitur, dicendum esset, terræ verum jus esse in talem servum, non Domino; illa enim è venis & visceribus suis pro redemptione illâ præbuit pretium, Dominus autem ex propriâ substantiâ suâ nihil contulit. DEUS autem alio modo procedere voluit, pro magnâ hac redemptione aliud nihil, quàm seipsum impendere voluit, ut homo nunquam cum alio obligationem suam divideret, sed totam unico DEO suo attribueret, qui simul redemptor ejus est, & pretium. *Transisse ipsum video in pretium meum.* Attonitus ineffabilis hujus mysterii magnitudine dicebat Emissenus. O quantum est hoc mysterium! Videre DEUM illum, qui propter infinitam perfectionem suam est meus finis ultimus, descendentem de magnitudinis suæ throno, tantopere se humilia-

1. Pet. 18.

Euseb. Emiss. hom 6. de Pasc.

milia-

miliare, ut dignetur esse medium salutis meæ, hoc est salutis illius, quam ipse habet pro fine suo. Non videtur amor illius majus capere posse incrementum, nec servitutis nostræ obligatio magis posse crescere.

XII. Seneca deplorat Platonem Philosophorum principem ab Eginettis in servitutem abductum, solùm octo sestertiûm pretio à quodam amico suo, Anicero appellato, in libertatem vindicatum esse. Vir tanti nominis, inquiebat Seneca, pretio æstimari non debebat, sed aliquot talentorum millibus comparari; quare amicus ille beneficio suo magnam admiscuit inhumanitatem. Charissimi, an fortè nos similiter dolere possemus? Ah amicissimus Redemptor noster non ita nobiscum egit! 1. Cor. 6. 20. ille infinito nos redemit pretio. *Empti enim estis pretio magno*, & ne quidem hoc ipsum ipsi satis fuit. Quantumvis enim minima Sanctissimi Sanguinis ipsius gutta plùs valeat, quàm æterna omnium hominum possibilium vita, nihilominùs non voluit tantùm unam dare guttam, sed omnem in Cruce velut mensa publica deposuit. Imò cùm nescio, quàm parum illius in cordis sui ærario mansisset post mortem, voluit, ut cuspis lanceæ illi reserando clavis esset, quâ reliquum illius pretium extraheretur, ut se toto nos omnes infinities redimeret. Dixi infinities, qui si illud pretium erat valoris infiniti, toties dici potest à Christo nos redemptos esse, quoties ad nos redimendos aptum erat; qui rem aliquam duplo plùs solvit, quàm valeat, bis illam emisse dicitur. Quomodo igitur non etiam idem de Christo dici posset, infinities nos ab illo redemptos esse, cùm pro nobis infinities plus quàm valebamus, exsolverit. Quòd si ergo infinities ab illo redempti sumus, quis non videt etiam infinitis modis, nos totos ipsi us esse? Saltem hoc certum est, sicut quot sunt momenta, quibus à DEO conservamur, tot sunt vincula, quibus illi tanquam Creatori nostro obligamur; Eodem modo quot sunt pretiosissimi Sanguinis ipsius guttæ, tot sunt vincula, quibus auget & vendicat sibi servitutem nostram tanquam Redemptori debitam.

XIII. Tanto magis, quia ad pretii exsoluti pro hac emptione immensitatem modus persolvendi pro nobis accedit. Quamvis enim DEUS non unâ guttâ, sed toto sanguine suo hominem redimere statuisset, modum placidissima morte illum effundendi eligere poterat, ita ut omnes aperirentur illi venæ, sed præ lætitiâ, nihilominus huic gaudio mortem crucis prælegit. *Proposito sibi gaudio, sustinuit crucem.* Hebr. 12. 1. Neque hoc tantùm illi satis fuit; sed doloribus illis, quos totâ vitâ durissima illa inflixit flagellatio, duriórque capitis è spinis coronatio, terribile illud tormentum, quod erat tribus horis continuis tribus transfixum clavis toto corpore pendulum hærere in cruce, prodigiosissima inventione inexplicabiles interioris animæ adjunxit pœnas, quo carnificum rabies non poterat pertingere, & quidem pro mensurâ amoris

sui illas adjunxit, id est tantas, quantas ad omnium hominum scelera à principio mundi usque ad finem committenda, in se punienda, sufficientes judicavit. Hac bolide jam pridem usus est Sanctus Thomas ad inscrutabilem Dominicæ passionis maris fundum indagandum. *Tantam quantitatem doloris assumpsit, quæ esset proportionata magnitudini fructus, qui inde sequebatur.* Et quis unquam satis filiorum pro hoc fundo metiendo deglomerabit?

S. Tho. 3. p. q. 46. ar. 4.

XIV. Ulteriùs, quandoquidem aliunde ad tam multa sufferenda jam determinatus erat, saltem honoratâ morte vitam suam finire poterat; attamen magis ignominiosam, quàm unquam homo mortalis perpessus est, elegit; millenis voluit onerari injuriis, millenis confundi sannis & opprobriis, millenisque proscindi blasphemiis quasi peccata, quæ exsolvit, non nostra, sed sua essent propria.

XV. Denique ut extremè copiosa esset Redemptio, non solùm quoad solutionem nimiæ Satisfactionis, sed etiam quoad satisfaciendi modum, summa cum promptitudine hoc ingens suppliciorum pelagus ingressus est, ita ut majorem patiendi sitim habuerit, quàm quâ Judæi, & Dæmones illum cruciandi flagrârant. Ideóque ubi in Psalmo hæc leguntur verba: *cucurri in siti*; quibus Christus ardentissimum patiendi, animámque exponendi explicat desiderium, Sancti Basilius & Ambrosius inter alios legunt, *cucurrerunt in siti:* quibus inimicorum rabiem, Christi necem quærentium, exponunt, duásque sitis tam diversæ flammas sibi invicem opponunt, ita ut illa Christi tanto inimicorum sitim superet excessu, quanto eorundem odium ab amore Divino vincitur. Et fortè hæc ipsa fuit causa lateris lanceâ aperti, quâ tantâ in Christum mortuum crudelitate desævit Centurio, non aliter, quàm si adhuc viveret; scilicet ut sitis ejus appareret. Usu jam receptum est, ut si persona quædam illustris ignoto mortis genere decedat, illius cadaver aperiatur ad morbi causam, aut partem læsam cognoscendam. Quæ verò mors magis insolita in viro Principe inveniri potest, quàm DEUM inter duos latrones medium exspirare? Voluit igitur optimus Dominus noster, ut simile ab hominibus fieret in corpore suo, aperto post mortem latere, manifestam mortis suæ causam in vulnerato corde legerent, discerèntque illum siti plura patiendi pro homine mortuum esse. Quod si ita est, quæro ex vobis: quare tam extremis suis doloribus adhuc extremum patiendi desiderium conjunxit? quare dolorum immersus abysso moriens queritur à siti sibi necem inferri? quare denique etiam mortuus, imò resuscitatus, resplendens & gloriosus in sanctissimo corpore suo voluit reservare vulnera sua? quare etiam toties millies quotidie Passionem suam ab initio renovari voluit, quoties in toto mundo Sacrificium Missæ offertur? quo novi isti collimant excessus, quàm ut nobis significent, illum toties de novo Passionem suam subire paratum esse, cùm in corde suo; sitim, desi-

Ps. 62. 5.

Amb. in Ps. 81.

desiderium & voluntatem ad omnes has mortes sufficientem, & pro omnium dolorum suorum exantlatorum multiplicato cumulo conservet? desideratisne argumenta clariora, ut cognoscatis, quàm verè apud illum copiosa fuerit nostra redemptio?

XVI. Interim ecce parvum quoddam immensorum debitorum nostrorum cum Christo contractorum compendium, quod ad tria reducitur capita: Redemptos nos esse per illum à servitute durissimâ: redemptos esse pretio superabundante? redemptos esse tam excessivi amoris modo. Jam verò in hoc ipso compendio vestrum est, considerare parumper, quanta sit vestra obligatio ex una parte, quantùmque ex alterâ parte eidem satisfaciatis: Charissimi, quid fecistis hucusque, ut parum aliquid pro hac summâ in solutum daretis? quid hucusque vicissim Christo retribuistis? Dicámne ego? gratiam ipsius pro quavis vilissimâ reculâ, nominis æstimatiunculâ & voluptaculâ commutâstis, in quavis furiâ sanctissimum Nomen ipsius in vanum assumpsistis, toties Sanguinem illum, quo à tantis maculis lavati sumus, corpúsque illud Divinum toties pro nobis oblatum blaspemâstis. DEUM immortalem! quoúsque Christianorum crevit perversitas, cùm plurimos illorum rogare oporteat, ut saltem eo, quem etiam ipsi infideles non abnuunt, JESU Christi Nomen honore afficiant? Audite ergo. Postquam vobis, licèt in compendio, immensas, quas habemus amandi, obediendi, honorandi Crucifixum Redemptorem nostrum obligationes demonstravi, non peto à vobis, ut in gratiam illius omnia vestra vendatis, pauperibúsque erogetis, quemadmodum primi solebant Christiani. non peto, ut derelictis domibus vestris in solitudinem secedatis, DEóque soli vacetis, tot, & tantorum Anachoretarum more: non exigo, ut quovis tormentorum genere sanguinem pro ipso profundatis, quemadmodum tot Sancti Martyres suum effuderunt. Hoc solùm peto, ut illum Christi Nomini exhibeatis honorem, qui eidem ab ipsis Turcis defertur, à quibus ejusdem violatores non relinquuntur impunes. Et hoc tam parum, ego à vobis non possim obtinere? An etiam imposterum Nomen Christi majori cum irreverentiâ, quàm ipsius Diaboli nomen appellare soleatis, usurpabitis? imò blasphemando, aut pejerando utrumque, Infernalis nempe proditoris, & Salvatoris nomen conjungetis? An adhuc omnes fraudes vestras, quas emendo & vendendo committitis, ne impostores videamini, omnes minas, quas vindictæ rabie intentatis, ut magnanimi habeamini, omnia etiam mendacia, quibus miseras fæminas decipitis, ne supplantatores vos esse credant, an, inquam, hæc scelera Sanctissimo Christi Nomine confirmabitis? Sanctus Joannes Chrysostomus dicit: nescire vos, quid sit DEUS, & quid sit Christus, cùm sine necessitate eum nominatis: cogitate jam, an sciatis, quid sit DEUS & quid sit Christus, quando tam sacrilegè ipsius Nomen usurpatis. Sola il-

lius

lius appellatio horrore vos replere deberet. *Nonne cùm DEUS nominatur, oportet horrere?* Attamen non horretis, DEUM injuriosis tractare verbis, quasi toti cœlesti Curiæ non incomparabilis videretur monstrositas, à misero terræ vermiculo tanti Monarchæ Nomen tam iniquè usurpari, quod omnes Sancti nonnisi cum sacro tantæ venerationis elogio, à Seraphinis edocti, audent proferre, dum priùs Sanctus, Sanctus, Sanctus; Deinde Dominus, denique DEUS exercituum ab illis nominatur. *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus, DEUS exercituum.* Sanctus Paulus protestatur se duorum Blasphematorum corpora Alexandri & Hymenæi Diaboli manibus tradidisse, ut infernalis istius carnificis operâ castigati, discant non ampliùs imposterum blasphemare. *Quos tradidi Sathanæ, ut discant non blasphemare.* Doleo, me non posse pluribus hujusmodi simili supplicio saniorem reddere mentem, præcipuè verò illis, qui postquam JESU Christi Sanguinem blasphemârunt, cùm linguam sibi præmordere deberent, adhuc, ut ita dicam, labra sua lingunt, séque excusant, iram hujus inconsideratæ locutionis causam esse. Quæ ira? quæ indignatio? O impudentes mortales! Si quis in sinum vestrum evomeret, séque deinde excusaret, se nauseâ stomachi laborare, an id æquo ferretis animo? Si stomacho langues, illi diceretis, quare te non vertis aliò? an tibi humus deest, in quam crebrarum tuarum crapularum illuviem exoneres? Perpendite igitur, an Christus extremo illo die consuetam execrandorum verborum vestrorum excusationem sit approbaturus, ex indignatione ea à vobis prolata esse: quasi non alius fuisset locus, in quem spurcam iram vestram, quàm in sanctissimum Sanguinem, lacerúmque & vulneratum JESU Redemptoris vestri corpus evomere potuissetis?

Is. 6. 3.

1. Tim. 1. 20.

XVII. Verùm discursum hunc, licèt utilissimum, relinquamus, fructum enim magis universalem prætendo. Desidero, ut immensam illam injuriam, quam infertis DEO, bene intelligatis, quotiescunque peccando vos ipsos DEO furamini, postquam tantò amoris excessu ab illo redempti estis. Sanctus Paulus existimavit, impossibile esse, hominem posse peccare, postquam morte Christi tantopere obligationes nostræ auctæ fuerunt, ut ideò, cùm dixisset, Christum in remissionem peccatorum nostrorum mortuum esse, potiùs dicere voluerit; Christum in remissionem peccatorum, Passionem suam præcedentium, quàm dicere, in subsequentium remissionem mortem obiisse: *In remissiones præcedentium delictorum;* quasi non crederet, post tantam passionem, aliquam ampliùs peccatorum speciem inveniri posse; talia monstra illi videbantur delicta ejusmodi! Et ut verum dicam, si quidquid Christus fecit, vel passus est pro omnibus hominibus, id pro uno solo homine fecisset, & passus esset, quid diceretur de hoc homine, si viveret (quemadmodum similes ei peccatores hodiedum vivunt) DEúmque pro te nihili offenderet, furore æstuans

Rom. 3. 25.

æstuans blasphemaret? Quid reliquum genus humanum non redemptum de tali diceret? Quibus verbis nefarii hominis ingratitudinem detestaretur? O quàm unumquemque puderet, sibi cum eo naturam esse communem, propter opprobrium, quod in omnes alios homines, licèt non approbatores, aut delictorum ipsius complices, redundaret! An igitur fortè minus vos DEO obligatos putatis, quia simul vobiscum etiam alios redemit? Magnopere hallucinamini, hoc enim ipso augetur beneficium, quia non tantùm vobis, sed etiam vestris collatum fuit, tum etiam quia unicuique vestrûm eâdem cognitionis, applicationis, singularísque affectûs plenitudine præstitum fuit, quasi solus esset in Mundo.

XVIII. Cur igitur non omnes sacro percellimini horrore, cum DEO tam ingratos, & injuriosos fuisse vos recordamini, quotiescunque unico solo actu immensæ obligationi, quâ illi obstricti estis, vos opposuistis? an imposterum audebitis peccatum existimare leve esse malum, iísque, à quibus reprehendimini, respondere, vos esse vestrûm ipsorum Dominos, ideóque etiam pro beneplacito vestro vitam velle agere? Vósne Domini estis vestrûm ipsorum, postquam à Christo, cujus propter creationem toti eratis, insuper infinito pretio, sicut audîstis, redempti estis? Cùm sit Creator & Redemptor noster, tale in nos omnes ipsi competit Dominium, ut si bonitas ejus non in contrarium illum inclinaret, posset propter merum potestatis exercitium non solùm omnem etiam minimam nobis voluptatem interdicere, non solùm maxima quævis irrogare supplicia; sed etiam si vellet, omnes compedibus vinctos, tanquam mancipia, sub terrâ in flammis tenere, omnémque lanienam, quasi vilibus cum pecoribus in macello, exercere. Et tunc verum erit, cùm rem præcipiat tam æquam, ut est amare illum, cùm res prohibeat tam faciles, ùt sunt verbi gratiâ, aliis non facere, quod sibi fieri quis nolit, adhuc tamen inveniri homines, à quibus tam Sacrosanctæ infringantur Leges, qui tam suave jugum ab humeris suis excutiant, dicantque cum iniquis illis: *Nolumus hunc regnare super nos!* Luc. 19. 14. Quis unquam possibiles crederet hujusmodi injurias, si non adeò essent communes?

XIX. Dicite mihi parumper: Si quis vobis parum id, quod ante aliquot dies in foro emistis, vi eriperet, an non statim aliorum opem pro abigendo fure flagitaretis: An non velletis, Magistratum pro defensione vestra armari? An non velletis, Judicem pro causa vestra conscendere tribunal, & an non omnium legum Patrocinium ad impediendum furtum puniendúmque imploraretis? & vos sufferetis JESUM Christum, qui corda vestra immenso Divinorum dolorum pretio comparavit, eorum irreparabilem facere jacturam, violentérque suâ extrudi possessione, ita ut nemo indoleat, reclamétque? absit hoc à vobis, absit. Et si nemo alius causam illius susci-

suscipit, ecce me, ego locò ipsius reclamo, ipsiúsque nomine contra vos turbatæ possessionis litem intendo, vobis apertè significo, vos non ampliùs
1. Cor. 6. 20. vestros ipsorum esse: *An nescitis, quia non estis vestri, empti enim estis pretio magno?* Quare si imposterum peccare vultis, alias quærite manus, quia quas habetis, non sunt vestræ; sunt JESU Christi, quæ ab ipso manuum suarum perforatarum vulneribus comparatæ sunt. Si infamem illam domum frequentare deinceps vultis, alios vobis ad eundum pedes procurate, quos enim habetis, Christi sunt, immensis pedum suorum transfixorum doloribus coëmpti. Si præterea indignam illam creaturam plus quam DEUM ipsum amare vultis, aliud vobis cor emite, quod enim geritis nunc in pectore vestro, non est ampliùs vestrum, sed est illius, qui amore vestri suum sibi crudeli lanceâ aperiri permisit, & pro immortali Dominii sui Testimonio, etiam in ipsa gloria sua apertas in sanctissimo corpore suo vulnerum cicatrices servare voluit. Verbo, si peccare vultis, alia membra, alium Mundum, alias creaturas vobis quærite; quæ contra DEUM vobis serviant: vestra enim membra, Mundus, omnésque creaturæ ad DEUM pertinent, quemadmodum & vos ipsi. *Empti estis, non estis vestri*: An non igitur hæc ratio vos convincit? Et in qua lege scriptum est, inquit S. Augustinus, hominem esse Dominum illius, quod pecuniâ suâ emitur, & DEUM non esse Dominum illius, quod Sanguine suo comparavit? *Non perdet homo, quod emit* In Psal.
auro suo, & perdet DEUS, quod emit 129.
Sanguine suo? Ah Charissimi, dicat unusquisque vestrûm cum Propheta: *Non dominetur mei omnis injustitia.* O DEUS, nunquam permittas, quæso, ut hanc tibi inferam injuriam, tuæque obedientiæ me subtraham. Necessitate Servus tuus sum, cùm sim creatura tua: sed quantum ex natura subjectus sum, tantùm etiam ex liberi arbitrii electione me tibi subjicio. Creâsti me, ut tuus sim, & propter hunc ipsum finem me redemisti; tuus ergo volo esse in æternum; in terris cum omnimodâ voluntatis meæ cum tua conformatione, in Cœlo cum perfecta transformatione.



DISCUR-

DISCURSUS III.

Tertius Dominii Divini titulus jam indicatus explicatur, qui fundatur in excellentia Divinæ Naturæ; & ex eo peccati lethalis enormitas colligitur.

I. MAgnæ admirationis materiam Politicis dedit benignitatis illius excessus, quâ Carolus V. Titiano Pictori celeberrimo assistens, dum quandam pretiosarum imaginum suarum coloribus efformabat, delapsum penicillum è terra incurvatus sustulit, idque victoriosâ illa manu, quâ totum Christianum orbem frenabat, artifici suo porrexit. Ego verò in hoc facto non solùm tanti Monarchæ, licèt admirabilissimam, stupeo benignitatem; sed insuper imperium illud admiror, quod quævis singularis excellentia habet in hominum corda, ita ut etiam Populorum & Urbium domitores sibi subjiciat, omniúmque Orientis & Occidentis Regnorum simul unitorum Principes obsequentes habeat. Verè equidem hæc est illa basis, cui omne naturale Dominium stabiliter innititur, naturæ nimirum Excellentia. Quare res parvas videmus servire majoribus, irrationales rationalibus, inferiores superioribus. Sic elementa serviunt plantis, plantæ animalibus, animalia homini, & intra ipsam humanam speciem mulier, quasi minùs perfecta, obedit viro, quasi individuo magis perfecto & completo. Quod si ita est, quâ DEUS afficietur injuriâ à peccatoribus, qui illi se subjicere recusant, cùm DEUS infinities omnibus creaturis sit Superior? Regius Propheta David præ Zelo quiescere non poterat, ideoque attonitus intra se dicebat: *Nonne DEO subjecta erit anima mea? nam & ipse DEUS meus.* Quasi vellet dicere: quomodo est possibile, ut DEUS, qui distantiâ immensâ meæ superat perfectiones naturæ, non debeat esse Dominus meus, cùm ego sim Dominus animalium, quæ tamen in natura unico à me superantur gradu? hæc igitur invincibilis ratio, suprà citatis verbis expressa, necessariò me cogit, hodie de magnitudine DEI verba facere, ut argumentando de infinita Divini Dominii supra nos excellentiâ, hac viâ, quæ est maxima, injuriam agnoscamus, quæ peccando illi infertur.

Aristot. pol. 3.

Psal. 61. 10.

II. Verùm cui mari me committo, Charissimi, cùm de DEO discurrere vobis promitto? Epictetus magni nominis Philosophus, interrogatus à discipulis, quid esset DEUS? tam oppositum illis dedit responsum, quale vix unquam ab antiquorum Sapientum ore prodiit. Respondit illis: si vobis possem dicere, quid sit DEUS, aut DEUS

non esset DEUS, aut ego essem DEUS. Equidem solus DEUS potest dicere, quid ipse sit, sed non nisi sibi dicere potest, licèt enim totam suam comprehendat magnitudinem, tamen ideò non potest omnem nobis explicare, non propter potentiæ suæ defectum, sed propter Majestatis superabundantiam. Quamobrem quid de hac increata luce vobis potero dicere, cùm omnes hujus mundi sapientes de ea infinities minùs intelligant, quàm minima formica de sole nostro cognoscat; Encomia nostra, inquit S. Ambrosius, quamvis illius deprædicent magnitudinem, non sunt aliud quàm injuriæ, quas ei inferimus; & cùm illum omnibus rebus majorem extollimus, quò magis præferendo honoramus, tantò magis comparando injuriam illi facimus.
Lib.5.de fid.c 9. *Domine si te majorem omnibus dixero, injuriose te tuis operibus comparavi.* Nihilominus necessariò mihi aliquid dicendum est, ut etiam vos aliquid de DEO cognoscatis; quandoquidem ex ejus ignoratione omne in Mundo malum exoritur; quemadmodum dixit Christus Apostolis, calamitatum ab ipsis ferendarum causam reddens, quamvis Legati ipsius futuri essent:
Joan. 16. 2. *Hæc facient vobis, quia non noverunt patrem, neque me:* quamvis flammæ extremitas non possit attingere Sphæram suam, non tamen ideò omnem omittit conatum, ut ad illam se moveat. Ita & nos, si de DEO loqui non possumus, uti deberemus, saltem loqui debemus quantum possumus. Tantò magis, quia Sanctus Propheta David modum docet, quo etiam Idiotæ aliquid de magnitudine DEI intelligere possunt. *Quantam non cognovi literaturam*, inquit, *introibo in potentias Domini.* V. Geneb. apud l. Blanc. in Ps. 70. vers. 16. Quasi diceret: quia Scripturas Divinas profundè non intelligo, nec abscondita, altáque Theologiæ mysteria mihi nota sunt, DEUM tamen Creatorem meum, sicut alii faciunt, cognoscere desidero, quid mihi agendum? hoc nimirum; considerationi ipsius omnipotentiæ me totum impendam, singillatímque magna ejus opera perpendam, adeóque aliquo modo artificem ex labore suo cognoscere potero. Quare & nos hunc modum sequemur, & cum sancto Rege hanc omnipotentiam, primò in ordine ad creaturas actuales ab ipsa productas, & deinde in ordine ad possibiles admirabimur.

I.

III. Quamobrem, Charissimi, imprimis totam terræ vastitatem, totámque cœlorum immensitatem vobis repræsentate: cœlos tot stellis plenos, terram tot plantis, marmoribus, metallis, tot feris, támque diversis refertam creaturis contemplamini, deinde totam hanc machinam ex nihilo factam esse considerate. *Ex nihilo fecit illa DEUS.* 2. Mach 7. 28. An non solùm istud vos replet admiratione? Moyses ex arida petra in deserto aquæ rivulum elicuit; cùm mox aliquot centena hominum millia ad hanc petram turmatim accurrunt, non tam, ut desideratis aquis sitim extinguant, quàm ut tanti prodigii intuitu satient curiositatem. Verùm quale foret prodigium non fonticulum ex silice, sed totum universum

ex

ex nihilo educere? Si vobis dicerem, solem, antequam esset sol, fuisse arenæ granulum, illúdque à DEO ad tantam effectuum magnitudinem, adeóque illuminatum esse, quemadmodum ingentem hunc planetam conspicimus, quis vestrûm ad talia nova attonitus non hæreret? An ergo parùm vobis videbitur, cùm dico, DEUM non tantùm solem, sed reliqua omnia ex nihilo fecisse? Inter esse, & non esse, tam magna est distantia, ut sit infinita, ideóque scire oportet, majorem potentiam ad arenæ granum è nihilo producendum requiri, quàm è grano arenæ ad omnes cœlos faciendos, inter granum arenæ quippe & inter cœlos est aliqua proportio, cùm sint sub eodem creaturarum genere, habeántque qualitatem aliquam inter se communem: sed inter illud, quod est, & illud, quod non est, nulla omnino est proportio, adeóque semper inter illa est immensum, & infinitum Chaos, quod non ab alio, quàm ab immenso & infinito impleri potest. Quàm magnus est igitur DEUS noster, cui pro fodina inexhausta ipsum nihilum servit? *Ex nihilo fecit illa DEUS.* Omnes mundi Monarchas provoco, ut solùm pulvisculum nihilo producant: certus sum eos omnibus viribus suis impensis nihil effecturos. *Ex nihilo nihil fit:* Commune est inter illos axioma. DEUS autem noster ex nihilo totum Universum adeò vastum extraxit, quis hoc capere potest? Elevate oculos, & de nocte cœlum stellatum intueamini. Hoc Cœlum, ut sciatis, tam amplum est, ut in circuitu suo mille septendecim milliarium milliones comprehendat; & nihilominus communis est sententia, Cœlum Empyreum, quod est Beatorum sedes, tantò majus esse cœlo stellato, quantò istud corporibus inferioribus majus est: quare ad describendam, tam felicis hujus Regni vastitatem, Scriptura non utitur mensurâ, sed exclamatione. *O Israël, quàm magna est Domus DEI, & ingens locus possessionis ejus! magna est, & non habet finem.* Tam magna est illa pulcherrima patria, ut terminis carere videatur. Attamen etiam ipsa ex nihilo facta est, & sicut ex nihilo facta est, ita pariter à tot sæculis supra nihilum fundata pendet, sicut etiam orbes minores, qui infra illam rotantur. An non similiter hoc summæ potentiæ opus est? Omnes totius mundi architecti non possent arte suâ efficere, ut passerum nidus ex se in aëre pendulus maneret. At Creator noster immensam omnium orbium cœlestium machinam novit supra nihilum appendere. Ut taceam de terra, quæ licèt respectu sphæræ supremæ non habeat, ut ita dicam, quantitatem sensibilem, sed sit quasi centrum respectu immensæ circumferentiæ, nihilominus in circuitu suo viginti sex milliarium millia comprehendit. Et hanc etiam, ut Job loquitur, DEUS supra nihilum suspendit. *Appendit terram super nihilum.* *Ricciol. Almag. l. 2. c 7.* Quàm magnam igitur oportet esse essentiæ Divinæ perfectionem, cùm tam magna sit ejus potentia? *Quoniam non cognovi literaturam, introibo in potentias Domini.* *Job. 20. 7.*

V. Verùm quod ampliùs est, DEUS no-

noſter tam magnus eſt Dominus, ut non ſolùm ex nihilo omnia creare poſſit, ſed etiam omnia in nihilum reducere; cùm creaturæ omnes ſimul ſumptæ, ne quidem unum atomum annihilare queant. Milonem Crotoniatem tantarum ajunt fuiſſe virium, ut equum tibiis ſuis ſtringens exſpirare coëgerit. Sed quid diceretis, ſi tantâ præditus fuiſſet fortitudine, ut durum lapidem manu apprehenſum, ſolùm ſtringendo, totum in minutum reduxiſſet pulverem, eúmque quaſi farinam ſparſiſſet per aërem? Nihilominus hoc in aërem ſpargere, non eſſe annihilare. Sed conſiderate quæſo, quàm potens ſit brachium DEI, quòd ſtringendo non ſolùm in pulverem, ſed in nihilum, non dico unum lapidem, non dico aliquem montem, non dico totam terram, ſed omnes ſimul res creatas reducere poteſt. *Poteſt univerſum mundum uno nutu delere.* Nemo ignorat, plus ad exſtruendum, quàm ad deſtruendum requiri. Atque ſic etiam ex hoc oſtenditur, quàm debilis ſit Principum hujus mundi potentia; plus enim illam terras deſolando, & deſtruendo, quàm ædificando demonſtrant. Quotidie ſiquidem videre licet, quàm debiles ſint Regum vires cùm plus deſtruant, quàm ædificent. Quid requiritur ad gerendum bellum? Requitur, reſpondit magnus quidam Belli-dux, hominum torrens, pecuniæ & bellici commeatûs torrens. Hæc hominibus neceſſaria ſunt, ſed non DEO. Ille æqualiter eſt omnipotens, ſive ædificet, ſive deſtruat, omnia unico nutu annihilare poteſt. *Poteſt univerſum mundum uno nutu delere.*

S. Thom. 3. p. q. 13. art. 2. in c.

2. Mach. 8.

Bttin. in ſolat.

V. Et hæc eſt una ex notabiliſſimis ipſius in operando circumſtantiis, operari ſcilicet abſque inſtrumentis. *Ecce DEUS excelſus in fortitudine ſua.* Non, *in alienâ* ſed, *ſuâ.* Videte quæſo quot, & quantis opus ſit inſtrumentis pro domo ædificandâ, pro mole aliquâ in ſublime evehendâ, pro turriculâ multilaterâ ad habendam lucem fornici imponendâ! Attamen non pudet, homines Principibus potentiſſimorum titulo adulari, cùm tantis opus ſit operis, ut paucorum palmorum lapidem aliquot cubitis ſupra terram extollant. Sed ut nihil dicamus de vetuſtis ſæculis. An non ille ætatis noſtræ architectus, qui ſingulatim omnes machinas, modos & inſtrumenta typis expreſſit, quibus ſub Sixto Quinto Romæ in foro Sancti Petri ad erigendum pulchrum illum Obeliſcum uſus eſt, dum arti ſuæ panegyricum componere voluit, humanæ potiùs debilitati Satyram texuit? Quadraginta machinas tractoritas adhibuit, ſeptuaginta quinque equos, quatuor lignorum ſtrues, integram quaſi trabium ſylvam, integram operarum gentem, quæ omnia ad clangorem tubæ ad dictæ molis elevationem viribus ſuis conſpirârunt. Et cur hi tanti ſumptus? ut ſolùm Pyramidem illam loco moverent, & in ſublime erigerent, donec ſupra baſin ſuam quieſceret. Cùm DEUS noſter ſine mediis, abſque operis unico verbo res infinitè majores efficiat.

Job. 36. 22.

Fontana apud Kirch. de Obeliſc.

efficiat. Faciamus aliquid, congregemus omnes ſimul exercitus, quotquot huc usque in terris militârunt, dicamúsque illis, ut tentent unicam plumam in pavimento jacentem unico verbulo ſuo parumper movere. Etſi omnes homines poſſibiles ſimul congregaremur, in æternum illam verbo non moverent. Quid verò DEUS unico verbo movere non poteſt? Antè vobis dixi, quanta ſit totius cœli ſtellati machinæ, & tamen à ſex mille annis usque huc continuò rotatur hæc machina tanta cum rapiditate, ut quædam ſtellarum in magna illa rota comprehenſarum quavis horâ quadraginta duos milliarium milliones conficiat, quod eſt itineris ſpatium adeò notabile, ut ſi ingens lapis æqualiter decidendo illud metiri deberet, vix intra viginti duos annos, & medium compleret. Et tamen ab illa ſtellâ intra unicam horam conficitur. Quis autem ad motum adeò celerem vires ſuppeditat? Nimirum Spiritus DEI noſtri, qui tantùm dicit, vade. *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris omnis virtutis eorum.* Quomodo ergo audent homines coram DEO gloriari, aut quare ex omnipotentia illius non argumentantur, quid ſit DEUS?

vid.
lav. in
hæ.
ſ.32.6.

VI. Tartarorum Reges in coronatione ſuâ hac, neſcio, magis an ſuperbâ an ſtultâ utebantur cæremoniâ: Enſem è latere diſcingebant, eúmque projiciebant, addentes: impoſterum halitus meus mihi pro enſe ſerviet. Sed veriſſimum eſt, potentiam humanam, nunquam meliùs demonſtrare debilitatem ſuam, quàm dum ad ſe extollendam in pedes ſe erigit. *Superbia ejus plusquam fortitudo ejus.* Iſ.16.6. Et quid poteſt homo efficere ſpiritu ſuo? *Spiritu oris ſui?* Sapienter locutus eſt joculator ille ſemiſtultus, quando Philippo Secundo minitanti in rem imperatam exequeretur, reſpondit: quid faceret Majeſtas veſtra, ſi omnes ſubditi ſui uno animo, & ore dicerent, ſe nolle imperata exequi? Simplicibus ſiquidem hiſce verbis magnam ille oſtendit veritatem; Magnates ſcilicet hujus Mundi reipſa nihil præſtare poſſe, qui nihil ex ſe ipſis poſſunt. *In fortitudine ſua,* ſed ſolùm opem ferentibus aliis. Quamvis etiam magnæ virtutis eſſet aliis perniciem inferre, quid quæſo ſingulare prædicatur de Alexandro Magno, de Cyro, de Cæſare, quando dicitur, integros ab illis deletos eſſe exercitus, aut plusquam decies centies mille homines internecioni datos, quemadmodum quidam illorum olim gloriabatur? non ipſe, ſed milites illorum tantam edidêre ſtragem: Siquidem illi, qui Duces tantùm erant & inermes ex ſe ipſis, minorem aliis potuiſſent incutere tremorem, quàm unica ſola aſpis, Solus DEUS tantum per ſe facit, quantum faceret cum aliis. *Quis adjuvit ſpiritum Domini?* Iſa.40. 13. Et licèt etiam ſæpiùs aliis utatur, nolite putare, quòd ideo faciat, quaſi operâ illorum indigeat, ſicut fabro ferris, aſciis, aliiſque ferramentis opus eſt: ideo utitur creaturarum operâ, ut etiam illis virtutem ſuam communicet. S.Tho.1. p. q. 22. ar.4. & q.103. art.6.

VII. Sed

VII. Sed fortaſſe ad res adeò magnas, à ſe ſolo factas plura DEUS impendit ſæcula; minimè: omnia unico facta fuerunt momento. Inter homines quò majorem machina aliqua habet movendi virtutem, tantò minùs illi ineſt velocitatis, adeòque virtutem tarditate compenſat. At: *ſtellæ* Bar. 3. 35. *vocatæ ſunt, & dixerunt: adſumus*, reſpondet ad hoc Propheta Baruch. Ne quidem unicum dilationis inſtans inter Creatoris mandatum, & creaturarum obedientiam elapſum eſt. *Dixit & facta ſunt.* Fingite vobiſcum, à DEO vos priùs creatos eſſe, antequam alia produxerit; ideòque cùm adhuc in denſiſſimis ſepulti eratis tenebris, ex improviſo hanc per aërem inſonuiſſe vocem: fiat Lux: Si in cœlo Solem adeò pulchrum, qualis eſt hic noſter, cujus luce fruimur, ſubitò exſurgere vidiſſetis, quid quæſo hoc attoniti ſpectaculo dixiſſetis? Ecce corpus adeò vaſtum, quo centies ſexagies ſexies terrenus hic noſter impletur Mundus, unico inſtanti productum & perfectum! quod ſi hoc corpus ab aliquo aurifabro ordinario tantùm ſuperficie tenus circum circa deaurandum eſſet, quantus hic foret labor? quot exhaurirentur aurifodinæ? quantum inſumeretur temporis? Attamen illud in momento è nihilo extraxit Creator, nec tantùm deauravit, ſed ex auro fecit, imò ex auro omni alio pretioſiore efformavit, quod eſt ipſius Lux fulgidiſſima. An non igitur cauſam habet Sapiens invitandi nos, ut ex hoc opere magnitudinem Factoris ſui intelligamus? *Magnus Dominus, qui fecit illum.* Eccl. 43. 5. Sed quid dixiſſetis, ſi ſtellæ unà cum ſole vocatæ in momento comparuiſſent, cúmque ſtellis planetæ, nec non cum planetis terra noſtra tantis veſtita herbis, floribus, fructibus, diverſiſque arboribus, tot & tantis coronata montibus, tot & tantis tam domeſticis quàm ſylveſtribus repleta animalibus, tot diſtincta fluminibus, tot irrigata fontibus, támque profundo & interminato circumdata oceano ſe oculis veſtris obtuliſſet? & tamen ita ſe illorum habet productio. Omnia hæc pro exiſtentiâ ſuâ non plùs requirebant temporis, quàm tantillum, quo, caſu quo vocata fuiſſent: reſpondiſſent: Ecce nos. *Vocatæ ſunt & dixerunt: Adſumus.*

VIII. Nec mihi imaginor, aliquem ſuſpicari, tot & tantis operibus producendis Divinam potentiam defatigatam fuiſſe. Quid enim de illâ dicit Propheta? *Extendit velut nihilum cœlos*, inquit. Iſa. 40. 22. Quia cœlos & quidquid in illis continetur, creare, eſt DEO quaſi nihil facere; id eſt; minùs defatigatur, quàm qui nihil agit, ſed quieſcit. Quam moleſtiam ſentire poteſt magnus ille Dominus, qui in operibus ſuis non manu, ſed linguâ utitur? *Nulla DEO ineſt difficultas*, inquit Sanctus Hilarius, *cui ſubeſt totum poſſe, quod loquitur.* In c. Matth. Et quod amplius eſt, verbum ipſius non eſt verbum volans, quemadmodum noſtra ſunt, ſed eſt permanens, ideóque poſt ſexcenta ſæcula jam elapſa adhuc durat. *Verbum Domini manet in*

in æternum. Hinc est, quod DEUS linguam suam pennæ comparet. *Lingua mea calamus scribæ,* quia, inquit Sanctus Augustinus, quando Creator loquitur, non loquitur vento, sicut homines, sed stabiliter etiam nihilo sua verba imprimit; ita ut primum illud fiat post sexies mille annos jam elapsos adhuc audiatur à cœlis, qui in motu suo constanter perseverant. Eodem modo audiuntur ab elementis, quæ compositioni mixtorum pergunt deservire; audiuntur à mari, quod inter fines suos se continet; audiuntur à terra, quæ immobilis sine fulcro perseverat: Audiuntur à tam diversis herbarum, plantarum, piscium & avium speciebus; audiuntur denique ab omnibus totius universi creaturis. *In æternum* Domine, verbum tuum permanet in Cœlo, fundâsti terram, & permanet: ordinatione tuâ perseverat dies.* Quàm magnus igitur Dominus est DEUS noster, qui unico verbo ex nihilo totum, & tam ingentem Mundum & producit, & tam diu sustentat, ne in antiquum suum nihilum reducatur? *portat omnia verbo virtutis suæ.* De ipso dici potest, quod halitu utatur pro gladio: sed sine enormi mendacio dici non potest, Reges terræ eodem tantum efficere posse: quantum gladio; non enim, quotquot regnârunt, omnes simul juncti, & adhuc usque ad Mundi finem regnabunt, ne quidem uno verbo filum paleæ in aëre suspensum servare possent. *Quoniam,* ergò, *quoniam non cognovi literaturam, introibo in potentias Domini.*

IX. Quòd si ex servorum & militum numero Dominii Divini magnitudinem inferri velitis, considerate, quanta sit ipsius aula, quantique exercitus. Inprimis ipsius ad obsequium & stipendia omnes insensibiles parent creaturæ, & si jubet, promptissimæ sunt ad illum defendendum; eique obediendum. *Uno DEO, imperatorem minorem putamus,* dicebat Tertullianus; nihilominus omnes mundi hujus Imperatores, licèt adorentur à populis, timeantúrque à potentibus, ne quidem uni roris guttæ præcipere possunt, ut cæsaries suas revereatur, ne madefaciat. Quamobrem Canutus Angliæ Rex inter omnes alios fuit sapientissimus, qui, dum in littore maris ambulans à quodam milite potentissimi titulo salutaretur, ut adulationem corrigeret, imperavit undis illis, ut quamprimum quiescerent. Illæ autem non solùm non steterunt, sed altera alteram trudens more solito cursum suum continuârunt, & quia easdem nimis propè accesserat, à fluctibus insigniter madefactus est. Tunc Rex ad militem conversus, vide, inquit, quàm ineptè me potentem appelles? non est alia quàm DEI Altissimi potentia. Ita est, ideoque jure merito vocatur DEUS: *Solus potens*; ipsi enim soli, sicut præcipit, omnes parent creaturæ, ipsíque soli serviunt. *Ipse est omnipotens super omnia opera sua.* Adeoque quando ille jubet, mare se dividit, se elevat & sistit, quemadmodum fecit cum populo Israëlitico; ignis refrigerat, sicut experti sunt Adolescentes in fornace babylonicâ; Sol aut retrocedit,

Marginalia: Ps. 118. — Polyd. l. 7. — Eccl. 43. 29.

cedit, ſicut per Ezechiam retrocedere juſſit; aut non movetur, ſicut per Joſue illum ſtitit; terra non eſt ampliùs ſolida ad ſuſtinendos inimicos illius, quemadmodum expertus eſt Core cum ſociis; aër quoque ſolidatur ad amicos illius ſuſtinendos, quemadmodum innocentes ejuſdem ſcelerati Core filios abſque fulcro in alio pendulos ſervavit. *Factum eſt grande miraculum, ut pereunte Core, filii illius perirent.* Num. 26. 11.

X. Neque vobis perſuadeatis, licèt tot creaturæ in ſe, & erga nos ſint inſenſibiles, ideò quoque erga DEUM inſenſibiles eſſe, non eſt ita, inquit Sanctus Hieronymus. *Quæ apud nos ſunt inſenſibilia, Majeſtate Conditoris illi ſenſibilia ſunt.* Hoc modo ſcimus, Chriſtum non ſolùm imperâſſe vento, ut ceſſet moleſtiam faceſſere Diſcipulis, ſed etiam illi minatum eſſe. *Et comminatus eſt vento:* ut magnum DEI Dominium intelligeremus, quod tenet in creaturas, quibus licèt pœnæ incapacibus, minas intentat, & ab illis, quæ ſenſu carent, ſentiri poteſt, eaſque exterret, quæ animâ deſtitutæ ſunt. Si igitur ſciretis, quo zelo omnes creatæ pro honore DEI ferantur, profectò timeretis peccare; timeretis, ne domus illa corruens vos opprimeret; ne canis veſter fruſtratim vos dilaniaret, & ne omnes campi & ſylvarum beſtiæ unanimiter vos invaderent: omnes enim creaturæ, ut dicit Sanctus Thomas, in fundo eſſentiæ ſuæ fortem quandam inclinationem ad Creatoris ſui injurias vindicandas impreſſam gerunt. *Naturaliter eſt inſitus cuilibet naturæ appetitus vindicandi injuriam Creatoris.* Unde ſi ſolus DEUS illas non retineret, omnes furiis actæ in peccatorem rebellem inſurgerent, eúmque occiderent. Quod ſi talis appetitus creaturis etiam inſenſibilibus impreſſus eſt, facilè credere licet, tantò magis ſenſibilibus innatum eſſe. Nullus Imperator unquam fuit Dominus alicujus culicis, ita ut illi imperare poſſet, ne murmure ſuo ſomnum ſibi abrumperet. Et hæc fuit cauſa, quare DEUS, cùm Pharaonis proterviam caſtigare vellet, non illam Leonibus & Tigridibus, ſed Locuſtis & exilibus muſcis puniverit, ut ſuperbus Rex, cùm ne quidem tam vilium muſcarum unica illi obediret, potentiæ ſuæ infirmitatem cognoſceret; econtra verò cùm videret ingentem vilium iſtorum animalculorum volatilium turmam DEI nutu contra ſe unius horæ ſpatio congregari, addiſceret, quàm magnus ſit ille Monarcha, qui ea deinde, quando ei lubitum eſſet, aut turmatim vocare, aut penitus diſſipare poſſet.

In c. 8. Matth.

Marc. 4. 39.

Conc. in Dom. 2. Ad

XI. Verùm hoc parum eſt. Abſque comparatione multò majores ſunt potentiſſimi exercitus, quibus imperat DEUS noſter. Elevate oculos, eóſque ſuprà in cœlo empyreo caſtra metantes aſpicite. Ingens illa militum copia à Xerxe Rege Perſarum coacta Mundum in admirationem rapuit, quæ tanta fuit, ut ubi ad ripam fluminis incurvi biberent, illud exſiccarent, terrámque in qua caſtra metati quieſcebant, omnino devaſtarent.

ſtarent. Sed audite: **unus Angelus** ſolus tam formidabili exercitui oppoſitus, totum citiùs, quàm intra unius horæ ſpatium deſtrueret, ut ne quidem unicus maneret ſuperſtes, qui hujus internecionis nuntium referret. Horum verò Angelorum tam immenſum DEUS habet numerum, ut hominibus impoſſibile ſit illo-
b. 25. rum calculum ponere. *Nunquid eſt numerus militum ejus?* inquit Job. Nihilominus aliquid vobis indicabo, ut intelligatis, quàm verè deſipiatis, cùm DEUM peccato offenditis. Præſupponite igitur ab illo tempore, quo Mundus creatus fuit, omnes homines, qui fuerunt & adhuc ſunt, ſummam triginta millium millionum attigiſſe, quæ tamen veroſimiliter infra verum eſt. Hoc poſito aliqui viri Sancti exiſtimant ab Angelis nonagies novies omnes homines numero ſuperari. Hujus ſententiæ videntur eſſe Sanctus Ambroſius, Sanctus Cyrillus, Sanctus Eucherius, Sanctus Gregorius, Sanctus Hilarius, éſtque fundata in parabolâ à Chriſto de bono Paſtore relatâ, qui relictis nonaginta novem morigeris, hoc eſt Angelis in cœlo, unam aberrantem & profugam ovem quæſivit. Secundùm hanc ſententiam, ſi homines, qui hucuſque vixerunt, numerum triginta mille millionum conficiant, Angeli ad minimum tres millionum milliones efficient. Conſiderate ergo, quàm magnus ſit ille Dominus, qui ſub ſignis ſuis tres numerat exercitus, quorum unusquisque millionem millionum continet militum. Nihilominus hic numerus multò minor eſt illo, de quo ſcribit Sanctus Dionyſius, qui tanquam Sancti Pauli Diſcipulus aliquid certius ſcire potuit, poſtquam Apoſtolus ipſe raptus in Cœlum arcana plurima cognovit. *De cœleſt. Hierarch. c. 9.* Quare vel Magiſtri ſui auctoritate, aut ſcientia ſua eminentiore innixus aſſerit, plures eſſe Angelos, quàm ſint omnes herbæ, quàm omnes flores, quàm omnia folia, quàm omnes cœli ſtellæ, quàm cunctæ maris arenæ, verbo, plures quàm omnes res aliæ creatæ. Ita in quodam ſermone explicat Sanctus Bernardinus, *Tom. 4. ſerm. 49.* & rationi conſentaneum viſum eſt Sancto Thomæ, qui aſſerit à ſub- *1. Th. 1. p. q. 10. art. 3.* ſtantiis immaterialibus, hoc eſt Angelis, incomparabiliter omnes ſubſtantias materiales multitudine ſuperari. Quod etiam à loco, in quo creati ſunt, deduci poteſt, hoc eſt à cœlo empyreo, quòd ſecundùm certam quandam computationem, ſummariè factam, trigeſies mille ducentis duobus millionibus millionum totâ terrâ longè majus eſt. Sed quis credet, tam immenſam habitationem pro paucis factam eſſe incolis? Æquum eſt credere, quòd quantum orbis ſupremus magnitudine ſua ſuperat orbem terraneum, tantum hujus terræ habitatorum numerum cœleſtes incolæ excedant. Quare, ſuppoſito, fuiſſe hucuſque hominum triginta milliones, ſequeretur Angelicorum exercituum triginta mille milliones eſſe, quorum ſinguli triginta mille milliones militum contineant. Atque hæc tam ingens multitudo

 tota

tota pendet à nutu DEI nostri, hæc unico verbo ex nihili abysso extracta fuit, & hucusque tota etiam verbo conservatur, ne in nihilum reducatur. An non igitur magnus vobis videtur Dominus DEUS noster, si à potentia ipsius, ut æquum est, ejus, magnitudinem colligere debeamus?

II.

XII. Nihilominus quidquid hucusque dixi, scitote nihil esse in comparatione illius, quod adhuc mihi dicendum remanet. Amplius intremus potentias Domini. *Introibo in potentias Domini.* Consideremus omnipotentiam Divinam non tantùm unam potentiam, sed infinitas pro omnibus rebus possibilibus creandis continere potentias. Quod est secundum hujus sermonis punctum. Adeoque activitatis illius Sphæra ad omnium locorum immensitatem, ad omnium temporum æternitatem, & ad infinitas rerum omnium, quas producere vult, essentias se extendit.
Sap. 12. 18. *Subest enim illi cùm voluerit posse.* Posset itaque à DEO creari alius Mundus tanto major, ut quævis atenula in illo vastior esset, quàm hic Mundus noster creatus, tantóque melior, ut infima illius creatura perfectior esset, quàm nunc est perfectissimus Seraphinorum. Et postquam hunc talem Mundum condidisset, posset adhuc alium tertium creare, à quo secundus, sicut secundus à primo superaretur. Neque propterea exhausta & debilitata foret DEI potentia; sed per centum annorum milliones omni momento mundum altero meliorem creare posset, qui virtute suâ omnes reliquos infinitâ præstantiâ contineret. Insuper omnes hos mundos innumerabiles unico voluntatis actu, sicut creavit, ita quoque in nihilum reducere posset, & deinde unico quoque voluntatis actu posset eos reproducere? nihilominus tanta hæc opera omnipotentis brachii fortitudinis essent quasi jocus, & in veritate diei posset, eum, postquam tantas & infinitas eduxisset moles, ne quidem loco motum fuisse. *Quis non timebit ô Rex gentium!* Si propter omnes creaturas jam productas timendus non esses, an non omnia possibilia, à quibus infinities superantur creata, timorem nobis incutere deberent? Et tamen hæc sunt verissima. *Multa abscondita sunt, majora his: pauca enim vidimus operum ejus.* Eccl. 43. 36.

XIII. Quare adhuc profundiùs inexhaustam illam Divinæ omnipotentiæ fodinam admirandis duabus propositionibus intrabo; ad eas ut mentem advertatis, rogo. Prima est, DEUM nullâ ex omnibus his possibilibus, multò minùs aliquâ ex jam productis indigere. Secunda est, illis etiam productis non fore majorem. Quare hunc vobiscum casum fingitote. Ex unâ parte Sanctum Michaëlem omnium Angelorum primum ponite, ex alterâ parte lumbricum omnium vermium vilissimum locate. Deinde cogitate primâ diei horâ à DEO creari Angelum tantò perfectiorem Sancto Michaële, quantò Sanctus Michaël perfectior est lumbrico.

brico. Postea secundâ ejusdem diei horâ aliam creaturam producat DEUS secundâ tantò perfectiorem, quantò secunda perfectior erat Sancto Michaële. Horâ tertiâ eadem cum proportione creet aliam, aliam quoque horâ quartâ, aliam horâ quintâ, & sic consequenter per unius annorum millionis spatium. In hoc casu certissimum est, cùm in uno annorum millione numerentur octies mille septingenti sexaginta sex horarum milliones, DEUM octies mille septingentos sexaginta sex pulcherrimarum creaturarum milliones creâsse, quorum unaquæque infinitâ præeminentiâ omnium aliorum pulchritudinem contineret. Quis igitur concipere poterit, quàm perfecta & admirabilis illa ultima creatura futura sit? nihilominus nullâ earum indiget DEUS, nihilque eam creando acquireret, nec destruendo illam quidquam perderet. Homines cùm sint pauperes, licèt ob plures, quas possident facultates, videantur divites, etiamsi parum quid perdant, nihilominus alicujus rei notabilis jacturam faciunt. Unde communis est Doctorum sententia, Regi nummum aureum auferre, furtum esse notabile; tam parum enim magno Domino contra voluntatem suam auferre, est satis multùm tollere. Ex altera parte licèt aliquis tam excessivum tot mirandarum creaturarum, ut suprà diximus, auferret numerum, DEO nihil decederet. Et hæc causa est, cur, cùm possit omnes unico voluntatis actu creare, eas non creet, quia illis non indiget, *Tu Domine universorum, qui nullius indiges.* 2. Mach. 14. 25. Eodem modo, quia jam creatis non indiget, tot ex illis perire permittit. An ignoratis, quid faciant Principes, quando mutantibus anni temporibus pedissequorum mutant amictus, aut cubiculorum suorum aulæa? omnia in vestiarium diligenter deponi jubent, ut suo tempore denuo uti possint, & quamvis aliquando videri velint, se illis non indigere, propriè tamen ostentatio est à veritate aliena. Romæ opulentissimus quidam Dominus, cùm plures magni nominis viros domum suam ad convivium invitâsset, omnes lances argenteas per fenestras in Tyberim ipsius Palatium alluentem projici jussit. Sed quîd hoc? erat jam in fundo extensum rete tam largum, quàm res poscebat; quo finitis epulis omnis illa argentea suppellex Domino suo comprehensa restituebatur. Non ita facit DEUS. Ille universam terram viridi vestit togâ, omnésque plantas & arbores frondibus operit vere inchoante; Hyeme verò jam appropinquante, omnem illum apparatum abjicit, totúmque marcescere permittit, ut novis temporibus alium planè novum fieri jubeat. De Vasis denique, non dicam argenteis, sed aureis, tam parum solicitus est, ut ne quidem unum solum ex tot & tantis non in aquas, sed simulatâ jacturâ, in ignem projectis, repiscari dignatus fuerit. Quid intendo dicere? An ignoratis, cujus pretii & laboris sit unius Angeli productio? Et tamen tertiam illorum partem DEUS præcipitavit ad infer-

fernum, nec ad hoc tempus commotus est, nec unquam commovebitur, ut vel unum ex illo mari flammeo extrahat. Sed quare hoc? Ut omnes intelligamus, illum nullius indigere, & omnes quotquot sumus, esse inutiles ipsius servos. *Nullius indiget, servi inutiles sumus.*

Luc. 17. 10.

XIV. Altera maximi momenti veritas est ipsum cum omnibus rebus creabilibus nihilo majorem fieri, adeò, ut posita DEO solo ab una parte, & ex alterâ omnibus creaturis possibilibus, DEUS cum omnibus creaturis nihil esset amplius, quàm quod per se est solus. Ratio est, quia quemadmodum observabat Sanctus Thomas, *id quod est per essentiam tale, non potest fieri majus, addendo illi aliquid per participationem tale.* Ponite ex unâ parte fornacem ingentem, ex altera parte tantillum aquæ, quæ calore hujus ardentis flammæ intepescat: parvus hic calor aquæ communicatus, non reddit intensiorem ignis istius calorem, quàm jam in se per essentiam suam habeat. Eodem modo cùm creaturæ nullam possideant pulchritudinis, bonitatis, sapientiæ, aut quamlibet aliam perfectionem, quæ illis à DEO non sit communicata, DEUS per has perfectiones non potest fieri major, quas ille ipse communicavit. Omnes in se continet eminenter. Et hæc etiam est causa, quare in cœlo anima videndo DEUM solum non sit minùs essentialiter futura beata, quàm esset, si cum DEO mille alios Mundos videret & possideret. *Qui te & illa novit,* inquit Sanctus Augustinus, *non propter illa beatior, sed propter te solum beatus est.* Et se solus ille est omnia, & ut talis plenitudinem possidet infinitam, cui nihil addi nec adimi potest. *Ipse est omnia.* Unde sequitur, quod dixi, omnipotens DEI brachium infinitas producendo creaturas non crescere, nec eas producere omittendo, quidquam amittere.

S. Thom. 1. p. q. 4. art. 1.

L. 5. Confess. c. 4.

XV. Denique quidquid huc usque à me audîstis, & quidquid non tantùm ab humana, sed ab Angeli alicujus, aut Archangeli linguâ intelligere potestis, simul jungite, totum in comparatione Potentiæ, quam in veritate DEUS possidet, omniúmque aliarum infinitarum perfectionum, Potentiâ non minorum, totum, inquam, nihil est. Quare quidquid admirabile huc usque dictum est, simul accipite, & deinde in corde vestro dicite: Non est iste DEUS meus, sed est aliquid infinities majus. Hanc perfectionis ideam millies milliésque conceptam multiplicate, & deinde iterum millies milliésque dicite: Hic non est DEUS meus, est aliquid infinities pulchrius, infinities beatius, infinities amabilius. Etsi per omnem æternitatem omnibus intellectibus creatis & creabilibus omnes perfectiones conceptu possibiles simul acciperetis, certi estote, illam, quæ inde prodiret summam, semper finities vero DEO minorem esse, quàm sit milii granum respectu totius universæ hujus molis. *Finiti ad infinitum nulla est proportio:* inter milii granum & totum Mundum aliqua saltem datur proportio, multoties enim granum hoc multiplicatum

tum & auctum tandem in tantam molem excresceret: verùm multiplicatis per omnem æternitatem omnibus perfectionibus possibilibus, nunquam ad DEUM cognoscendum perveniretur. *Exaltate illum, quantum potestis: major est enim omni laude.*

cl. 43 ... non. ... apud ... ert.

XVI. Considerate ergo, quantum Philosophus ille, licèt à vulgo tanti æstimatus, responso suo hallucinatus sit, dum interrogaretur, quidnam esset DEUS? Petiit à principio tres dies, quibus rem perpenderet. Quibus elapsis, petiit alios tres? post hos quoque tres alios: denique fassus est, quò magis meditaretur, tantò minùs se dicere posse. At quæso, quis fuit ille respondendi modus? tres tantùm horas petere pro ferendâ sententia, pro quâ tota æternitas non sufficeret? Si Cherubinum aliquem interrogaretis, quid sit DEUS, non tres dies ad respondendum peteret, sed infinita exigeret sæcula, quæ tamen ad tam gravem quæstionem solvendam, nimis brevis illi videretur esse terminus. Quid cogitatis? Cùm de DEO loquimur, infinities minùs intelligimus, quàm de magno aliquo Monarcha musca importunè obvolitans intelligat. Quare cùm DEUM laudamus, inquit Sanctus Gregorius Nazianzenus, potiùs affirmari, potest, illum à nobis blasphemari. Quia non est potens illâ potentiâ, quam nos apprehendimus, cùm Omnipotens à nobis vocatur: non est pulcher illo pulchritudinis genere, non est bonus illo bonitatis genere, sed est omnipotens, pulcher, & bonus, perfectione infinities superiore. Unde semper meliùs est, scire, quid non sit DEUS, quàm scire, quid sit. *De DEO incorporeo disputantem, corporeis nominibus uti, obtrectantis fortè fuerit & lapidantis.* Atque ideo verè excusati erimus, quia rusticus non alias, quàm rusticas scit promere laudes.

Orat. in illud cùm consummasset JESUS.

XVII. Et tamen tantus DEUS, quantum illum opera illius actualia & possibilia ostendunt, adhuc à peccatoribus injuriis afficitur, quasi totius Mundi res esset vilissima! quis talem crederet possibilem esse audaciam? *Tam terribilem majestatem audet vilis pulvisculus irritare?* Si nostrûm aliquis à principio interfuisset, quando DEUS omnes res creavit, ubi Mundum tam pulchrum, tam vastum, tam omnivarium, tam ordinatum solâ mandati ipsius potentiâ productum vidisset, quomodo sibi diem aliquem possibilem futurum esse existimâsset, quo DEUS tam magnus ab aliquo vilipenderetur? Plùs tamen DEUS, quàm unquam creatura aliqua contemnitur. *Fecisti mala & potuisti.* Non videtur esse possibile, quod fit, & factum est. Si DEUS tristitiæ capax esset, nullum cor, quàm ipsius esset infelicius. Nullus siquidem inter omnes homines quotidie & ubivis gravioribus afficitur injuriis, quàm DEUS noster. Si abessent alia, nullus oculis suis videt, nullus ita auribus tam privatas quàm publicas sibi illatas injurias percipit, quàm ipse DEUS. Si Christiani pro DEO adorarent more quorundam Gentilium, pri-

S. Bern. serm. 16. in Cant.

Jerem. 3. 5.

primum illud, quod manè domo egredientibus obvium fiebat, appareret, quàm sine ullo respectu idipsum ab illis offenderetur. At cùm DEUM omnibus cogitationibus superiorem colant, repetere cogor, quomodo est possibile, ut illum offendant? & postquam offenderunt, quomodo est possibile, ut dum dolore & pœnitentiâ contabescere deberent, & novo scelara antè patrata audeant committere? nec solùm de peccatis non dolent, sed ijsdem vivunt, & ingrassantur? *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum.* Quis, DEUM immortalem! primus erit peccatorum in tam Magnum Dominum suum intuitus, quando coram illo judicandi comparebunt! quàm triste spectaculum! quantus horror!


XVIII. Reccaredus Rex Angliæ quondam in Sylvâ aberrans (in quâ aviditate venandi longiùs opinione à suis abstractus erat) sub noctem incognitus fores vilis cujusdam fabri pro hospitio pulsavit, intra quas tanquam homo plebejus admissus fuit, quin etiam tam rusticis acceptus verbis, ut tandem etiam colapho mulctatus fuerit. Sequenti die, ubi ad suos iter relegit, statim incivilem hospitem suum vocari jussit, cui: agnoscisne, inquit, agnoscis me? verba erant, vix non fulmina ad miseri hujus vitam auferendam, ob solius horroris vim sufficientia. Ego mihi persuadeo, petitionem illam, qua Damnati, ut in tormentorum suorum abysso potiùs relinquantur, quàm ut coram judicii universalis tribunali comparere cogantur, supplicabunt, in illa luculentâ Magnitudinis DEI cognitione fundatam esse; quam olim in judicio particulari experti sunt, similem audientes, sibi exprobrari rusticitatem, eámque ipsam agnoscentes Majestatem, quam olim præ oculis habentes, revereri noluerant; illam inquam, Majestatem jam timent, quam toties in pauperculis contempserunt, quam in Religiosis irriserunt, quam etiam toties in ipsis Ecclesiis spreverunt, suisque aspectibus profanârunt. O quantum non in extremo illo die miseri expavescent, de novo audituri; An me cognoscitis? an me cognoscitis? O quantopere sibi ipsis bene conscii DEUM à se cuivis bestiali appetitui postpositum fuisse, quantopere inquam trepidabunt, de novo amaram illam reprehensionem percepturi. *Projecisti me post corpus tuum.* *Ezec. 23. 3*

XIX. Considerate aliquantisper, charissimi, has veritates, nec exspectate, donec improvisæ pondere suo vos opprimant. Videte, quantum habeat DEUS supra vos Dominium, quia DEUS noster est! & si hoc illi competit, quare vos non vultis, ut illi obedientia præstetur? *Si Dominus ego sum, ubi est Timor meus? dicit Dominus exercituum.* *Mal. 1* Vos Equo irascimini refractario, propter dominium in illum à DEO vobis humanæ naturæ superioritate concessum. Quare ergo non etiam vobis indignamini, cùm toties Domini illius mandatis vos opponitis, qui propter naturæ suæ Divinæ perfectionem infinitâ excellen-

cellentiâ est supremus vester Dominus? Quando peccatis, arbitramini, vos joculare aliquod malum admittere: perpenditote quæso, an jocus sit, DEO auferre id, quod tam magno jure ad illum pertinet, quàm magnus est ipse DEUS! Omnes scitis, quomodo Sanctus Joannes DEUM viderit, plurima in capite Diademata ge-
roc. rentem: *In capite ejus diademata multa.*
.12. Sed quid tot coronæ regiæ denotant? significant nimirum innumerbiles illos titulos, quibus homo DEO obedire tenetur, tot enim sunt, quot Divina essentia perfectiones continet. Quam ob causam, qui peccat, non unam solam committit injustitiam, sicut aliàs vobis dixi, sed pluribus se
57.3. contaminat: *Injustitias manus vestræ concinnant.* Imò tot committit injustitias, quot sunt causæ, quibus Divina justitia ad sceptrum adeò absolutum, tam amplum, támque potens
3. venerandum nos obligat. *Sceptrum Divinitatis ejus.*

XX. Quod si vobis quandoque durum videtur audire, quomodo peccator propter momentaneum quoddam peccatum ad æternas inferorum pœnas sufferendas justissimè condemnetur, ecce causam. Cùm DEUS infinita habeat jura ac titulos, quibus amari debeat, omnes illos peccator injuriâ affecit, adeóque iisdem non obediendo, ipsum aspernatus est. Quare licèt talis non nisi exiguo temporis spatio peccâsset, hoc exiguum tamen sufficiens est, ut debitum pariter contrahat infinitum, quod, cùm in inferno tormentorum gravitate, ne quidem satis puniri possit, quæ infinita esse deberent, infinitâ tamen eorundem duratione castigabuntur. Charissimi, profundiùs quæso hásce tam altas veritates mentibus vestris penetrate, quæ si vos à peccato non absterreant, nescio quid efficacius afferre possim. Indulgebitis quidem genio vestro, voluptatibus animos vestros dabitis, & hæc vel DEI ingratiis, si ita loqui concessum est, facietis. Sed tandem agnoscetis clarissimè, quem offenderitis, DEUM omnipotentem lacessistis peccatis vestris, à quo multò magis dependetis, quàm siccæ paleæ, in areâ ventilatæ à vobis dependeant.





DISCURSUS IV.

Demonstratur singularis injuria, quam Peccatum infert Sanctissimæ Trinitatis Mysterio.

Abevil. Theolog. affect. p. 10. med. n.

I. IDeam magis perfectam, quæ, in his tenebris, de summâ DEI essentiâ haberi possit, volunt esse illam, quâ DEUS verè Trinus & unus, Trinus in personis, & unus in substantiâ repræsentatur: Hæc est illa prærogativa, qua essentia increata à creatâ distinguitur; hæc est mysteriorum omnium mysterium, hæc est miraculorum miraculum; hæc clarè cognita, non solùm creaturarum, sed ipsiúsmet DEI cor, æternâ replet beatitudine. Quare si peccatum Divinis perfectionibus planè oppositum est. *Adversatur supra omne, quod dicitur DEUS*, non poterimus justiorem de tam monstrosâ illius deformitate habere ideam, quàm si idem ut notabilissimam Sanctæ Trinitatis injuriam perpenderimus. Quare officii mei erit hodie, primò istud Divinitatis arcanum pro gradu & capacitate vestrâ explicare; deinde ex hac explicatione inferre, quàm immanis sit injuria, quâ DEUS per peccatum afficitur.

I.

II. Sancta Fides duo inter extrema progreditur, quod utrumque diligentissimè evitandum est; hæc sunt Curiositas, & Ignorantia. Curiositas est temeraria, quæ Divinæ essentiæ secreta penetrare præsumit, cùm ne quidem minimam aliquam essentiæ creatæ particulam intelligere valeat. Ignorantia, est stupida; quæ Divina illa mysteria negligit cognoscere, propter quæ intelligenda Mundo nati sumus. Sed Fides inter duos hos sibi oppositos ambulans scopulos, feliciter veritatis portum ingreditur; dum neque incomprehensibilem arroganter conatur comprehendere conatur, ne opprimatur à gloria; *Scrutator Majestatis opprimatur à gloria*, nec mysteria à DEO revelata meditari omittit, ne graves illas incurrat minas: *Si quis ignorat, ignorabitur.* *Prov. 25. 2* *1. Co 14. 3*

III. Primum ergo, quod Fides de Sanctissimæ Trinitatis mysterio nobis proponit, est Divina ipsius Unitas. Primum esse, supremus Dominus, immutabilis, infinitus, independens, summè perfectus, non potest esse nisi unus. *Summum magnum unicum sit, necesse est*, inquit Tertullianus, *nec aliter summum magnum, nisi parem non habent.* Si DEUS non esset unus solus; non ampliùs esset DEUS; quia non possideret illud bonum, quod alter possideret. Neque vobis imaginemini, DEUM esse unum modo, quo aliæ substantiæ dicuntur unæ, unus Angelus, una Anima, unus Homo. *Lib. contr. Marcion.* *1 Th. 1. p. 11. 3. C.*

Istæ

Istæ res potiùs deberent dici unitæ quàm unæ; quia cùm sint substantiæ materiales, ex multis partibus sunt compositæ; & si sunt spirituales, è multis constant perfectionibus. In Essentia verò Divina est admirabilis quædam unitas, quæ essentiâ suâ simplicissimâ omne bonum comprehendit, ita ut jure merito, à Doctoribus non solùm una, sed unissima vocetur; quia in illâ præter illam ipsam nihil aliud invenitur. *Inter omnia, quæ unum dicuntur, arcem tenet unitas Divinæ Trinitatis.* Præterea non solùm hic DEUS noster unus est, sed unicus, & quidem unicus essentialiter. *Unum est necessarium.* Etiam Sol unicus est in hoc universo; sed non est unicus essentialiter; cùm pluries multiplicari possit, quàm nunc sint in cœlis stellæ: potest enim DEUS vocis suæ imperio totidem creare mundos unico momento, & in quovis illorum velut corporum tam ingentium cor, proprium suum collocare Solem. Quamobrem propria DEI dos est singularitas, nec ullo modo, sicut nec Divina natura, ab illo perdi potest. *Quis DEUS præter DEUM nostrum?* Et hæc est illa gloria, quam per Prophetam protestatur DEUS, se non daturum alteri, & in illius considerationem, particulari cum attentione nos vocat: *Videte, quòd ego sim solus, & non est alius præter me.*

[Bernard.] *...t. l. Unit. uno* | *...l. 17.* | *...tr. 29.*

IV. Contra hanc ergò tam propriam Divinæ essentiæ prærogativam insurgit Peccatum: *Adversatur supra omne, quod dicitur DEUS.* Amando enim creaturam, plurisque quàm DEUM æstimando, quasi novam Divinitatem homo sibi fingit. *Tibi soli peccavi*, ideo dicebat Sanctus ille Rex, *tibi soli peccavi*, hoc est *tibi*, qui solus es. Domine, contra te solum peccavi, qui unus es & multiplicari non potes; ideóque peccando illam tam pulchram coronam à capite tuo auferre conatus sum, ita ut non ampliùs sis DEUS meus, aut non ampliùs sis solus. His igitur duobus modis à peccato Divina oppugnatur unitas, apertè quidem per Idololatriam, occultè verò per quamvis præceptorum DEI transgressionem. *Psal. 50.*

V. Præteritis sæculis tanta DEI veri inolevit ignorantia, ut Dæmon facilè tam enorme mendacium toti humano generi persuaserit; plures in Mundo esse DEOS; imò tot, quot essent creaturæ, aut in utilitatem, aut hominis perniciem productæ. Hoc mendacio malignus hic Veterator obtinuit, ut omnia quasi templa, & totius mundi altaria isti falsæ divinitati dedicarentur; arte non absimili illi, quâ superbissimus quondam ille Rex usus est, qui cùm non posset cum exercitu suo transvadere Euphraten, illum in plures quàm centum rivulos divisit, adeóque facilè superavit. Eodem modo cùm Diabolus magnam illam submissionem à natura omnium cordibus erga primum illud Esse impressam vincere non potuerit, hanc innatam submissionis in tot divisit partes, quot adorabantur idola, ut illam vero DEO auferret. Postquam verò adventu JESU Christi ejúsque Passione tam enormis ignorantia è Mundo pro-

scripta est, verúsque DEI cultus stabilitus alius Dæmoni, Divinæ se opponendi unitati, non superest modus, quàm peccatum; non quidem Intellectûs, sed cordis idololatria; quæ DEO unicæ essentiæ gloriam occultè furatur, aliámque quasi in creaturis, summo bono prælatis, Divinitatem constituit, ita ut inter idololatriam, & alia peccata hæc sit differentia, quæ est inter latronem publicum, & furem privatum. Latro apertâ fronte medio die in publicis viis prædas agit. Fur autem occultus clam, & in tenebrosissimâ nocte alienta invadit. Eodem modo Idololatra quasi latro apertus non veretur publicè hanc propriam DEI invadere gloriam, quòd solus sit; sed publicè templa & altaria exstruit, aliásque, quàm illi, victimas, & sacrificia offert; Peccator verò ordinarius, quasi fur occultus, hanc ipsam DEO aufert gloriam; sed tacitè, & in corde suo pro victimis, non tauros aut agnos, ùt loquitur Sanctus Joannes Chrysostomus, sed quod pejus est, animam propriam sacrificat. Et hæc non ex amplificatione dicta sunt, sed simplicissimæ veritati sunt consentanea.

S. Thom. 2. 2. q. 77. a. 4. VI. Aliqui putârunt, à timore in terris multiplicatos fuisse DEOS: sed stolida illorum fuit opinio, non enim timor, sed amor in causa est, ut creatura pro DEO colatur. Amor ille summus, quo bonum aliquod creatum bono increato præferimus, quasi idolum aliquod in nobis efficit. *Quidquid homo DEO anteponit, DEUM sibi facit*: inquit Sanctus Cyprianus, & hoc ipsum alii quoque Doctores asserunt, *S Cyp. de dupl. art.* imò illud ipsum DEUS in Scripturis affirmat, cùm nunc avaritiam, nunc ambitionem, modò libidinem, modò alia vitia practicam vocat idololatriam. *Israël si audieris me, non erit in te DEUS recens neque adorabis DEUM alienum.* *Ephes. 5. ad Phil. 3. 10. Psal 8 10.* Quod idem est, ac dicere, non peccabis; ut varii explicant Interpretes; his primis verbis, *non erit in te DEUS recens*, significare volunt internum cordis peccatum, quod primò committitur; reliquis autem, *non adorabis DEUM alienum*, indicant externum operis peccatum, quod sequitur ex interno; quia in substantiâ peccare, est, DEUM pro arbitrio suo sibi formare, constituendo in bono aliquo creato ultimum finem, & colendo tale bonum tanquam DEUM; hoc est, cum amore prælationis in comparatione summi boni creatura diligitur, quemadmodum sæpiùs vobis dixi, ut cordibus vestris bene imprimatur hæc veritas, quæ plùs quàm omnes aliæ à peccato mortali committendo vos deterrere debet. *Ita Hug. le Blan & D. Hieron. apud eum.*

Verum est, Christianos, cùm DEUM offendunt, non præsumere Divinitatem DEO auferre, eúmque in corde suo negare; sed solùm tanquam collegam imperii admittere, illique & Dæmoni simul & eodem tempore servire velle, qui est alter modus DEO coronam auferendi. Sed hoc ipsum impossibile est. Hanc enim facere divisionem, idem est, ac velle DEUM non ampliùs esse solum, non ampliùs simplicem, non ampliùs unicum, ac illum ipsum esse, qui est. *Audi Israël: Dominus DEUS tuus, unus est.* *Deut. 4.*

Quare

Quare considerate obsecro, an non stultæ sint illæ excusationes, quæ sæpiùs adferuntur à peccatoribus, dicentibus, quòd licèt DEUM offendant, se nihilominus illi devotos esse, exhibere charitatis opera, frequentare Ecclesias, sæpiùs pro animabus in purgatorio detentis ad DEUM preces fundere. Non equidem his operibus, licèt bonis, salutem suam adipiscentur, si à peccatis non desistant. Hoc est cultum DEO debitum dividere, unam illi partem, alteram creaturis attri-
ph. 3. buere, ut solent illi, *qui jurant in Do-*
5. *mino, & jurant in Melchom:* imò hoc est creaturis majorem, minorem verò partem DEO dare. Si DEUS non habet totum, neque etiam partem desiderat. Aliàs enim nimis turpiter Divina ipsius unitas violaretur, quia, sicut jam antè dixi vobis, idem est peccare, ac alteram Deitatem, idololatriâ quidem magis occulta, sed non minùs DEO injuriosâ nobísque, quàm manifesta illa, minus damnosâ cordi
.43. nostro inferre. *Ante me non est for-*
o. *matus Dominus*, inquit DEUS, *& post me non erit.*

VIII. Hinc etiam magna illa nascitur turbatio, quæ à peccato intra nos suscitatur, ut intelligamus, quàm verum sit, non esse in animâ pacem,
ob. 9. 4. quæcunque se DEO opponit. *Quis resistit ei & pacem habuit?* Testabuntur hoc omnes peccatores, qui si veritatem fateri velint, dicere cogentur, nunquam se magis contentos fuisse, quàm cùm bene vixerunt. Causa istius perturbationis est, quòd novum Dominum contra suprà dictam prohibitionem in throno cordis sui collocârint. *Non erit in te DEUS recens.* Si in Mundo, plusquam unus possibilis esset DEUS, omnia sursum deorsúmque verterentur. Quam calamitatem in quocunque Imperio non adfert multitudo capitum ad coronam aspirantium? Quamprimum hæc ambitio Romanorum Monarchiam invasit, statim in visceribus suis majores experta est strages, quàm unquam aliis ipsa intulerit. Similem omnino perturbationem peccatores in microcosmo, id est, in homine excitant; quare non mirentur, si similes in potentiarum rebellione, in cogitationum strepitu, totiúsque spiritûs perturbatione indubitanter effectus experiantur. Aliter enim fieri non potest. Date alicui lapidi duo centra, quid faciet miser, dum à quovis illorum attrahetur? tremebundus hærebit, incertus, quò se inclinet. Eodem modo, cùm homo à ratione versus centrum suum, quod est DEUS, inclinetur, trahatúrque eodem tempore à passione quâdam versùs aliud boni cujusdam creati centrum, adeò amati, ut præ illo DEUM ipsum aspernetur, necesse est, ut miser semper inquietus hæreat. *Inquietum est cor me-* S. Aug.
um, donec requiescat in te. Hæc est quædam violentia, quæ naturæ infertur, nec est ulla violentia, quæ non pariat molestiam. *Si quid violen-* Arist. 2.
tum est, etiam acerbum erit. Ecce igi- Moral.
tur Charissimi, validissimum ex hoc c. 8.
argumento motivum resistendi peccato, illúdque fugiendi; eidem enim consentire, verè nihil est aliud, quàm

Jerem. 15, 13. DEUM derelinquere, DEúmque alienum sibi constituere, qui vobis, ut loquitur Propheta, neque de die, neque de nocte quietem concedat. Quamvis primarium motivum deberet esse, hanc DEO non inferendi injuriam, ut in locum ejus ponatur creatura, ipsique gloria, quæ à singularitate ipsius, non tanquam supremi, sed Solius essentiâ provenit, auferatur. *Ipse enim Solus est.* *Job. 23. 33.*

IV. Cardinalis Baronius refert, Caligulam Imperatorem statuam suam in Templo Hierosolymitano collocare voluisse, ut à Judæis tanquam DEUS adoraretur. Quæ iniquitas cùm in civitate innotesceret, populum in sex se turmas divisisse, Senes, Adolescentes, Pueros ex una parte, ab altera Virgines, Conjugatas & Viduas, adeóque unitos ad Præsidis Romani palatium cucurrisse, prostratósque in terram, manibus à tergo ligatis, capillis cinere aspersis, flevisse, elatóque tristi clamore eundem Præsidem rogâsse, ne permitteret hominem in templo adorari, quod ad veri DEI gloriam exstructum esset. Nunquam minùs quivis Christianus facere deberet, quando Diabolus avernalibus suis suggestionibus illi bonum aliquod creatum in altari cordis sui collocandum proponit. Si non aliud illud disturbandi idolum, occurreret medium, vocem in cœlum attollere aporteret, humíque prostratum priùs lachrymis consumi, quàm peccato consentire, corámque toto inferno sæpè sæpiùs protestari; unum esse DEUM nostrum, & non esse alium præter illum, nec justum esse, eundem cum alio comparare. *Unus est altissimus Creator omnium & metuendus nimis.* *Eccl. 8.* Et adhuc erit aliquis, qui contrarium audeat, ut ejecto DEO vero, primis statim suggestionibus diabolicis cuivis idolo locum cedat in corde suo?

X. Verùm hucusque non fecimus vela, nisi, ùt ita dicam, juxta littora, nec adhuc altum Mare argumenti propositi intravimus; ad demonstrandam enim DEI unitatem, etiam ratio naturalis accedit. *Non est bona pluralitas principantium. Unus ergo princeps.* *Arist. Metaph. 32.* Necesse est igitur, ut altum hoc Mare ingrediamur, quò sola fides dux noster erit. Hoc pelagus est Sanctissima Trinitas, id est signum distinctum præ aliis notabilissimum, credentes enim naturæ Divinæ unitatem, distinguimur à Gentilibus, agnoscentésque personarum Trinitatem à Turcis & Judæis separamur, quibus de tam magnâ veritate nihil innotuit. Ut de tam sublimi mysterio aliquid intelligamus, quod cum ipsa luce sua se abscondit, *lucem inhabitat inaccessibilem*, *1. Tim. 6. 16.* primò scire oportet, infinitas esse in DEO perfectiones, quæ solâ intellectus nostri acie cognosci non possunt. Naturaliter enim ex operibus DEUM cognoscentes, nihil aliud intelligimus, quàm opera ipsa demonstrant; unde à pulchritudine, ab ordine, à Mundi unitate, bene quidem potentiam, sapientiam, & unitatem Creatoris inferre possumus, sed absque ullâ comparatione semper plura cognoscenda restant, quàm quæcunque à maximis ejus operibus pro-

proponuntur. Qui Moysis intuetur statuam à celeberrimo Michaële Angelo exsculptam, facilè quidem ex illa mirabilem artificis manum ad ipsa quasi saxa animanda colliget, sed non ita reliquas præclaras ejusdem virtutes, pietatem, prudentiam, prosapiam, cognationem, aliásque prærogativas, quæ ad artem statuariam nullam habent relationem, addiscet. Non aliter accidit, qui creaturas contemplatur, bene quidem ab ipsis proprietates aliquas DEO convenientes arguere potest, tanquam illarum Authori: sed non eas, quæ non ut Creatori conveniunt, deprehendere licet. Tales sunt proprietates personales, ad quas creaturæ nullam specialem dicunt relationem, secundùm originis oppositionem, quæ est inter Personas Divinas, sed solùm secundùm ejusdem essentiæ identitatem.

'arez. DEO io Tri- p. 3. 1. c. 12.

XI. Magni igitur hujus mysterii veritas, quam nunc explico, tota est de Fide, id est talis, quæ licèt ab humano intellectu non capiatur, tamen credi debet; qui enim dictis non vult præbere fidem, illi inter nos non erit locus, talem è schola Christi ejicere oportebit. *Si aliquis est, qui totaliter eloquiis resistit, longè erit à nostra Philosophia.* Ita S. Dionysius Areopagita pronunciat. Et quoniam hæc veritas non tantùm est de Fide, sed etiam veritas, supra quam omnes aliæ fundantur, ideò ipsemet unigenitus DEI Filius de cœlo descendit in terras, ut ore proprio illam doceret, postquam quater mille annis genus humanum totum, aut quasi totum in illius ignorantiâ detinuisset, quasi priùs in schola naturæ erudiendum & disponendum, ut ita magis aptum ad sublimem hanc lectionem audiendam redderetur, postea in aperta gratiæ scholâ tradendam. *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.*

e Div. m. c. 2. Joan. 1. 18.

XII. In hoc igitur Divina natura singulariter ab omnibus creatis naturis est differentissima, quòd in una simplici substantiâ tres contineat Personas Divinas, quæ vocantur Pater, Filius, & Spiritus sanctus, & tali cum ordine, ut Pater ab alia persona non procedat, Filius procedat à Patre, & Spiritus sanctus à Patre & Filio procedat. Attamen non debetis credere, aliquam ideo inter illas esse inæqualitatem: increatus est Pater, increatus Filius, increatus Spiritus sanctus. Immensus est Pater, immensus est Filius, immensus Spiritus sanctus. Independens est Pater, independens Filius, independens Spiritus sanctus, & sic de cæteris. Neque ideò sunt tres increati, tres immensi, aut tres independentes, sunt unus solus. Et in hoc ordine essentiali & æterno támque æquali consistit infinita illa pulchritudo, in cujus comparatione tota universi pulchritudo, quasi cicindela, apparente sole, disparet. Ad declarandum aliquid de supremo hoc mysterio variis uti possem similitudinibus, quas frequenter sancti Doctores usurpârunt; sed ut meliùs à vobis intelligar, unam solam magis propriam adducam. Imaginamini vobis adolescentem, qui attentè se in speculo contemplatur; in illo ipso contemplandi actu planè sibi similem in illa crystallo imaginem pro-

S. Thom. 1. p. q. 42. ar. 1. & seq.

producit, vidénsque se tam formosum, eodem tantopere amare se incipit. Hoc ipsum cogitate in Divino hoc mysterio fieri, sed modo infinities perfectiore, hoc est DEUM omnino decente. Pater enim æternus in purissimo Divinæ naturæ suæ speculo se contemplans expressissimam sui ipsius producit imaginem, sed substantialem, quæ cùm sit in ipso DEO, est pariter DEUS, quia ab ipso omnes Divinæ essentiæ perfectiones recipit. Hic Pater & Filius videntes se adeò pulchros, necessariò sibi de se ipsis complacent, & se amant invicem, & hic qui inde resultat amor, est tertia Persona, hoc est Spiritus sanctus in omnibus & per omnia aliis Divinis personis æqualis, ut, qui eandem naturam æqualiter participat. Hæc sunt mirabilia, quæ in rebus creatis ne quidem somniare, multò minùs supponere licet. Quare similitudo antè allata, uti & reliquæ, quæ à viris Doctis adducuntur, verè potiùs nobis, quàm DEO conveniunt, súntque, quemadmodum observat S. Hilarius, exiguæ nostræ capacitati, non sublimi tanti mysterii altitudini, omnem intellectum excedenti, proportionatæ. Verùm quid factu opus? oportet nihilominus illis nos uti, ut aliquid de iis, quæ DEUS revelavit, intelligamus; quòd licèt semper parum sit, multò tamen pluris, quàm clara & conspicua perfectionum purè creatarum cognitio æstimanda est. Rerum enim cœlestium quamvis obscura cognitio semper evidenti rerum terrenarum perspicuitati longè præferenda est. Tantò magis, quia omnes Christiani non tantùm in confuso, sed etiam distinctè hoc mysterium credere tenentur Fide nobis manifestatum, quod omnium aliorum mysteriorum principium est, & finis. Unde Christianus, qui nihil de illo sciret, Christianus minimè dicendus esset.

S. Thom. 2.2. q. 1. art. 8.

XIII. Præterea incomparabilis hujus arcani Divinitatis cognitio plura de DEO nobis manifestat, quàm omnes speculationes de ipso à nobis secundùm solum humanum discursum formatæ detegere possent. Quod si enim DEUS non sit unus aliarum rerum modo, sed ita unus sit, ut etiam simul sit Trinus, clarissimè colligitur, etiam in aliis perfectionibus, non esse ne quidem modo ordinario perfectum, sed tali, qui plusquam credi possit, longè quascunque hominum cogitationes & conceptus transcendat. *Ecce DEUS magnus vincens scientiam nostram.* Hoc igitur modo valde crescit Idea, quam de Divina bonitate formamus; si enim illa non nisi limitate se communicare posset; quemadmodum facit in creatione, quomodo esset infinita? Omnis boni proprium est, minùs vel magis se communicare, prout in se majus aut minus est; ideóque, si bonum finitum se ipsum modo diffundit finito, oportet necessariò, ut bonum infinitum secundùm proportionem, id est, infinities se communicet. Crescit Divinæ potentiæ existimatio, quæ siquidem est illa potentia, quæ non solùm omnia producit, quæ extra se vult producere, sed etiam intra se terminum omnipotenti efficaciæ suæ proportionatum producit; id est, Filium suum Divi-

Job. 36. 26.

Divinum, qui æqualem habet cum Patre omnipotentiam, crescit Divinæ Sapientiæ æstimatio: an non enim mens est admirabilissima, quæ veritates infinitas, claras, & certas solo verbo exprimit, verbo quidem ipsimet menti simillimo? Crescit æstimatio Beatitudinis, quâ felicissima hæc essentia gaudet; cùm gaudium, quod ex contemplatione suiipsius resultat, est æquè infinitum, ac ipsemet DEUS. Et sic de aliis Divinis perfectionibus discurrere licet, quas hoc Sanctissimo Trinitatis mysterio à nobis bene intellecto, modo supereminenti cognoscere possumus, ita, ut Philosophi, quibus de hoc mysterio nihil innotuit, multò minùs de DEO cognoverint, quàm hodie inter nos
tth. mysterii hujus non ignara vetula co-
25. gnoscat. *Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à Sapientibus & prudentibus, & revelâsti ea parvulis.* Nescio an nimiùm in hac explicatione me detinuerim, sed non erit, plùs, quàm necesse sit, si hinc clariori quadam hujus altissimæ veritatis luce inducti abiveritis: propter hanc enim cognoscendam in cœlis creati sunt Angeli, & in terris homines; imò ad illam explicandam DEUS ipse descendens è cœlo assumpsit carnem nostram, ut tam ingens mysterium humanâ linguâ nos doceret. Transeamus nunc ad specialem injuriam demonstrandam, quæ peccato mortali Personis Divinis infertur, qui est præcipuus hodierni Discursûs finis.

II.

XIV. Ut autem Auditorum meorum omnium capacitati me accomodem, necesse est omnino planâ me incedere viâ, si enim vobis ostendere vellem, quomodo peccatum cujusvis Divinæ Personæ sit injuria, secundùm personalem illarum proprietatem, valde difficulter à vobis intelligerer: quare, ut meliùs intelligar, necesse est, ut illas potissimùm proprietates, quæ singulis attribuuntur, potiùs producam. Explico me. Omnes perfectiones Divinæ absque dubio cuivis Personæ Divinæ integrè sunt communes, sicut Essentia, supra quam fundantur, omnibus communis est; nihilominus sancta Ecclesia certâ quadam appropriatione Patri adscribit Potentiam, tanquam primo principio, Filio Sapientiam, velut illi, qui per intellectum & Spiritui sancto Bonitatem, tanquam illi, qui per amorem productus est. Secundùm talem ordinem, sicut manifestior erit injuria, quâ DEUS à peccatoribus afficitur, ita etiam faciliùs erit, ut quivis vestrûm illam bene intellectam execretur.

XV. Patri igitur æterno attribuitur Potentia: contra quam, advertite obsecro, quâ cum temeritate insurgat Peccatum. Scire oportet tam vastam támque universalem esse DEI potentiam, ut sine ipsâ nihil quidquam fiat in Mundo. Si unicum suspirium emittere vultis, necesse est, ut ad illud emittendum DEUS vos adjuvet. Si vultum ad aliquid vertere vultis, necesse est, ut ad illum vertendum DEUS opem suam præbeat; si de pavimento paleam attollere, necesse est, ut DEUS etiam ad illam ele-

vandam manum veſtram adjuvet, aliàs enim nihil unquam fieret; nec manus ad id, quod vellet, moveret, nec oculi verterentur, nec ullum ſuſpirium emitteretur. Quando igitur Peccator aliquod malum committere decernit, DEUS ne libertatem illi auferat, hanc malignæ voluntatis electionem non impedit, ſed eam permittit, peccatorique dat eſſe, poſſe & operari. Quamvis igitur non inclinet ad peccatum DEUS, quod totum perverſæ voluntatis noſtræ partus eſt, tamen ad illas concurrit actiones, quibus peccatum committitur, ita, ut, exempli gratiâ, cùm vindictæ cupidus vulnerat inimicum ſuum, verum ſit, DEUM ad vindictæ malitiam non determinare, imò vehementer eam abominari, ne tamen hominem conceſſæ libertatis poſſeſſione privet, illas operationes, quibus vindicta per manum illius, qui vulnerabat, exercebatur, & à quo odium corde fovebatur, ipſe etiam à peccante determinatus adjuvat. Quod adeò Divinæ Potentiæ contrarium eſt, támque durum, ut ad illud explicandum acerbis ſervitutis & laboris terminis utatur. *Servire me feciſti in peccatis tuis, præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* Miſerrime peccator, inquit DEUS; cùm tu mihi ſervire deberes, me cogis, ut ſerviam tibi, & quidem in re maximè odioſâ, quæ excogitari poſſit, hoc eſt, *in iniquitatibus tuis.* Quid nunc ampliùs dici poteſt, quàm DEO contra DEUM uti, nec ſolùm creaturis, ſed etiam Creatore abuti? & hoc tam intolerabili cum labore, ut omnipotentia mea

S. Tom. 1. p. q. 49. art. 2. & 1. 2. q. 79. ar. 2.

Iſ. 43. 24.

doleat? *Præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* Audacia hæc eſt immanis, Tyranniſque inaudita. Burdigala famoſa Galliæ civitas Regi ſuo rebellis, poſtquam armis priori Dominio ſubjecta fuit, veniam quidem impetravit, ſed audite, quibus cum conditionibus. Ut magiſtratus in foro publico propriâ manu libertatis ſuæ privilegia, antiquitùs civitati donata, combureret. Hoc propria manu privilegia comburendi mandatum fuit ſine dubio juſtiſſimi Dominii, & glorioſæ poſſeſſionis actus, quem in cives propter obedientiam ſibi debitam exercuit. Cæterùm cogitate quæſo, quàm durum fuerit his civibus condemnatis, ut magnitudinis ſuæ ipſi forent carnifices, nec ſolùm pœnam ſubirent, ſed etiam ſuis manibus eam infligerent. Hoc modo intelligetis, quàm deteſtabilem DEUM peccatis veſtris cogatis ſubire ſervitutem, cùm illarum actionum executorem ipſum eſſe cogitis, quibus peccata ipſi tam injurioſa in lucem proferuntur, vultiſque, ut DEUS propria manu contra ſuam Majeſtatem operetur, ita ut cùm tam miſeri ſitis, ut nec ſtipulam quidem è pavimento attollere poſſitis, omnia à DEO mutuemini, quibus eum oppugnetis? *Contra omnipotentem roboratus eſt.* Homo ingratus & infidelis contra omnipotentem roboratus eſt. Non autem ſe ipſum roboravit, ſed *roboratus eſt.* Libero enim ſuo arbitrio DEUM coëgit, ut ſibi vires præſtaret, quibus contra illum ipſum abuteretur.

Job 15.

XVI. Hæc

XVI. Hæc est illa injuria, quam Peccator Potentiæ Patris irrogat. Sed non est minor, quâ Filii Sapientia afficitur. Quandoquidem Divina Sapientia necessariò requirit, ut cùm omnia sint oculis illius aperta, etiam pariter omnia cognoscat & comprehendat, ut ne unquam ullo modo omnibus præsens ab aliquo cogitationem possit divertere. Quamobrem considerate ingentem illum despectum, quo quivis peccator oculos DEI contemnit; quos objecto tam abominando ad gravissimam indignationem provocat. *Ut provocarent oculos Majestatis ejus.* Reus capitis ad supplicium ductus hoc habet solatii, quòd ipsi liceat velare oculos, aut saltem claudere, ne parata mortis suæ instrumenta intueri cogatur. Hoc DEUS non potest, necesse est, ut præsens omnium peccatorum aspiciat iniquitates. *Omnes iniquitates eorum in conspectu DEI.* Hinc est, quòd quodvis peccatum dicatur DEI oculos provocare; necessariò enim coram oculis ipsius committi debet. Quare (si de affectibus Divinis humano modo discurrere licet) cùm peccatores Leges DEI transgrediuntur, videtur DEUS optare posse, sibi non tantam esse scientiam, quâ abominationes, honori suo adeò repugnantes, aspicere cogatur. Nec insolitus hic loquendi modus nobis apparebit, si illius, quod per Prophetam Populo suo dixit DEUS, recordemur. *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* Quasi peteret, cùm ille oculos suos ab illis avertere non posset, ipsi ab oculis suis peccata auferrent, abstineréntque à committendis; qui est unicus modus, ut ab illo videri non possint.

Thom. p. q. art. [margin, partly cut off]

Eccl. 17. 17. [margin, partly cut off]

Isai. 1, 16. [margin, partly cut off]

XVII. Dixi, quòd ille sit unicus modus. De cætero enim non solùm malum, quod à peccatore temerario committitur, DEUS non potest non videre, cùm actualiter in Divino ejus conspectu peccat, sed etiam non potest non videre, antequam peccet, & postmodum, quando peccavit. Divina siquidem scientia nec oblivioni, nec novitati subjecta est; quare quidquid mali fit, omne illud semper ab æterno vidit, & in æternum quoque videbit. Ideóque illud momentum, in quo peccatis, justissimâ de causâ dici potest, *momentum, à quo dependet æternitas*, quia quamvis aliquando confessione illud expietis peccatum, nihilominus nunquam ab oculis DEI auferetis, cujus scientia præterito caret & futuro, solùm præsens habet perpetuum. Unde semper iniquitatem vestram intuebitur, quæ semel fuit, licèt non sit ampliùs. Optimè cum Davide clamare potestis. *Averte faciem tuam à peccatis meis:* Sed hoc esset petere aliquid impossibile amantium more; peccatum enim, licèt remissum, semper est ante oculos DEI; non quidem ampliùs in illâ ipsâ formâ, id est, ut ad iram DEUM commoveat, sed est nihilominus quasi offensa Altissimæ Majestati illata, & velut maximus Divinorum oculorum hostis, ita ut pec- Psal. 50.

catori nullus superſit modus, quo à Divinâ præſentiâ illam abſtrahere poſſit,
Jerem. 23. 24. quæ replet univerſum. *Nunquid non cœlum & terram ego impleo? dicit Dominus.*

XVIII. Denique id, quòd ſuper omnia aggravat injuriam, quæ à peccatore Divinæ ſapientiæ infertur, eſt modus, quo DEUS peccatum cognoſcit. Siquidem DEUS non tantùm neceſſariò debet cognoſcere abominationes peccatoris, non ſolùm debet cognoſcere ſemper, id eſt, antequam peccet, & poſtquam peccavit, ſed etiam pariter in Divinæ Eſſentiæ ſpe-
S. Thom. p. 1. q. 14. ar. 5. culo illas debet cognoſcere. *Id quod eſt extra ipſum*, inquit Sanctus Thomas, *DEUS non intuetur, niſi in ſe ipſo.* Nos ut rem aliquam intueamur, neceſſe eſt, ut ad illam oculos vertamus; non ita DEUS, ad cognoſcendam illam ſe ipſum aſpicit, qui in ſe tanquam in puriſſimâ cryſtallo omnia comprehendit: *Non aliunde videns tenebras, quàm à lumine.* Aliàs ſi hoc modo non cognoſceret, ſcientia Divina foret imperfecta, quia indigeret auxilio extrinſeco, quaſi imperfecta & creata. Quare ſi ab homine aliquod furtum, fraus, aut luxuria committatur, DEUS illud furtum, fraudem, aut luxuriam non poteſt cognoſcere, niſi in eſſentiæ ſuæ Divinæ ſpeculo, ſempérque, ùt ita dicam, quoddam inter tenebras noſtras & lucem ſuam facit paralellum. Quare quis poterit comprehendere, quàm turpe tunc debeat apparere peccatum, cùm in lucidiſſimo infinitæ pulcbritudinis
Pſ. 89. 7. fundo videatur. *Poſuiſti iniquitates noſtras in conſpectu tuo: ſæculum noſtrum*; quod eſt ſæcuulum tam corruptum, támque perverſum, *ſæculum noſtrum in illuminatione vultus tui.* Lutum tantò fœdius in Adamante, quàm in vitro apparet, quò ſplendidiorem gradum excellentiæ præ vitro poſſidet Adamas. Eodem modo, quàm abbominabile erit hoc ſpectaculum, Plin. 37. c. quo iniquitas, eſſentiæ Divinæ tam perfectæ comparata repræſentabitur? Ajunt, Neronem gladiatoribus aſſiſtentem, miſerorum vulnera & ſanguinem ſuper arenam ſparſum, pretioſo quodam ſmaragdo intermedio aſpexiſſe, quo crudeles illæ plagæ amabiles repræſentabantur. Sic quoque faciunt peccatores: abominationes ſuas in illa contemplantur delectatione, quam ab illis hauriunt, quaſi per venuſtum aliquem ſmaragdum, ideóque omni deſtituuntur horrore: imò tam amabiles eſſe apprehendunt, ut adhuc de iis jocentur, & exultent. *Quaſi per riſum operantur ſcelus.* Prov. 13.
Cùm econtra DEUS eas intueatur ut comparatas vultui ſuo nitidiſſimo, ac ſplendidiſſimo, cujus comparatione apparent ſanè turpiſſimæ. Quamobrem quàm multò meliùs foret pro nobis, omnia ſufferre mala, quàm tam turpe iniquitatis noſtræ objectum in Divino ejus conſpectu ponere, cogeréque, ut contra nos lamentetur, quòd puriſſimam ſcientiam ſuam vitæ noſtræ perverſitate violare voluerimus. *Et fecerunt abominationes coram me.* Ezech. 6. 9.

XIX. Denique etiam Spiritus S. Bonitas notabiliſſimâ à peccatoribus injuriâ affici-

afficitur: Quare per Apoſtolum Paulum vult nos admoneri, ne tantam ſi-
h. 4. bi amaritudinem adferamus. *Nolite*
30. *contriſtare Spiritum Sanctum.* Imaginemini vobis bonitatem DEI, velut amabiliſſimam Matrem, quæ viſceribus ſuis nos foveat, quemadmodum filius in Matris utero continetur. Talem ſeipſum oſtendit per Iſaiam.
45. *Audite me, qui portamini ab utero meo.* Quaſi diceret, quemadmodum mater gravida utero ſuo infanti eſt omnia; eſt locus pro habitatione; eſt lectus pro quiete; eſt vehiculum ad ſe movendum; eſt cibus ad ſuſtentandum; eſt vita ad reſpirandum, eodem modo Divina beneficentia eſt homini omne bonum, à qua omnia Divina attibuta in utilitatem noſtram adhibentur. Potentiâ ſuâ nos conſervat, Providentiâ gubernat, Dulcedine ſuâ nos demulcet, Miſericordiâ veniam impertit, Munificentiâ remuneratur, denique Immenſitate ſuâ, Infinitate & Æternitate, totâque eſſentiâ ſuâ nos beatificat. Jam igitur aliquantiſper, ſed vivaciter, gravem hanc injuriam perpendite; quâ hæc Divina bonitas à peccatoribus afficitur; qui non ſolùm eodem tempore, quo tanta ab ipſa recipiunt bona, nullam matris ſuæ rationem habent, ſed etiam inauditâ crudelitate ſinum ejus dilacerant? Non igitur ſine causâ tales geniminibus viperarum à Chriſto comparati ſunt. *Genimina viperarum.* Nam & illi ſuam pro gratiis acceptis matrem vulnerant, illáque viſcera conantur diſcerpere, à quibus foventur, tantíque & tam amabilibus modis nutriuntur.


XX. Adhuc peiùs eſt, non tantùm DEI bonitatem à Peccatore offendi, ſed ideò offendi, quia tam bona eſt, & quia inſuper infinitè bona eſt, ideò etiam plùs offendi. Non eſt aliqua res in Mundo, quæ minùs ideò ametur, quia magìs amabilis eſt, & quæ magis deſpiciatur, quia contemptu minùs digna eſt. Hæ ſunt injuriæ, quæ à ſolo peccatore incomparabili Bonitati DEI inferuntur. Si primâ vice, quâ ſceleratus ille domum illam infamem ingreſſus eſt, crus fregiſſet, putatíſne, illum ſecundâ vice ingreſſurum fuiſſe? Unde ergo illa vobis creſcit audacia in peccatum relabendi, niſi ab illa Divinæ bonitatis æſtimatione, quæ poſt offenſas reiteratas pœnitentiam veſtram exſpectat, veniámque offert? *quia non profertur citò contra ma-* Eccl. 8.
los ſententia, abſque timore ullo filii homi- 11.
num perpetrant mala. Ex hoc ipſo igitur capite, quia tam amabilis, támque æſtimabilis eſt DEUS, ipſum offenditis, & ad Iram provocatis. Præterea, ſi Bonitas Divina aliquem haberet terminum, timeretis peccata peccatis addere, dubitantes, ne fortè ad tam multa dimittenda ſe non extenderet, quia verò non ignoratis Bonitatem DEI carere limitibus, eâdem perfectione ſuâ pro motivo ad peccata veſtra multiplicanda abutimini. Quia ergo DEI bonitas eſt, infinitam vos magìs magíſque abſque ullo timore offenditis, & quod à natura ſua infiniti amoris eſt motivum, illo vos ad infinitas DEO injurias inferendas, nec

solùm ad Bonitatem illius, sed ad Bonitatis ejus divitias omni fide superiores spernendas abutimini. *An divitias* Rom. 2. 4. *bonitatis ejus contemnis?*

XXI. An hoc non sufficeret, ut sapere disceremus, & intra nos ipsos reverteremur? *Mementote istud*, & *confundamini*, dico vobis cum Isaia; *redite prævaricatores ad cor*. Charissimi, dictorum meorum recordemini, pudeátque vos peccatorum vestrorum hucusque commissorum, verámque posthac viam ingrediamini. Quando confessuri estis, memineritis peccando vos pro arbitrio vestro vobis DEUM fecisse, imò vos ipsos vestri ipsorum idolum factos esse. Ezech. 28. *Elevatum est cor tuum, & dixisti: DEUS ego sum: dedisti enim cor tuum quasi cor DEI.* Clamabat conscientia, alium non esse præter unum DEUM, ideóque illum audiendum, eíque parendum esse, vos autem perversâ voluntate vestrâ respondistis, alium à vobis non cognosci DEUM, quàm beneplacitum vestrum: *dedisti cor tuum, quasi cor DEI.* Vósque tanquam ab illo independentes habuistis, & quasi absolutos arbitrii vestri Dominos. Dixisti: *DEUS ego sum.* An non vobis videmini propter hæc confusione replendi, si ea confessuri in memoriam revocaveritis? Quod si posthac Diabolus ad similem vos rebellionem sollicitaturus est, Is. 46. 8. *redite prævaricatores ad cor*; Considerate, an non æquum sit, ut, cùm DEUS essentiâ suâ sit unicus, simplex & singularis, primum in anima vestra locum possideat, & à vobis absque æquali colatur? Et quia tanquam Christiani digni facti estis, ut tam altum sanctissimæ Trinitatis mysterium credatis, *Mementote istud, & confundamini*; perpendite quæso, quâ injuriâ Potentiam Patris affeceritis, cùm illius concursum concupiscentiis vestris servire coëgistis: quantopere Sapientiam Filii despexeritis, quoties ante oculos illius abominationes vestras posuistis. Quantopere Bonitatem Spiritûs Sancti offenderitis, quoties ad liberiùs peccandum ipsius benignitate abusi estis. Quamobrem, si posthac Diabolus, Mundus & Caro ad tales iniquitates vos instigent, huic inimicorum ternario, Honorem Sanctissimæ Trinitatis debitum opponite. *Redite prævaricatores ad cor.* Considerate Infidelem altissimi hujus mysterii ignarum non eâ, quâ vos ejus cogitatione illuminatos, gravitate legem DEI violare. Ille aliquo modo in extremo judicii die excusare se poterit, sed quam vos excusationem adferetis? qui Principem quemdam in mediis noctis tenebris offendit, illi bene potest dicere? Domine ego te non cognovi. Sed qui illum pleno die, in propria aula, in cubiculo & throno regio offendit, ignorantiam suam prætendere non potest. Quamobrem Charissimi, inexcusabiles erimus, si peccatis peccata addere perrexerimus, postquam Christiana lex tantam nobis DEO, tribúsque Divinis Personis, mediante Fide, notitiam tradidit, támque stricto servitutis particularis modo per Baptismum, earum nomine nobis collatum, omnes devinxit. *Euntes ergo docete omnes gentes: baptizantes in nomi-* Matth. 28. 8.

ne

ne Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Hoc igitur imposterum inviolabile nostrum deberet esse propositum, si non indignè Christiani characterem gerere voluerimus. Una anima soli sit unius solius DEI, tres illius potentiæ, omnes in earum Divinarum Personarum, quarum sunt velut imago, obsequium semper dedicatæ sunto. *Meminerim tui, intelligam te, ô beata Trinitas!* *Aug. l. 5. de Trini.*



DISCURSUS V.

De injuria, quam Peccatum infert Beneficio Incarnationis.

I. VNus ex illustrioribus titulis, quibus Isaias Propheta Salvatorem Mundi insignivit, est, quòd illum Admirabilem appellârit. *9. 6.* *Vocabitur Nomen ejus Admirabilis:* sed quid vult dicere Admirabilis? ut effectus aliquis admirationem moveat, *Tom. d. 18. 1. ar.* Sanct. Thomas requirit contradictionem sic apparentem, ut ad primum intuitum vera ejus causa ignoretur. Verùm quæ magis insolita, magísque abstrusa inter homines poterat videri contradictio, quàm duas naturas infinitè à se invicem distantes in unâ personâ unitas intueri, sicut sunt natura Divina & humana? Si hunc Mundum nihilo unitum videretis, an non vehementer admiraremini? Attamen major inter DEUM & hominem, quàm inter mundum & nihilum intercedit distantia, quare DEUM hominem factum intueri, est nihilum cum universo unitum videre. Cur igitur in admirationem rapi non deberemus, maximè si consideremus, non solùm DEUM hominem factum, sed in statum hominis miseri, dolentis & mortui se demisisse; & quod immensum superat, omne quod dici potest, in peccatoris habitu & forma comparuisse, quod est minus, quàm nihilum? Admirabilis igitur vocatur Redemptor noster; quia in terras descendens contradictiones omnium possibilium maximas in se recepit, univítque. Nihilominus in hoc ipso prodigioso objecto nova à peccatoribus admirationis causa adjungitur contrarietatibus ab illis enascentibus. Audio Salvatorem nostrum ab illis in signum positum esse, cui totâ morum suorum contradictione se opponunt: *In signum cui contradicetur.* Quæ est *Luc. 2. 34.* igitur major admirandi causa, quàm videre DEO homini facto ab hominibus contradici, pro quibus se hominem fecit? Magna hæc contradictio, quæ tantopere à peccatorum malitiâ augetur, erit præsentis Discursûs mei materia; in quâ ex una parte ostendam, quantum boni à Filii

lii DEI Incarnatione perceperimus, ab alterâ parte, quibus injuriis velut incarnatus à Peccatoribus afficiatur.

II. Qui omnia beneficia, quæ à Sole hominibus conferuntur, recenſere vellet, optimè ad tria capita eadem reduceret; nimirum quòd ab illo regantur, illuminentur & vivificentur. Ad hæc etiam ipſa tria capita immenſum beneficiorum ſuorum commulum videtur Chriſtus, in terram deſcendens, reduxiſſe, quemadmodum ore proprio his verbis affir-
Jo. 11.6. mavit. *Ego ſum via, veritas & vita.* Via quoad exemplum, veritas quoad Doctrinam, vita quoad culpæ re-
Jo. 8.12. demptionem: & hoc modo ſe verum Mundi ſolem demonſtravit. *Ego ſum lux Mundi*, quæ actiones noſtras dirigit, quæ tenebras noſtras illuminat, nósque vitâ quadam immortali vivificat.

I.

III. Primum igitur caput, ex quo JESU Chriſto infinitè obſtricti ſumus, eſt exemplum, quo nos dirigit, ut ſecuri ultimum finem noſtrum attingamus. *Ego ſum via.* Conſiderate, Chariſſimi, omnem effectuum perfectionem in hoc conſiſtere, ut cauſis ſuis aſſimilentur; ideóque cùm animæ ſint planè proprius DEI effectus, ſequitur, omnem illarum perfectionem à Redemptoris ſui imitatione dependere. Sed huic duæ præcipuæ difficultates ſe opponebant. Prima eſt, quòd Prototypon, quod eſt DEUS, ægrè cognoſcebatur. Altera erat nimia difficultatis apprehenſio in exprimendo ex typo, hoc eſt, ipſâ Divinarum virtutum exercendarum praxi. Utraque hæc difficultas, quæ quaſi duo ingentes montes in via noſtra ſe objiciebat, à Chriſto, qui ſe in viam noſtram fecit, disjecta fuit. *Ego ſum via.*

IV. Quoad primam difficultatem hæc ſemper à primis ſæculis hominibus cum DEO fuit contentio, quòd illi, cùm ex carne compoſiti ſint, DEUS autem purus ſit Spiritus, viſibilem DEUM, ſibique ſimilem habere voluerint. Hæc potiſſima fuit non tantùm inter Gentiles, ſed etiam inter Judæos idololatriæ cauſa; qui tamen erant populus electus. Sub Mundi S. Tho
principium, quando adhuc creationis 2.2. q.
illius recens erat memoria, nullus ho- 49. a.
minum inveniebatur, qui alium, 4. ad 1
quàm verum DEUM adorare cogitâſſet. Et inter Hæbræos, quamdiu in principio viſibiliter DEUS in columnâ per diem nubilâ, de nocte verò coruſcante illos præcedebat, difficile non erat, relictis aliis, illi ſoli Divinum exhibere cultum. At cùm ſucceſſu temporis viva illa Divinitatis memoria inter gentes extingueretur, ut certi eſſent, ſe DEUM habere capacitati ſuæ proportionatum, auſi ſunt aliquem propriis manibus ſibi effingere. *In* Sap. 14
communicabile Nomen lapidibus, & lignis impoſuerunt. Filii enim Iſraëlis DEUM inter ſe non videntes, cùm Moyſes in Monte ſegregatus cum ſolo ſolus ageret, tumultuari, DEúmque petere inceperunt, quaſi illum perdidiſſent, cùm non intuerentur. Quare agnoſcens DEUS tam

mate-

materialem cordis humani affectum, mirabilis amoris captus illico, genio noſtro ſe accomodare voluit, ſenſibilémque, imò viſibilem & familiarem ſe præbere, amoréque noſtri Homo fieri. Ita ut jam homines contenti vivere poſſint, cùm causâ vicerint, poſtquam ſenſibus illorum, tanquam teſtibus, ſe DEUS ſubjecit. *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus & manus noſtræ contrectaverunt, de verbo vitæ annunciamus vobis.* Manifeſtam igitur nunc habemus ideam, dum ab omnibus Chriſti actionibus DEI virtutes, quas imitari debemus, ante oculos nobis ponuntur, quemadmodum obſervavit Sanctus Ambroſius, *Dominicæ carnis actus, Divinitatis exemplum eſt.* Sol quando eclipſin patitur, nunquam totus obtenebratur. Eodem modo Divinitas ſub humanitate abſcondita, non adeò tegitur, ut ex operibus non appareat, quæ illa fuerit. Unde benignitas Chriſti, puritas, patientia, manſuetudo, diſcurrendi ſuavitas, verborum ſinceritas, verbo, omnes virtuoſæ illius actiones eo collimabant, ut ſenſibiliter DEI bonitatem, puritatem, miſericordiam, aliáſque infinitas illius perfectiones, nobis quidem notas, ſed in abſtracto tantùm, perfectè cognoſceremus.

c. 1.

V. Et ecce Divinæ Incarnationis virtute primam, quam in imitando DEUM homo prætendebat, ſublatam difficultatem; quæ erat, quod DEUS in Mundo non cognoſceretur. Sed hæc minor fuit. Nimiùm difficile videbatur homini, poſſe ſe moribus ſuis aſſimilari DEO, cujus virtutum imitationem vix non impoſſibilem ſibi imaginabatur. Ideò neceſſe fuit, Chriſtum nobis fieri exemplum, ut hoc quoque impedimentum à nobis auferret. Homo eo modo formatus eſt, ut ad imitandum aliquid ſit diſpoſitiſſimus. Ratio eſt, quia unusquisque magìs diſpoſitus eſt ad eligendum aliquod bonum in particulari, quàm ad aliquod bonum in univerſali. Quod verò oſtenditur opere, apparet ab operante in particulari electum eſſe, adeóque magnam habet vim ad electionem nos movendi. Ex quo clariſſimè patet, quia Chriſtus Redemptor noſter eſſe voluit, neceſſarium fuiſſe, ut fieret nobis exemplum, eſsétque via noſtra, quâ ipſo tanquam vitâ noſtrâ gauderemus. Aliàs nemo cordi humano perſuaſiſſet, fieri poſſe, ut tanta virtutum obſtacula ſuperarentur. Generoſi Simonis milites videbant præclaram ſibi offerri hoſtes & caſtris, & vitâ exuendi occaſionem. Sed inundans de nocte torrens abruptâ vitâ omnium fregit animos. At ubi Simon ſupremus advenit Polemarchus, tantam advertens puſillanimitatem, nihil dixit, ſed invicto acies tranſiens animo aquam intrat. Credetísne, quæ ſecuta ſit animorum mutatio? Ubi primò vix unus è viginti millibus auſus fuit tentare vadum, præire viſo capite ſuo omnes certatim aquas transvadârunt, ita ut deſideratâ victoriâ potiti ſint. Quòd ſi inclytus hic Machabæus prope littus iſtius fluminis

Ariſt. 2. mor. ad Lud. c. 10. 18.

minis recens exorti exercitum suum gravi oratione ad transvadandum animâsset, quantumcunque sive ab arte, sive à naturâ comparatam adhibuisset eloquentiam, nunquam tantùm effecisset, quantum ipse primus transvadans exemplo suo obtinuit.
1.Mach. 16. 6. *Transfretavit primus, & viderunt eum viri, & transierunt post eum.* Eandem creditote esse hominum conditionem, qui licèt non ignorent, non solùm decens esse, sed etiam indoli suæ tam excelsæ necessarium, sectari virtutes; non tamen primas illas difficultates superare audebunt, quæ quasi impetuosus quidam torrens illorum conatibus opponebantur; donec visibile naturæ humanæ caput inter nos comparens, primum mille laborum pelagus ingressum, fronteque acutissimarum spinarum galeâ conspicuum immensa post se animarum antea timidarum, postea generosarum & constantium, turmam amabili traxit violentiâ. Si DEUS hoc modo non egisset nobiscum, profectò præceptis & persuasionibus ad sanctè vivendum nunquam induxisset.

VI. Antequam enim Christus, exemplum daturus Mundo in terras descendisset, tam corruptus erat Mundus, ut ne quidem unicam in se toto sanam partem exhibere potuerit. Vitium non solùm omnem exuerat pudorem, sed etiam ipsum nomen suum deposuerat; ubique enim latrones, adulteri, homicidæ, scelerati divinis colebantur honoribus, certóque quodam modo supra sidera extollebantur. *Ut fierent miseris religiosa delicta.* Ita compatiens loquitur S. Cyprianus. Ep. 1. Dona. Sed post Christi in terras adventum, ubi simile infamiæ reperietis vestigium, nisi fortè in remotissima aliqua Mundi plagâ, ad quam sanctissimæ legis Evangelicæ notitia nondum pervenit? De cætero Mundus hic, qui ante Christum erat scelerum omnium sentina, nunc maximam saltem partem in liliorum campum conversus est: his siquidem adhuc diebus nostris in omnibus Christianæ religionis partibus inter vitia hominibus communia in plurimis animabus singularis floret pietas, quæ tota Divini capitis hujus exemplo debetur, ante cujus in terras adventum tam difficile erat sectari virtutes, ut celeberrimi Philosophi confessi fuerint, propriâ licèt cum ignominiâ usque ad tempora sua adhuc neminem fuisse inventum, qui præceptis suis homines vitiosos in bonos, & bonos in meliores converterit. Sed hoc non est mirum, illi enim Magistri plùs dicebant, quàm facerent, cùm Christus contrà plura fecerit, quàm dixerit, doctrinámque suam diu antè exemplo suo, & operibus monstraverit, priusquam verbis veritatem docuerit, *Cæpit facere, & docere.* Quamobrem Pla Philosophi illi, qui Mundum reformare studebant, Astronomo comparari possunt, qui neglectâ Sphærâ, Gor sine circino, sine virga in manu, totum cœli sistema solâ voce vellet explicare. Certè populus de hac scientia, nihil caperet: ubi econtrà legis Christianæ veritatem bene intellexit, postquam à Chri-

Christo Domino nostro, utpote magis experto, non solùm rerum cœlestium natura nobis est manifestata, sed etiam vitâ suâ sanctissimâ expressa; quemadmodum sedulus aliquis faceret Astronomus, qui Siderum domos virgâ in arena formaret. Non igitur mirum est illius scientiam tam novæ in Mundo fuisse virtutis, ut homi-
55. nes justificaret. *In scientia sua justifi-*
1. *cabit ipse justus servus meus multos.* Scientia erat ejus, qui in se & à se ipso faciebat, quæ ab aliis requirebat. *Justus justificabit.*

VII. Accedit, exempla à Redemptore nobis relicta, non solùm viam esse sanctitatem assequendi, sed etiam in via illa magis progredien-
brau. di vires suppeditare. S. Wenceslaus
Boh. Rex Bohemiæ solo nivibus tecto de nocte nudipes invisens Ecclesias, cubicularium quemdam ex aliis sibi fidissimum comitem ire voluit. Hic cùm aliquando ob intensissimum frigus (licèt calceatus esset) rigentibus nervis, viribúsque ad porrò pergendum deficientibus subsistere cogeretur, jussus fuit à piissimo Rege, ut pedes suos vestigiis à se impressis immitteret; quod ille cùm faceret, non tantùm sensit pedes suos calefieri, sed etiam reliqua membra, ut sine difficultate in via tam laboriosâ Dominum suum sequeretur. Eundem effectum in animabus nostris Redemptoris nostri præstant vestigia. Non solùm viam nobis monstrant, sed ad illam magnis passibus prosequendam animos & vires addunt; quemadmodum experiuntur, qui iis insistunt.

Vestigia ejus secutus est pes meus, dice- Job. 23.
bat Job, & ecce causam, *viam ejus cu-* 11.
stodivi. Quis autem effari poterit, quantum nobis hoc ipso Christus contulerit beneficium; cùm non tantùm Divinitatis Ideam nobis sensibilem, quam imitaremur, sed etiam imitationem ipsam tam facilem reddiderit?

VIII. Olim homo mittebatur ad ipsas etiam bestias, ut ab iis exemplum
caperet. *Vade ad formicam ô piger.* Prov. 6.
Quasi diceret DEUS, ô homo in pro- 6.
curanda salute tua tam negligens, vade, vade & disce à formica, ut antequam tempus elabatur, pro æternitate tibi consulas. *Interroga jumenta &* Job. 12.
docebunt te, & volatilia cœli & indica- 7.
bunt tibi. Vade & disce à jumentis gratitudinem, servitutem & subjectionem Domino tuo debitam, qui te tam abundanter omni pascit bonorum genere. Disce ab avibus cœli, non volutare te in stercore, qui, ut supra sidera eveharis, creatus es. Ab ipsis etiam addisce vermibus, omnes injurias patienter tolerare, tu, qui ob peccata ipsis multò vilior factus es. Imò quòd ampliùs est, ipsa terra te instruet sufficienter, ne superbias, sed ut etiam, licèt pedibus conculcatus, patienter feras. *Loquere Terræ, & re-* Job. 12.
spondebit tibi. Hæc erant exemplaria 8.
olim à DEO homini proposita. Sed mutata jam rerum facie, postquam DEUS homo factus est, jam dicit; *di-* Matth.
scite à me. Ecce Dominus infinitæ ma- 11. 29.
jestatis, ut sensibile se nobis præberet exemplum, quod rudis creatura pro viribus suis imitari posset, tantopere se abjecit; humanámque carnem

Is. 52. 6. induit. *Ego ipse, qui loquebar, ecce adsum.* O dignationem amore infinito dignam, qualis est Divinus!

IX. Verùm aspicite, quæso, quàm malè hoc exemplar à peccatoribus transformetur! Primò omnium Christi actionum penitus obliviscuntur; si tamen oblivisci dici possunt, quas ne quidem unquam cognoverunt. Cùm enim ejusdem Evangelii habenda esset ratio, quæ chartæ nauticæ habetur à nautis; id est, ut illud semper sit præ oculis apertum, tantus nihilominus Christianorum invenitur numerus, qui ne quidem semel id per annum aspicere dignantur. Quod adhuc pejus est, aliquando tam contrariam Christo ducunt, vitam, ut Machumeti sectatores magis contrarium vivere non possint. *Inimici Crucis Christi.* Non solùm exemplum Salvatoris non sequuntur, sed etiam apertâ se illi fronte opponunt, videntúrque tacitè dicere id, quòd faciunt: ad quid nobis serviunt leges DEI? Quid nobis prosunt ejus promissiones? Quid est denique Cœlum? Concedantur hoc præsenti tempore nobis voluptates, detur auri & argenti copia, promoveamur ad dignitates & honores, futurum illud si-
Sap. 2. 6. bi DEUS servet. *Venite fruamur bonis quæ sunt.* Si Christus fugit delicias, crucésque in hoc mundo quæsivit, si Christus spretis divitiis sectatus est paupertatem: si Christus illusus, contemptus, quibusvis injuriis affectus, cùm vindictam sumere posset, veniam impertivit, sic ille fecerit: nesciebat quid æstimatio, quid oblectamenta essent. Has blasphemias plurimas plurimi Christianorum operibus suis quasi vocibus proferunt, qui adeò perversè vivunt, quasi corpus suum pro DEO suo colerent. *Quorum DEUS venter est.* Phil. 19.
Et hoc modo qualem vitæ Redemptoris non inferunt injuriam; frustra pro illis pauper fieri, frustra obedire, frustra se humiliare, frustra tanto cum dolorum excessu pati voluit; omnem enim exemplorum copiam, quam vivens nobis reliquit, ad imitandum proposuit, ut actiones illius essent visibilis simul & infallibilis bene vivendi norma, *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* 1. Pe. 2. 21
Illius locò peccatores aliud, quod imitentur, exemplum constituunt; & hoc est Diabolus, cui adeò vitæ moribus sunt similes, quemadmodum Filius indole refert patrem suum. Hinc Christus illos Dæmonis Filios appellat. *Vos ex patre Diabolo estis.* Ab illo Jo. 8.
addiscunt DEI mandata nihili facere, superbire, vanâ efferri gloriâ, séque pluris quàm DEUM ipsum æstimare. O peccatum, peccatum! Nec nomen tuum inter Christianos audiri deberet, omnis enim tua perversitas tandem non est aliud, quàm vituperabilis vitæ JESU Christi contradictio, & quasi sagitta in album adeò purum tanquam ad scopum excussa. *In signum, cui contradicetur,* Nihilominus nullum aliud inter Christianos plùs quàm abominabile istud peccati nomen auditur.

II.

X. Secundum Divini Solis officium supra

ſupra Horizontem noſtrum olim comparentis, eſt veracis ſuæ doctrinæ inſtructione nos illuminare. *Ego ſum via & Veritas.* In lapſu hominis non ſolùm propter malitiam voluntas perverſa eſt, ſed etiam propter ignorantiam intellectus turbatus eſt; quare huic tanquam primo hujus microcoſmi motori priùs debebat adhiberi remedium. Ecce igitur alterum finem, propter quem DEUS incarnatus eſt, ut nimirum nos illuminaret, & tanquam Magiſter Fidei veritates doceret. *Ego ſum via, & veritas.* Hoc Doctoris officium inſeparabiliter cum altero Redemptoris conjunctum eſt, unde inſtructionum, quas ſacratiſſima Humanitas, in Mundum prodiens, à Patre accepit, illa fuit maximè præcipua,
2. 6. ut verbis ſuis nos illuminaret. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion Montem Sanctum ejus, prædicans præceptum ejus.* Atque ut hoc ipſum Mundo magis innoteſceret, placuit æterno Patri Divinum hunc Magiſtrum publicè in Monte Thabor quaſi Doctoratûs laureâ inſignire, veſtire gloriâ, omnibus hominibus commendare, ut Filii ſui lectiones auſcul-
tth. 5. tarent. *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite.*
Thom. Ipſe etiam Filius, officio ſuo jam fun-
q. ar. 3. gens, nunquam ideò privatas, ſed
n. 8. ſemper publicas dedit lectiones, ut
10. oſtenderet, illas eſſe univerſales. *Ego in occulto locutus ſum nihil.* Tali omnino Magiſtro indigebant homines, qui ſolus verè Magiſter dici poterat: ſolus enim duas illas dotes, ad Magiſterium requiſitas, perfectè poſſidebat, hoc eſt, ſcire veritatem, & nôſſe alios eandem docere.

XI. DEUS igitur homo factus veritatem, quam docere debeat, perfectè novit. Quis enim de hoc dubitabit? Nemo Regionis alicujus ſitum & mores meliùs enarrabit, quàm qui in eâdem educatus fuit, pluréſque præterea annos in ea vixit. At DEI Filius natus eſt, & in æterni Patris corde æternùm vixit. *Unigenitus, qui eſt in ſinu Patris*; ideóque quis meliùs, quàm ille, Divina nos poterat docere arcana, qui fidei noſtræ Auctor fieri volebat, illius fidei, quæ non tantùm altiſſimam, ſed etiam omnium ſenſuum noſtrorum cognitione ſuperiorem nobis Patriam revelat; Alphonſus Arragoniæ Rex, Aſtronomus famoſiſſimus, ſolebat dicere, eum, qui motus planetarum infallibiliter demonſtrare vellet, debuiſſe longo tempore ſupra ſphæras cœleſtes habitare. Ecce igitur cauſam, cur antiqui Philoſophi apti nòn potuerint eſſe Magiſtri ad veritatem ſupernaturalem tradendam. Hic non ſolùm continuò ſuper ſtellas habitavit, ſed in cœlo empyreo inter ſplendores Sanctorum commoratus eſt, *in ſplendoribus Sanctorum*; ita ut de cœleſti Paradiſo, mediiſque ad illum aſſequendum loquens, iiſdem verbis uti potuerit; quæ Angelus Tobiæ, cujus ducem itineris ex Ninive in Rages ſe obtulerat, retulit. *Novi & omnia itinera ejus frequenter ambulavi.* Sinite ergo à me vobis monſtrari viam, omnem excuti timorem, notiſſimus eſt enim mihi terminus, ad quem vos duco, omnéſque ejus vias

S. Thom. 1. 2. q. 111. a. 4. in c.

Tob. 5. 8.

novi, nec aliquo tantùm tempore illas ambulavi, sed omnibus sæculis easdem calcavi.

XII. Quemadmodum autem Filius DEI essentialiter est veritas in cognoscendo, unde etiam errare non potest, sic etiam essentialiter est veritas in loquendo; unde ne quidem decipere potest; id quod omnes Fideles immenso deberet replere gaudio, quibus tam magnus datus est Magister: siquidem, ut aliàs vobis dixi, verba DEI tam sunt efficacia, ut idipsum efficiant, quod affirmant; ita, ut, si licet dicere, ipsa falsitas in ore DEI fieret Veritas, cùm in DEO idem sit
Ps. 148. dicere ac facere. *Ipse dixit & facta*
5. *sunt.* Ideóque de veritatibus à Christo nobis revelatis, magis certi sumus, quàm de illis, quas oculis videmus aut manu tangimus, aut ipsa ratione cognoscimus, quia verbo omnipotentis DEI fidem habemus, qui rem quamdam affirmans, efficit, ut
Prov. 8. fit. *Justi sunt omnes sermones mei.*
9. *Non est in eis pravum quid, neque perversum.* Charissimi, quid vobis videtur de hoc Divino Magistro; an non deceret semper fixam doctrinæ illius intendere mentem, cùm certi simus, nos illi credentes errare non posse? ob hanc causam magnes semper vivacissimè respicit suum polum, quia hic, cùm immotus sit, fallere non potest.

XIII. Verùm quod amplius est, Christus Divinæ scientiæ infinitæ alteram, magisterio adeò propriam conjunxit prærogativam, quæ est, non tantùm scire, quæ docenda sunt, sed etiam nôsse eadem docere. Quare Divina ipsius verba meritò sigillo comparantur, quæ non tantùm continent, sed imprimunt veritatem.
Vox Domini concutientis desertum, in- Ps. 28
quit Propheta. Veniens in Mundum Salvator, illum quasi desertum invenit, quòd verborum suorum efficaciâ sursum deorsúmque invertit: *De-*
serta in ubertatem versa. Mutavit le- Is. 5.
ges, invertit dictamina, direxit desideria, nova dogmata antiquis planè contraria stabilivit. Effecit, ut quod priùs sperabatur, nunc timeatur; quod priùs erat horrori, nunc desideretur; quod cunctis erat odio, nunc ametur. O admirabilem mutationem, Divini hujus Magistri loquendi efficaciâ dignissimam! Si mirabilem verborum ipsius vitæ æternæ vim cognoscere velitis, memineritis tantùm illius, quod suprà dixi, id est, ante Adventum Christi, quasi à toto Mundo adoratos fuisse Dæmones, nunc autem propè ab universo DEUM adorari. Ab hac Cognitionis mutatione apertè emendatio Mundi potest intelligi, quemadmodum ex oculorum serenitate ægri convalescentia arguitur. Tali ergo Magistro indigebat humanum genus; nec alius ullus sufficiebat: tam profundis enim ignorantiæ tenebris æqualiter omnes involvebantur homines, tantáque turgebant superbiâ, & cùm, sicut ignorantes indigerent instructione, tanquam superbi eandem nolebant admittere; persuadentes sibi, se quantum satis est, nôsse: similes illis spicis, quæ quò magis vacuæ sunt, eò altiùs capit.

h. 5. capita attollunt. Opus igitur erat no-
. 42. bis Magiſtro, qualis eſt ille, id eſt Divi-
40. no, qui eſſet veritas in ſciendo, & veritas in imprimendo, infinitámque contineret ſapientiam ad veritates incognitas nobis revelandas, infinitámque potentiam ad easdem perſuadendas.
tth. Quod reipsâ oſtendit. *Erat docens ſi-*
o. *cut poteſtatem habens, & non ſicut Scribæ eorum, & Phariſæi.* Quare quotidie à Chriſtianis Divinæ providentiæ agendæ eſſent gratiæ, ſe hoc tempore natos eſſe, quo tam famoſa & florida ſchola à Chriſto unico Mundi Docto-
30. re jam aperta fuit. *Erunt oculi tui vi-*
). *dentes Præceptorem tuum; & aures tuæ audient verbum poſt tergum monentis.*
l. 9. *Hæc eſt via: ambulate in eâ, & non*
3. *declinetis neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram.* Certè ſi Philippus Rex Macedonum pluris æſtimavit, quàm integrum acquiſiviſſe regnum, quòd eo tempore Filium habuerit, quo Ariſtotelem ipſi Magiſtrum dare potuit, quantò pluris unusquisque noſtrûm facere deberet, ſe hoc magni Vitæ Magiſtri tempore Mundo natum fuiſſe?

XIV. Nihilominus videte, quanta ſit hæc abominatio! Peccatores ad Salvatoris doctrinam recipiendam tam ſunt refractarii, ut etiam omni ſtudio illi ſe opponant. *In ſignum, cui contradicetur.* Quod eſt inter omnia Evangelii dogmata, cui temerarii peccatores non contradicunt, dum in contemptum verborum Chriſti felicitatem ſuam in carnis voluptatibus quærunt, quam Chriſtus in ſolis mediis ad cœleſtem gloriam conſequendam ordinatis inveniri docuit, quæ ſunt pœnitentia, patientia; virtutes, bonáque opera? Sed quid refert illam eſſe Chriſti doctrinam? ipſi pro arbitrio ſuo credere volunt, nec quidem veritati fidei dignantur præbere aures. An hæc, quæ dico, probare non poſſum? Ite ad quemdam vindictæ cupidum, & dicite illi; Evangelii doctrinam eſſe? veniam inimicis impertiendam. Statim hic vobis reſpondebit; id fieri non poſſe, hac in re de honore ſuo agi. Ite ad alium, qui pecuniam multò pluris facit, quàm DEUM, & dicite illi, Evangelium minari divitibus væ! *Væ vobis divitibus!* egenis fauſta ominari: *Beati pauperes:* verba hæc riſu & cachinnis excipiet, nec ſibi unquam perſuadebit, hominem inopem feliciorem eſſe, quàm divitem. Quin etiam ipſum mortificationis, moleſtiæ & crucis nomen plùs horrent, quàm mortem; nec timent offendere DEUM, modò voluptatibus tempore vitæ ſuæ frui poſſint. *Voluptatum magìs ama-* 2. Tim.
tores quàm DEI. Et hoc non eſt ſo- 3. 4.
lùm non vivere Chriſtianorum more, ſed ne quidem, ut Chriſtianum credere. Dixerunt DEO: *Recede à nobis, ſcien-* Job. 21.
tiam viarum tuarum nolumus. Duas 14.
ſcientiarum ſpecies Chriſtus non docuit in Evangelio. Una eſt veritatum ſpeculativarum; ſicut exempli gratiâ eſt myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis; altera eſt veritatum practicarum; velut eſt, ſolum timere DEUM; ante omnia animæ quærere ſalutem; Divinorum præceptorum obſervatione cœlum lucrari. Prima ſcientia, quæ eſt *ſcientia finis*, bene quidem à peccatoribus admittitur; non autem ſecunda, quæ eſt

est *scientia mediorum.* Imò hanc rejiciunt. *Scientiam viarum tuarum nolumus.* Viam sibi fingunt pro arbitrio suo, volúntque, ut sit bona; & quamvis toto anno, totáque vitâ suâ viam ingrediantur Inferni, nihilominus sibi persuadent, illâ ad cœlum se ducendos. Quâ igitur majori Divina sapientia affici potest injuriâ, quàm quòd illi fides non adhibeatur? Mendacii aliquem arguere, præcipuè virum honoribus conspicuum, major est despectus, quàm dici possit. Prorsus idem licèt non verbis, sed operibus, id est magìs liberè ab omnibus dicitur Christianis; qui voluptates sequuntur, quas Christus suasit fugere, fugiúntque mortificationes, quas ille quærere & amare docuit; tales pleni iniquitatibus, actionibus suis salutis viam à Christo in hoc mundo mon-
Luc. 1. 7. stratam contemnunt: *ad dandam scientiam salutis.* Imò dogmatibus omninò contrariis cathedram erigunt pestilentiæ, audéntque effutire, eos, qui more Mundi non vivunt, carere cerebro, nullis ingenii pollere dotibus, nullum talibus inesse mentis vigorem, esse quidem homines bonos,
Job. 12. 4. sed nulli rei aptos. *Deridetur justi simplicitas.* Et hæ sunt mutuæ illæ vices, quas Magistro suo Divino reddunt Christiani, non solùm secundùm doctrinam ejus non vivendo, sed stultitiam eandem æstimando; cùm tamen pro certo teneant Magistris terrenis, quacunque obsequiis exhibitione non posse reddi æquivalens; ipsi verò se nimium putant facere, si nomen Christianum gerant, quamvis postea hoc ipsum nomen gentilium operibus infament.

XV. Quomodo tantæ Magistro suo à Christianis possent inferri injuriæ, si aliquatenus obligationes suas erga illum agnoscerent? ast illi opponunt incapacitatem suam quasi thoracem æneum, ut motivis, quæ ad illarum æstimationem inducere possent, penitus resistant. Proinde forsitan Job inquiebat, Peccatoris caput non galeâ, sed pinguedine armatum esse. *Currit ad-* Job. 15. 26.
versùs eum erecto collo, & pingui cervice armatus est. Videte, quàm insolita sit hæc armorum forma. Caput non duro chalybe, sed molli adipe munitum ostentare. Videtur Scriptura his verbis significare velle, quàm malè ad Doctrinam Evangelicam apprehendendam, ejúsque Magistrum amandum dispositus sit peccator; quia quemadmodum pinguedo corporis non est animata, nec sentit, ita eâdem potiùs, quàm aliis armis se muniunt peccatores, ut Evangelio resistant, dicentes, se illud non intelligere.

III.

XVI. Verùm major omnibus hominum erga JESUM Christum ingratitudo est illa, quòd non solùm illum tanquam viam, sed etiam tanquam veritatem despiciant. Parum fuisset, si Sol ille Divinus actiones nostras exemplis suis direxisset, doctrináque suâ tenebras nostras illuminâsset, si non etiam morte sua vitam nostram revivificâsset. Necesse est hîc meminisse, naturam nostram duplici fuisse subjectam morti, uni pœnæ, alteri culpæ

culpæ. Erat morti culpæ subjecta tam propter peccatum originale, in quo nascimur; quàm propter peccata actualia, quæ committimus; antiquúmque debitum, à Patre Adamo nobis relictum, novis nominibus augemus. Hæc mors gratiæ; quæ fuit prima, consequenter post se mortem secundam, hoc est damnationem traxit. Ratio erat, quia hoc rerum statu causa nostra omni destituebatur remedio. Ex unâ parte non decebat, DEO à Peccatoribus offenso pro tantâ injuriâ non satisfieri. Ex alterâ parte quis unquam potuisset satisfacere? Tam immensæ summæ hoc erat debitum, ut ab omnibus possibilibus creaturis simul junctis dissolvi non potuisset.

...hom. ...q. 1. ...2. ad

XVII. Saltem fortè sperari poterat, inveniendum aliquem intercessorem, cujus precibus mitigatus DEUS liberè remitteret, id quod homo solvendo non erat? Verùm quis Seraphinorum etiam supremorum hoc unquam ausus fuisset tentare? Quando Rex aliquis terrenus contra Rebellem irâ accenditur, nullus Aulicorum in favorem Rei vel os aperire dignabitur; imò pro læsæ Majestatis reo gratiam petere, quiscunque ille foret, esset seipsum in omnia sæcula infamem reddere. Perpendite igitur, an supremi illi Spiritus minorem erga DEI sui Majestatem habuissent respectum, quàm homines erga vilissimæ terræ Majestatem habeant? Actum igitur erat de causa nostra in æternum, nec homo aliud facere, aut sperare poterat, quàm post vitam, inter tot malæ culpæ transactam, in omnium malorum pœnæ pelagus, Dæmonúmque societatem delabi, ad instar turbidi alicujus torrentis, qui post varios errores & exundationes tandem in alto mari perditur, nec revertitur. Solus Verbi Divini amor tam inevitabili huic jacturæ poterat adferre remedium, hic enim Dominus Divinæ naturæ humanam adjungens, ut homo pati potuit, & nunquam DEUS passionibus suis infinitum potuit dare valorem; ita ut pro peccatis nostris superabundanter satisfaceret; nósque à duplici culpæ & pœnæ morte liberaret.

S. Thom. 3 p. q. 48. ar. 2.

XVIII. Atque hîc inauditas ipsiúsmet hujus amoris inventiones advertite. Primò maximum nobis contulisset beneficium, si tantùm ab Inferno nos liberâsset, quamvis de cætero in aliis hujus Mundi miseriis immersos reliquisset: sed quanta hæc est gratia, quòd non tantùm ab Inferno nos liberârit; sed insuper Regni sui perpetuos instituerit hæredes? Si miser aliquis papilio, dum lumen circumvolat, jamjam adurendus, à longè à magno conspiceretur Monarcha, ita ut illi compatiens, è throno suo descenderet, suísque manibus facem extingueret, futurum volatilis hujus insecti rogum, quantum hic papilio Domino erga se tam benigno obligatus non esset? Quod si non solùm illum ab his flammis liberâsset, sed etiam ad perfectionis gradum Aquilæ similem extulisset, ita ut ei supra nubes parem volandi virtutem tribueret, ibique omni cum securitate irretortis oculis, pennísque illæ-

ſis non jam faculæ flammulam, ſed ipſum ſolem contemplaretur, quanto ampliori beneficio ſe non obſtrictum ſentiret miſer hic vermiculus? Hæ ſunt cerebri noſtri imaginationes, quæ nihilominus ne minimam quidem partem debiti noſtri erga Chriſtum vitam noſtram explicant; inter DEUM enim & hominem major infinities eſt diſſimilitudo, quam inter Papilionem & Monarcham. Et inter animalculi hujus combuſtionem, & ad aquilinæ virtutis elevationem, ut ſolem contempletur, diſtantia eſt infinities minor, quàm non eſt inter æternas infernalium flammarum pœnas, & æternam gloriæ cœleſtis cum Angelis DEI poſſeſſionem, Divinitatiſque de facie ad faciem contemplationem. Hoc tamen modo DEUS egit nobiſcum, ut pro nobis, ut amore noſtrî homo fieret & vita noſtra, qui noſtri non indigens, vitam ſummè beatam agebat.

XIX. Altera adhuc major inventio eſt, quòd cùm Filius DEI minimo aliquo labore omnem humanorum delictorum reatum compenſare potuerit, ærumnis etiam & doloribus in hoc Mundo inauditis, & quos alii nulli æquant, exſolvere voluerit; neque aliquem è nobis minori pretio quàm propriâ morte ſuâ redimere. Unicum ſolum hujus Divinæ vitæ momentum, quo Verbum æternum Incarnatum vivebat, majoris erat valoris, quàm vitæ omnes, licèt æternæ omnium creaturarum poſſibilium. Nihilominus in corde JEſu, licèt non in illius mente, plùs valuit vita noſtra, quàm ipſius mors, quia amor illius pro utilitate noſtra lanci alteri pondus addiderat. Robertus Rex Angliæ bellum gerens in Syriâ, fortunâ adverſâ in brachio ſaucia tus fuit; quod tamen vulnus leve dici potuiſſet, niſi illum peſſimo, qui vigebat inter barbaros, more, telum veneno imbutum in graviſſimum vitæ periculum conjeciſſet. De tam boni Regis vita jam deſperatum erat, niſi unicum adhuc remedium à Medicis inventum adhiberetur; ut nimirum quæreretur aliquis, qui admotis labris infectum humorem è vulnere exſuggeret. Verùm Robertus admiranda animi moderatione in hoc vitæ genere iſti medicationi, tanquam crudeli repugnabat; abnuens conſtanter, ſe periculum vitæ ſuæ, licèt regiæ, tamen etiam mortalis, in alium, quamvis privatum, transmittere velle. Sed quid exſpectatis? Amicas Reginæ uxoris ſuæ inſidias evitare non potuit. Hæc cum Robertus placidè ſomnum caperet, de nocte ſummo cum ſilentio cubiculum intrat, detectóque brachio ſenſim ſine ſenſu faſciam ſolvit. Inde admotis ſæpiùs labris, ſumma cum alacritate venenum exſugit, adeóque animoſè mortem Regi paratam, ſed ab Amore in ipſam translatam, haurit. Affectum adeò generoſum ſtupent hiſtoriæ. Sed quid hoc eſt, ſi cum amore Chriſti comparetur, qui crucem etiam pro ſervo, & quidem rebelli moriturus aſcendit?

Ludov. Vives. Christ. fem.

XX. At prô dolor! omnibus hiſce charitatis exceſſibus peccatores enormem ſuam reponunt ingratitudinem, opponentes ſeſe Redemptori, qui morte

morte adeò doloroſa factus eſt ipſis vita. Quod duobus horrendæ contradictionis modis efficiunt: primò enim Divinæ hujus mortis effectus impediunt; deinde ejuſdem cauſas renovant. Primò itaque effectus impediunt.

XXI. Primaria Chriſti intentio, cur vivendo & moriendo pro nobis ſe vitæ noſtræ authorem fecerit, fuit, ut peccatum è Mundo tolleret. Hoc ſigno diſtinctivo à Sancto præcurſo-
12.9. re monſtratus fuit: *Ecce Agnus DEI: ecce qui tollit peccatum mundi!* Ecce victima, à qua Mundi peccatum deſtruetur. Peccatum nominat generatim, quia Chriſtus non hoc aut iſtud in particulari, ſed quidquid ra-
m tionem peccati participat, deſtructu-
q. rus venerat: *Tollit peccatum mundi.*
r. 1. Nec vobis perſuadete, hunc fuiſſe finem illius ſecundarium, fuit enim maximè præcipuus, ita ut unicus fructus dici poſſit, quem prætendit vitâ & paſſione ſua. Audite, quid ſen-
7. 9. tiat Iſaias: *Iſte omnis fructus, ut auferatur peccatum Jacob.* Si ergo hoc centrum eſt, ad quod omnes cogitationes, omnia verba, omnes actiones, omnes promiſſiones, omnes proteſtationes, omnia beneficia, omnes labores & anguſtiæ, tota denique vita, & DEI hominis mors dependerunt, ut iniquitatem deſtruerent, è cordibus proſcriberent, & in abyſſum relegarent; ſequitur manifeſtè à Chriſtiano peccante, quoad illum, primarium Redemptionis effectum impediri, illique ſe vitæ opponere, quam Chriſtus morte ſua nobis dare dignatus eſt. Jam quoque meliùs, quàm unquam veritatem illius intelligetis, quod de peccatoribus affirmat Pſalmiſta, ubi ait: *Quoniam quæ perfeciſti, deſtruxerunt.* Ps. 103. Sed quomodo hoc? quomodo & unde has poſſederunt vires? Si enim infelices ipſi, qui ſunt etiam manus Divinæ opera, ſe deſtruxiſſent. Scitisne, quomodo opera DEI deſtruxerint? Peccatum renovârunt, ad cujus deſtructionem omnia tam Divinæ Juſtitiæ, quàm Miſericordiæ opera erant deſtinata; imò quaſi ipſi DEUS ad mortem deſtinatus erat, ut ſimul cum ipſo infernalis culpæ monſtrum moreretur. Ita ut jurato Chriſti inimico, in intimo corde locum dare, proſcriptóque hoſti in libero arbitrio noſtro aſylum concedere, ſit Incarnati Verbi vitæ & morti ſe opponere, & utramque inefficacem reddere, ne maximus fructus ab iiſdem intentus hauriatur. *Quæ perfeciſti, deſtruxerunt.*

XXII. Quod deterius eſt, Chriſtiani peccando non ſolùm deſideratos à Chriſto, vivendo & moriendo pro nobis, fructus impediunt, ſed etiam hujus mortis cauſas renovant. Expreſſit hiſce terminis de modernis peccatoribus loquitur Apoſtolus: *Rurſum crucifigentes in ſemetipſis Filium DEI.* Hebr. 6. Quod duobus modis intelligi poteſt utroque intenti horrore pleniſſimo. Peccatores, inquit Sanctus Thomas, de novo peccantes *In Epiſt.* crucifigunt JESUM Chriſtum, quia *ad Heb.* idipſum faciunt, propter quod Chri- c. 6. ſtus Crucifixus fuit, quod eſt pecca- *lect.* 1. tum. *Vulneratus eſt propter iniquita-*

tes noſtras: attritus eſt propter ſcelera noſtra. Quare ſi doloroſa Redemptoris mors tantæ non fuiſſet efficaciæ, ut pro omnibus peccatis poſſibilibus ſatisfaceret, neceſſe foret, Chriſtum propter obligationem, quam ut Fidejuſſor contraxit, toties ſe crucifigi permittere pro culparum noſtrarum ſatisfactione, quoties eaſdem peccando renovamus. Non aliter quàm in antiquæ legis ſacrificiis fieri ſolebat, quæ quia ſufficientia non erant ad expianda delicta, pro quibus deſtinata erant, toties iterari debebant, novæque offerri victimæ, quoties Hebræi novis ſe culpis inquinabant.

XXIII. Alius Sancti Apoſtoli verba explicandi modus eſt, qui ſequitur, quando committitur peccatum, id producitur in lucem, quod Filius DEI abſque ullâ comparatione plùs odit, quàm omnes pœnas & dolores, quos pro eodem ſuſtulit. Ita, ut ſi ex unâ parte flagella, ſpinæ, ſputa, clavi, fel, aliáque paſſionis ponerentur inſtrumenta, & ex alterâ unum ſolum peccatum mortale poneretur, hoc ſolum peccatum plùs Chriſto foret contrarium, quàm totus tormentorum cumulus, quæ, ut tantum hoc monſtrum peſſumdaret, libenti animo ſubivit. Atque adeò, ſi Dominus noſter à peccatoribus re ipſa de novo non crucifigitur, quotiescunque peccato illum offendunt, tamen æquivalenter crucifigitur; imò ampliùs; quia injuriam ab illis patitur ſibi magis moleſtam, quam ab omnibus atrociſſimis Paſſionis inſtrumentis ſimul in uno faſciculo collectis paſſus eſt.

XXIV. Quamobrem bene perpendite, quid ſit peccatum aliquod mortale admittere! Et tamen non deſunt, qui dicant: *Quid ergo mali eſt?* Majus malum eſt, quàm egeſtas, omnésque Chriſti DEI hominis duriſſimi labores, & dolores; imò majus eſt, quàm mors ipſa illius in Cruce: infinitâ enim ſapientiâ ſuâ omnia hæc mala pœnæ elegit, ut malum culpæ deſtrueret, factúsque eſt pro nobis vita noſtra, ut gratiâ viventes peccato moreremur, nullum unquam ampliùs committentes, quaſi revera mortui eſſemus. *Peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, ut peccatis mortui juſtitiæ vivamus.* 1. Pet. 2. 24. Deſunt mihi verba, quibus Diabolicam Chriſtianorum illorum explicem ingratitudinem, qui tam enormiter DEUM offendunt, & poſtquam DEUM offenderunt, adhuc audent interrogare, quid mali fecerint? quare caſum naturæ humanæ ignominioſiſſimum ab hiſtoricis relatum illis ante oculos ponam.

XXV. Præteritis bellicis in Belgio tumultibus, miles fugitivus cum aliis pluribus in pœnam perfidiæ ex arbore ſuſpenſus eſt. Sed ſive fortuna illi bene voluerit, ſive lictoris fuerit culpa vitam laqueus non intercluſerat. Alius igitur miles propè tranſiens, cùm aliquod adhuc vitæ ſignum in hoc miſero homine adverteret, accurrit, ſtrictóque pugione laqueum præſcindit, ſenſimque ſupra humeros ſuos incli-

inclinatum, ne lapsus superstitem vitam finiret, in terram demisit, laqueóque solutum, quibus potuit mediis refocillavit, tandémque summæ pietatis excessu, ut Judicum manus effugeret, miserúmque in tuto collocaret, retrò se in equi tergum posuit: Sed ingratiudinem etiam à bestiis inauditam percipite. Miles hic vix mortis ereptus faucibus in via jam planiore advertens liberatorem suum notabilem pecuniæ summam habere, ex improviso, illum ipsum pugionem, quo laqueum sibi abscisum sciebat, extraxit è vagina, totiésque optimi benefactoris sui humeris infixit, donec mortuum equo dejiceret. Inde equi tergore descendens, pecuniâ, armis, & vestibus spoliatum nudum in campo corvis & canibus futurum pabulum reliquit; ipse verò additis equo calcaribus fugâ ad tutiora se recipit. Charissimi, an non audientes hoc portentum ingratitudinis, quâ vix unquam atrociorem toto vitæ vestræ tempore intellexeritis, sanguinem vestrum contra hunc latronem, monstrum non hominem, accendi sentitis? Atque utinam cujuscunque peccatoris ingratitudo hoc modo narrata non incomparabiliter esset atrocior! Non à gregario milite, sed à DEO exercituum, non à brevi corporis, sed ab æterna animæ simul & corporis morte liberati sumus, & ab infinita illa miseria non facili conatu, gladium fortè corpori lethaliter infixum extrahendo, sed immensis cruciatibus nos æterno eripuit exitio; ita ut totum sanctissimum sanguinem suum è venis profuderit. Tantâ tamen redempti charitate non erubescimus Divino benefactori nostro mortem inferre, qui tantis cum tormentis vita nostra fieri voluit. *Rursum crucifigentes Filium DEI, & ostentui habentes.*

XXVI. An non igitur jure merito pronunciavit sanctus Augustinus, infidelem peccantem verè Infernum mereri; sed Christianum peccantem Infernum non mereri, sed mereri, ut ipsius potissimum causâ fiat Infernus, aliúsque ipsi cruciando ignis incomparabiliter ardentior accendatur, nec non aliæ multò crudeliores ultrices illi furiæ constituantur. Omnia hæc merentur peccata nostra ob circumstantiam quamdam, quæ in ipsius etiam Luciferi peccato non invenitur, & est hæc; quòd exemplis doctrinæ & ipsi Redemptoris morti adversentur. Gratia Lucifero, ipsiúsque sequacibus Angelis collata hoc novum non habebat pretium, ut JESU Christi Sanguine tincta esset, quàm habet gratia nobis concessa. *In aspersionem Sanguinis JESU Christi, gratia vobis multiplicetur.* Id quantumvis etiam infidelium aggravet culpas, nihilominus cujusvis Christiani intolerabilores reddet, qui non solùm, quemadmodum alii homines, redemptus est, sed insuper se sub victricibus Redemptoris signis militare profitetur. Olim leges cuivis permittebant, seipsum in servum vendere; non concedebant tamen militi; sed illum severissimâ morte puniebant. Sic non est dubium, legem Divinam nunquam permittere, animam propriam Diabolo ven-

1. Pet. 1. 2.

1. Quædam c. de pœnis.


vendere, id enim si faciant, ipsi Turcæ, Judæi, & Infideles pœnas dabunt. Quantò autem acerbiores à Christiano exigentur pœnæ, qui militiæ Christi Nomen dedit, ut iniquitatem debellaret? Magnam infamis miles Duci suo faceret injuriam, qui cùm pro honore illius gloriosè pugnandum esset, *sicut bonus miles Christi*, arma abjiceret, fideique suæ professionem erubescens, Inferno se venderet, ut malum illud perpetraret, ad
3. Reg. quod destruendum sacramento ob-
21. 25. strictus est. *Venundatus est, ut faciat malum.* Quare fateri necesse est, malum Christianum Christo magis contrarium esse, quàm infidelem aut Diabolum. Nihilominus Christiani peccatores has veritates non perpendunt, sed etiam parum apprehendunt, exemplis, verbis & Salvato-
Sap. 14. ris morti contradicere. *Non sufficit er-*
22. *rare eos contra DEI scientiam, sed & in magno viventes scientiæ bello, tot & tam magna mala pacem appellant.* At si nunc has veritates non apprehendunt, aliquando certè eas plùs satis cognoscent.

XXVII. Veniet tempus, & fortè brevi veniet, quando anima hoc misero soluta corpore, subitò horribile summi judicis tribunal erectum videbit. Et quid tunc dicet, quando à Divino Verbo Incarnato se Judicandam intuebitur, non quidem velut alii infideles, sed modo terribiliori acerbiorique, quem patrati ab illa excessus merentur? Alii infideles positâ ante oculos illorum Lege naturali, illóque cognitionis, & confusionis lumine, quo peccantes non carebant, pectoribus ipsorum infinito, judicabuntur. Sed Christiani posito ante oculos ipsorum Christo judicium subibunt. *Statuam me contra faciem tuam*, cuivis nostrûm dicere poterit, stantibúsque coram Divinæ Majestatis ipsius throno pro majori horrore nostro adjungere: *Ego sum JEsus, quem tu persequeris.* Act. 9.
Ego sum ille DEUS, qui cùm sim omnium rerum finis, amore tui factus sum tibi via, ut salvareris. *Ego sum via.* Ego sum ille Magister, qui postquam ore Prophetarum tibi locutus sum, extremæ tuæ compatiens ignorantiæ, de cœlo descendi, ut ore proprio tibi loquerer, & ut meliùs intelligeres Divinatis Mysteria, ut eam aliquando possidendam media necessaria linguâ humanâ explicavi. *Ego sum veritas.* Ego sum ille JEsus, qui corpus meum velut scutum Divinæ Justitiæ opposui, & in membris meis jacula contra te vibrata excepi. *Ego sum vita.* Et post hæc omnia me persecutus es, nec velut extraneum, sed tanquam ignotum, imò hostem me habuisti, & hoc usque ad extremum vitæ, nec unquam emendare te voluisti. *Ego sum JEsus, quem tu persequeris.* Ad hunc modum quemvis nostrûm Christus posset alloqui, omnium injuriarum causam exigere, quas huic exemplari, huic cœlesti doctrinæ, huic vitæ, tantis pro nobis doloribus exacto intulimus.

XXVIII. Quid nunc perversus respondebit Christianus, non solùm

omnium actionum suarum, & vitæ tam perperam actæ reus, sed etiam non minùs actionum, & vitæ DEI hominis rationem redditurus, quibus tam apertè contradixit? Si Philosophi antiqui non fuerunt excusabiles, ut asserit Apostolus, eò quòd in scholâ naturæ instructi videndo DEUM non glorificaverint, quem istiùsmet naturæ auctorem cognoverant: *Ita ut sint inexcusabiles, quia cùm cognovissent DEUM, non sicut DEUM glorificaverunt.* Quam excusationem poterimus adferre nos Christiani, qui in scholâ fidei eruditi, DEUM confitentes, qui ut ad vitam nos duceret, factus est via nostra & veritas, cùm firmiter illi credere & adhærere debuissemus, moribus nostris plus quàm Barbari illum oppugnavimus? Charissimi, si velimus, adhuc resipiscendi tempus habemus; nondum formidandi Judicis partes agit, sed Advocati, quare sincerâ Confessione peccatorum nostrorum veniam ab ipso postulemus, veráque & seriâ conversione vestigiis illius insistentes doctrinæ ejus nos conformemus; faciamus denique, quidquid nobis possibile est, ut sublimem illum finem consequamur, pro quo JEsus Christus è cœlo in terras descendit, ut nobis primò gratiæ, deinde gloriæ vitam daret. *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantiùs habeant.* Jo. 10. 11.

* * *



DISCURSUS VI.

De Odio, quo DEUS in peccatum fertur.

BONI Regiminis lex est, ut quandoque stateræ & pondera examinentur, publicáque auctoritate approbentur. Vellem itaque, ut laudabilis hæc consuetudo in utilitatem animæ nostræ introduceretur. Quæ est nostra statera? est ea, quam de rebus habemus, æstimatio. Verum quoties inter ipsos Christianos
.20. hæc fallit? *Dicunt bonum malum & malum bonum.* Virtus enim non pluris æstimatur, quàm tenebræ, despiciturque, econtra peccatum ipsum, quod tamen Infernô horribilius est, beatum & pulchrum quasi lux ipsa putatur. *Ponunt tenebras lucem; & lucem tenebras.* O perversa ponderatio, ideóque coram DEO, qui est ipsa veritas, abominabilis! *revertimini* igitur, *revertimini ad lucem.* Bilancem tam falsam examinemus hodie, & Sanctuarii, quod fallere nequit, stateræ conformemus. Immensum DEI Odium, quo peccatum persequitur, perpendamus, discamúsque ab illo, quàm justum sit, ut nos detestabile hoc monstrum abominemur. Quare duas hodie veritates exponam, qualitates scilicet Divini hujus Odii, ejus-

ejusque motiva, incipiamus à primâ.

I.

II. Quasi vobis diceremur, DEUM plùs esse peccato contrarium, quàm album nigro, quàm dulce amaro, quàm lucem tenebris, sic loquendo videret mihi jocari. Dico DEUM tantopere detestari peccatum, ut si ex omnibus mentibus Angelicis una fieret, & si omnes hominum linguæ coalescerent in unam solam, illa mens tam perfecta neque intelligere posset, nec lingua illa tam eloquens explicare vel minimam quidem partem maximæ istius contrarietatis, quæ inter DEUM & peccatum invenitur. Nihilominus, ut aliquid cum fundamento dicam, hisce inhærebo verbis, à Sancto Rege Davide nobis transcriptis, ut in ipsis, tanquam mysterio abscondito, campum habeatis supremi hujus Odii conditiones investigandi. In Psalmo igitur quinto nobis indicat, quemadmodum nullum mane elabi permiserit, quo non attentè contrarietatem, inter bonitatem DEI & iniquitatem perpenderit, ideóque intensiùs rimando agnoverit Odium DEI adversùs peccatum, odium esse essentiale. *Mane astabo tibi & videbo, quoniam non DEUS volens iniquitatem tu es.* Psal. 5.

III. Quid cogitatis, charissimi, esse DEUM? Est hostis peccati. Quidquid perfectionis est in hâc boni abysso, totum & è diametro peccato est oppositum, ita ut desineret esse DEUS, si minimam omnium peccatorum possibilium partem non odisset. Aliæ contrarietates naturales non sunt ita comparatæ, potiùs enim se invicem patiuntur, & in uno composito conjunguntur. Calor & frigus, siccitas & humiditas ad formandum mixtum aliquod uniuntur, diúque simul permanent, quamvis inter illa sæpiùs non desint contentiones. Sed impossibile est, ut DEUS & peccatum vel unico momento simul stare possint, & si unquam intercederet unio aliqua, DEUS non esset DEUS, quia non esset suprema illa sanctitas, quam habere deberet, ut sit DEUS. *Non DEUS volens iniquitatem tu es.*

IV. Præterea contrarietas, quæ in rebus creatis invenitur, non fundatur in substantiâ, sed in accidentibus. Hyemale frigus essentiæ hominis non est contrarium, sed tantùm calori illius naturali, quo vita conservatur; DEUS verò propter substantiam suam adversatur peccato, quæ est summum bonum, summa pulchritudo, summa virtus; ideoque non illud liberè, sicut nos, sed necessariò Odio habet, nec unquam illam adversionem interrumpere, aut mitigare potest. Odisse peccatum non est illi liberum, sicut amare essentiam suam Divinam illi liberum non est. Si has veritates Christiani profundè penetrarent, quæ tamen adeò manifestæ sunt, quomodo esset possibile, ut unquam peccarent? attamen in sinu iniquitatis indormiscunt, quasi supra prati herbas quiescerent. At ita res se habet. Peccatum etiam quoad hoc simile est serpenti, & quidem valde pestilenti, instar

ſtar aſpidis enim veneno ſuo ſomnum conciliat. *Sopit quos inficit.*

V. Progrediamur ulteriùs. Adhuc aliam ſublimem Odii qualitatem nobis indicat Pſalmiſta, quâ DEUS peccatum averſatur, aitque Peccatorem DEO nunquam poſſe appropinquare, nec in præſentiâ illius permanere. *Neque habitabit juxta te malignus, neque permanebunt Injuſti ante oculos tuos.* Quo loquendi modo infinitam illam demonſtrat diſtantiam, quæ eſt inter Bonitatem Divinam & culpam; ita ut non tantùm neceſſariò DEUS cogatur totâ eſſentiâ ſuâ odiſſe peccatum, ſed etiam infinitè averſari. Odium, inquit Sanctus Thomas, totum naſcitur ab amore, ideóque quantum DEUS amat ſe ipſum, tantùm conſequenter abominatur omne peccatum, id eſt infinitè. Hæc eſt duorum terminorum ſibi invicem oppoſitorum natura, ut quò magis aliquis appropinquat uni, tantò magis recedat ab altero. Eodem modo, quò magis navigantes elongantur à noſtro polo, tantò propiùs polum huic noſtro contrarium accedunt. Et quomodo eſt poſſibile, ut peccatores immani non percellantur horrore, conſiderantes ſe coram oculis DEI magis abominabiles eſſe, quàm araneum, aut fætidiſſimum bufonem? Ita ut ſatius foret, minúsque malum, baſiliſcum toxico gravidum eſſe, quàm animam unico ſolo peccato infectam habere. Quando igitur paſſione excæcati, peccatum aliquod committere intenditis, priùs ſiſtite parumper, & intra vos dicite: hæc abominatio, quam cogito in lucem proferre, eſt monſtrum adeò horrendum, ut illi ſimile non inveniatur in Mundo. Si DEUS doloris alicujus capax eſſet, hæc mea actio plus mœroris & triſtitiæ illi adferret, quàm omnium Sanctorum bona opera ſimul ſumpta gaudii attulerunt. Et ne putetis novam hanc eſſe amplificationem: Si ipſámet DEI Mater (quæ dignitate ſua omnes in Cœlo Sanctos ſuperat) unquam uni ſoli peccato mortali animo conſenſiſſet, Filius ejus illam ſubitò plus, quàm ſerpentem odiſſet, & ſi in tali ſtatu exſpiràſſet, quid factum fuiſſet illâ? ipſémet ore proprio ad æternos inferorum ignes cum aliis reprobis eam condemnâſſet, ne quidem minimâ vitæ corporalis ab eadem in Incarnatione acceptæ, nec educationis & ſuſtentationis habitâ ratione. Ita ipſimet diaboli coram Chriſti Throno comparentes, ſe indubitanter ſentire demonſtrârunt (quemadmodum in ſpiritu vidit S. Brigitta) ita & nobis abſque ullâ hæſitatione credendum eſt. Quod ſi ita eſt, Chariſſimi, has quæſo veritates aliquantiſper vobiſcum pervolvite, & ſi deinde adhuc peccare vobis lubet, audeo dicere, peccare tantummodo per me licet. At quis hæc perpendit? Peccatores omnium internarum paſſionum tumultibus ſe opprimi ſinunt, ut proprium malum non advertant. Romanis & Carthaginenſibus ad Traſimenum confligentibus, horrendis terra conquaſſabatur motibus; propter armorum tamen ſtrepitum, & animos prælio inten-

[Margin notes: m. … . … .1. (left, beside S. Thomas); Leſſ. de præſ. div. l. 13. n. 187.; revel. l. 4. c. 7.; Plin. l. 2. c. 29.]

tentos ne quidem improvisa hæc terræ concussio audiebatur, multò minùs de eâdem evitandâ quemquam cura agebat.

VI. Deinde semper ulteriùs ditissimas contrarietatis fodinas ingrediens Propheta, quas DEUM inter & hominem videbat, inquit, DEO semper Odio fuisse iniquitatem, & eos qui eam operantur. *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem*: atque ita tertiam Divini hujus Odii conditionem nobis insinuat, quòd non solùm est essentiale, non solùm infinitum, sed etiam æternum. Odium, ut videtur Alberto Magno, est ita inveterata, aut, ut meliùs dicatur, est aversio inveterata. Verùm cùm in DEI æternitate non sit prius aut posterius, semper æquali Odio Peccatum, & Peccatores DEUS prosequitur, certo tamen loquendi modo considerate, quæso, quàm magnum hoc debeat esse Odium, quod totâ æternitate durabit! Si possibile esset, ut à principio non tam immensum fuisset, jam propter tantam durationem factum esset immensum, non secus ac flumen, quod si ab æterno exundâsset, infinitam jam aquarum eluvionem produxissent. *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem.* Proinde quemadmodum DEUS semper iniquitatem, & iniqua agentes odit, sic non minùs nunquam illam odisse cessat. *Respicere ad iniquitatem non poteris.* Quæ est igitur hæc inimicitia, quæ pacem nunquam sperare potest? Quamdiu DEUS erit DEUS, semper erit hostis peccati, & quamdiu seipsum amabit, semper

In topic.

S. Thom. 2. 2. q. 38 ar. 6. ad 3.

Habac. 1, 13.

peccatores Odio prosequetur. Quandoque vestrûm aliquis in principio resistit peccato, & exempli gratiâ, ad testimonium falsum dandum provocatus, respondet, se non posse. Verùm si amicus ille, aut potiùs, ut melius dicam, nefarius hostis aureos promittat montes, dicátque id non præjudicare officio suo, omnia verba & passus abundè se remuneraturum. Hoc tam exiguum in spe lucrum instar folii aurei efficit, ut amarum perjurii catapotium facilè deglutiatur. Charissimi, Odium vestrum non est simile illi, quo DEUS peccatum prosequitur. Odium vestrum inconstans est & variabile, Divinum autem constans est & æternum. Si unico etiam levi peccato plurimas ad Sanctissimam fidem converteretis animas, imò plures, quàm sceleratus Mahumetis pervertit, DEUS ideò peccatum vestrum odisse non cessaret, sed in omnem æternitatem vos tanquam culpabiles puniturus esset.

VII. Pro ultimâ denique hujus Divini Odii qualitate addere possum, illud non tantùm DEO esse essentiale, infinitum, æternum, sed etiam unicum. *Odisti omnes qui operantur iniquitatem.* DEUS omnia peccata, omnésque peccatores obominatur, nihílque aliud, quàm illos odit. Hic est Odii Divini terminus, extra illud non est aliud, quod aversatur cor illius. *Nihil odisti eorum quæ fecisti.* Quamobrem nunquam DEUS neque damnatis, neque diabolis in æternum reconciliabitur; quia semper Rei erunt

S. Th. 1. p. 10.

Sap. 11

pecca-

peccati, econtra verò ablato peccato statim cum peccatoribus amicitiam reintegrat; in illis enim præter peccatum nihil aliud adversatur: quemadmodum Venatores elephantem, quamprimum dentem sibi evellit & abjicit, non ampliùs insequuntur; sic quamprimum peccator cordis deponit malitiam, statim iterum inter amicos DEI recipitur, nec potest illi ampliùs malè velle. Video, inquiebat, Sancta Catharina Genuensis, video tantam esse DEI cum creaturis rationabilibus conformitatem, ut si diabolus squallidam peccati vestem abjicere posset, illo ipso instanti veraci cùm amore ille DEUS jungeretur. Hic est unicus inter DEUM & animam divisionis murus. Hoc est unicum impedimentum. *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos & DEUM vestrum.* Quòd si plures solis radii in unico solo unirentur puncto, exsiliret ignis; sed quid si omnes simul in unicum speculum reflecterentur, quantum non ardorem, incendiúmque excitarent? Sed ut adhuc meliùs dicam. Si omnia fulmina, quæ unquam è cœlo in terram delapsa sunt, simul juncta jugum montis percurrerent, quantam putatis cierent tempestatem & ruinam? Hæc omnia ideo dicta sint, ut vivacissimè concipiatis, quàm implacabile sit, in peccatum DEI Odium. Voluntas infinitè perfecta odit culpam, & præter ipsam nihil odit aliud. Quis ergo sibi imaginari potest summum illum Odii impetum, quo ad persequendam illam movetur? *Nihil odisti eorum quæ fecisti.* Hoc omnes Sancti considerabant, ideóque etiam ipsam peccati umbram horrebant. Sancta Francisca Romana semel fortuitò propè publicè meretricis domum præteribat; cúmque recordaretur, ibi quasi in hospitio DEI offensas recipi; tanto afflicta fuit dolore, ut ad simplicem murorum illorum aspectum animi passa fuerit deliquium. Considerate igitur extremam peccatorum ignorantiam, qui hoc peccati monstrum non secus ac catellum Melitensem blanditiis deliniunt. Non immeritò inde colligere licèt, diabolum cum illis idem factitare, quod corvus cum cadaveribus, qui primò oculos illorum devorat. Cæci sunt, quid enim aliud dici potest? *Cæci sunt & Duces cæcorum.* *Matth. 15. 14.*

[...] 12.

II.

VIII. Sed unde, dicetis mihi, tanta in amabilissimo DEI corde peccati abominatio? Unde? ab ipsómet ipsius corde, quod est totum amabile, & ipsa amabilitas; id est, quia seipsum infinitè, & nos summopere amat, hac de causâ inexplicabiliter etiam odit peccatum, veluti sibi & nobis contrarium. Utrumque seriò perpendamus, ut maledictum hoc monstrum semper magis execremur, síque ad alteram veritatem accedamus, quam demonstrare vobis promiseram, súntque, post Odii Divini in peccatum qualitates, motiva, quibus ad id inducitur.

IX. Peccare nòn est aliud, quàm creaturam gerere se velle, quasi ipsa esset DEUS, & erga DEUM ita se habe-

habere, quasi ipse creatura esset. Hæc singulatim examinemus; Hæc enim veritas clavis est, quâ quidquid hodie dicendum superest, referetur, ut probè assequamini. Primò Creatura peccando se habet tanquam DEUM, hoc quidem modo: DEO omnino proprium est, nemini subjectum esse & independentem, suam sibi ipsi in operando legem esse. *DEUS sibi ipsi est lex.* Ideóque ipse solus id quod vult, vuluntate propriâ velle potest; quia voluntas ipsius est omnium voluntatum regina, & sicut est celsissima & suprema, ita pariter quarumvis aliarum est norma. Quid autem facit temerarius peccator? Audet è Divinæ voluntatis vertice hoc tam pulchrum diripere ornamentum, ut eodem propriam coronet frontem, dicendo cum superbo illo Pharaone; *Nescio Dominum, & Israël non dimittam.* Quod est illud dominium? Quod imperium? Quæ jussa? Non alium præter me cognosco Dominum, non aliam quàm voluntatem meam cognosco legem; ita mihi placet; *Nescio Dominum.* Et hoc dicendo omnem excutit regulam, séque omni Legislatori anteponit. An igitur hoc aliud, quàm sibi ipsi se DEUM constituere? Princeps Diabolorum Beelzebub appellari voluit, prout indicant illa Evangelii verba: *In Beelzebub principe Dæmoniorum ejicit Dæmonia.* Beelzebub verò secundùm doctissimorũ interpretum doctrinam, idem est ac *vetustus DEUS*: Peccator non ita pridem à nihilo extractus, non audet se DEUM verè antiquum nominare, *Vetustus DEUS!* sed Rebellium omnium Principis insistens vestigiis, se DEUM novum facit, *DEUS recens*, indignans vero DEO suo subjectum esse. *Confregisti jugum, rupisti vincula mea, dixisti: non serviam.*

S. Thom. 1. p. q. 21. ar. 1. ad 2. — *Exod. 5. 2.* — *Luc. 11. 15.* — *Jere. 2. 20.*

X. Sed neque hic incredibilis peccati malignitas sistit: ulterius progreditur. Non illi satis est hominem se gerere ut DEUM; sed vult insuper, ut DEUS minoris sit æstimationis, quàm homo. Lucifer suo loquendi modo ostendit, nihil se aliud desiderare, quàm DEUM habere imperii Socium, Peccatores verò impudentiori superbiâ, DEUM quasi servum sibi parere volunt. *Projecisti me post corpus tuum.* Imò in obsequio suo etiam illum affligi & defatigari exoptant. *Servire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis:* Et quid mirabili hoc loquendi modo vult significare, nisi quòd peccatori satis non sit ad offendendum DEUM abuti creaturis, sed etiam DEO ipso abuti: Vult, ut DEUS tam graves non sentiat injurias, vult, ut non ulciscatur, nec puniat; verbô DEUM vult sibi similem esse, amantem iniquitatis, id est, vult minùs esse quàm hominem, sicut DEUS ipse peccatori exprobrat, ubi dicit: *existimâsti iniquè, quòd ero tui similis.* Quid ampliùs? David audito passionum secreto consilia in obscura cordis iniqui aulâ habito, his verbis omnia comprehendit vota. *Non sit DEUS.* Dico, *non sit.* Sic enim aliqui illa Psalmi verba legunt. *Dixit insipiens*

Ezech. 23. — *Isa. 43. 24.* — *Psal.* — *Psal.*

ens in corde suo: non est DEUS? quod idem est, ac si diceret: non ignoro, quòd sit DEUS, sed vellem non esse: scio dexteram illius plenam esse fulminibus, sed vellem esse exarmatam, vellem DEUM criminum meorum esse ignarum; Nec Vindicem esse posse, sed potiùs etiam illa amare debere. *Non sit DEUS.* Hoc est peccare. An non igitur sancta Maria Magdalena de Pazis justam vobis causam habuisse videtur, quando morti vicina cuidam familiarium suarum dixit: abeo ex hoc Mundo, quæ nunquam capere potui, quomodo homo adeò insanire possit, ut DEUM peccato mortali offendat? sed num causam scire vultis? Magna hæc eclipsis semper fit de nocte, adeóque à peccatoribus non observatur. Cæterùm, Ecce! inquit S. Augustinus, quid sit peccatum: *Unum est summum bonum, aliud summum malum, hoc peccatum, illud DEUS.* Ad hunc loquendi modum nos obstupescimus, quia non nisi deforis peccatum cognoscimus, id est, non nisi per oppositionem, quam habet cum nostra & proximi utilitate. Sed hoc est feri Draconis ovum ex solo putamine cognoscere, quod quantumvis fœdum ac tetrum appareat, ne minimam tamen toxici latentis partem ostendere potest, Considerate quæso, peccatum totum esse DEO oppositum, cùm sit unicum illius summi boni malum. Quare sicut DEUS est bonum universalissimum, quod omnia bona eminenter in se continet, id est, modo quodam magis excessivo & electissimo, omnique comparatione majori omnes perfectiones extra se positas comprehendit, ita peccatum est malum universalissimum, quod eminenter omnia in se mala includit.

sent. 50.

XI. Hæc est illa bolis, quâ malorum omnium Oceanum, qui fundo caret, hoc est peccatum, scrutari debemus: perpendite peccatum esse DEUM inversum, aut verius, esse quid DEO è diametro oppositum; unde quanta in DEO est bonitas; pulchritudo & perfectio, tanta in peccato est malitia & fœditas? Hoc modo immensum venenum, quod hoc malitiæ pelagus in se continet, aliquantulum apprehendetis.

XII. Verùm vos bolide nimis brevi utimini, quare mirum non est, vos illud non rectè metiri. Dicitis enim: *quid DEO nocet peccatum meum? quid mali illi facio?* Scire oportet, ad injuriam personæ honore dignæ inferendam necessarium non esse, ut ex illa injuria damnum patiatur. Sufficit lædi ipsius Jus, cujus obedientiæ se subditus opponit. Imò in hoc supremi Dominii consistit dignitas, ut præscindendo ab omni nocumenti umbra, sine omni utilitatis spe, absque ulla contradictione ejus jussa adimpleantur. *Omnia quæcunque voluit Dominus, fecit in cœlo & in terra, in mari & omnibus abyssis.* Huic ergo dignitati, quam propter infinitam naturæ suæ perfectionem possidet DEUS, & ob quam meretur, ut omnes voluntates creatæ se suæ quocunque tempore promptè subjiciant, huic, inquam, dignitati omnis peccator se op- *ps. 134. 6.*

ponit, in hoc summa cujuscunque peccati consistit malitia, nolle servire DEO, sed sibi ipsi. Hinc sapientissimè dixit S. Augustinus, bonos uti Mundo; ut cum ipso possint gaudere DEO; malos uti DEO, ut cum DEO possint gaudere Mundo. *Boni utuntur Mundo, ut fruantur DEO, mali uti volunt DEO, ut fruantur Mundo.* Vos autem, quia non videtis, quale damnum hac injuriâ adferatis DEO, parvi æstimatis, & intra vos dicitis. *Cui mali quid infero;* Verum quidem est, bona DEI intrinseca ab iniquitate vestrâ nullum pati damnum, sed nimio tamen damno bona illius extrinseca afficitis. *Per Peccatum in bonis extrinsecis revera læditur Divinus honor.* DEUS autem tam magnus est Dominus, ut malum quodvis, quo licèt extrinsecè afficitur, infinitum sit, & infinitè omnia alia mala superet.

de civ. DEI l. 15. c. 9.

Suar. in 3 p. disp. 4. sect. 7.

XIII. Verum est, quod si nunquam eo malitiæ pertingit peccatum, ut propriam DEI lædat essentiam, in ipsum non provenire à peccatore, sed ab ipsomet DEO. Stolidus ille Populus, qui integram telorum nubem contra Solem jaculabatur, certè nunquam illum læserit; sed hoc non à voluntate illius, verùm à Solis ipsius altitudine, extra omnem teli jactum sita, provenit. Cæterùm si Sol ipsis vicinos & mortalis fuisset, recipiendorúmque vulnerum capax, quis dubitat, tot furiosorum hominum insultibus non fuisse perimendum? Idem prorsus accidit in nostro casu: DEUS propter infinitam essentiæ suæ immutabilis sublimitatem, in tali perfectionis gradu est positus, ut nullius nocumenti capax sit, sed si capax esset, non est dubium, quin peccator illi damnum inferret, imò lethaliter læderet, si perversus voluntatis arcus tam sublimè tela sua vibrare posset. *Malum culpa, quantum est ex se, est privativum boni Divini secundùm se ipsum, si esset privabile, quemadmodum amor amicitiæ erga DEUM est positivum boni Divini secundùm se, si esset ponibile.* O summa instinctûs & inclinationis contrarietas inter amorem, quo afficitur anima erga DEUM, & inter peccatum, quo eum offendit! Amor, quo fertur anima in DEUM, talis est naturæ, ut si DEUS jam omnia illa bona non possideret, Anima bonâ voluntate suâ omnia in sinum ejus effunderet; Peccatum contrà tantæ est malitiæ, ut si DEUS omnia illa, quæ possidet bona, perdere posset, omnia illi Peccatum eriperet.

Caj. 1 p. 19.

XIV. Hinc est quòd peccati enormitas à Divina Scriptura eo explicetur modo, quasi DEUS intrinsecum aliquod damnum in se reciperet. In Genesi capite sexto legimus, DEUM visâ hominum malitiâ intimo cordis dolore affectum fuisse. *Videns quòd multa malitia hominum esset in terra, tactus dolore cordis sui intrinsecus &c.* Per Isaiam dicitur, à Peccatoribus DEUM ad iracundiam provocatum, & Spiritum sanctum afflictum esse. *Ipsi autem ad iracundiam provocaverunt, & afflixerunt Spiritum sanctum ejus.* David Psalmo nono inquit: *Exacerbavit Dominum Peccator.* Et in Oleâ habetur, à Peccatore DEUM summum bonum illius ad amaritudinem concitatum,

Gen. Is. Ps.

tatum, & quasi veneno infectum fuisse. *Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitavit DEUM suum.* Unde tam acer hic loquendi modus? ut adeò enormis peccati acerbitas & atrocitas intelligatur, quæ intrinsecum videtur posse adferre damnum, hoc est iram, afflictionem, acerbitatem & dolorem ipsi DEO, ita, ut DEUS cruciatuum aut mortis capax esset, Mors & tormenta ipsius aliud non essent, quàm pura peccatoris malitia. Et de facto causa, propter quam DEUS neque dolore, neque afflictione ullâ reipsa afficitur, est illa, quia semper de injuriis sibi illatis debitas sumit pœnas, aut easdem condonat, quod est nobilissimum genus subjiciendi nobis quemcunque, qui afficiendo nos injuriis Superiorem se nobis statuere tentat. Cæteroquin si possibile esset, DEUM honoris sui jacturam reparare non posse, neque peccatorum punitione, neque remissione, nullum est dubium, quin summo à Peccato afficeretur dolore, non aliter quàm si inimicum suum triumphantem aspicere cogeretur. Quid ergo horribili deest facinori, quod Peccator audet contra DEUM patrare? Solus illi deest effectus, hoc illi deest quod ad occidendum Christum defuit Herodi, funesti scilicet consilii successus. Aliàs enim verus fuit Deicida, sicut omnis perversus est Deicida, qui instar temerarii perduellis cœptam conjurationem ad desideratum finem non potest perducere; facit tamen, quidquid potest, neque in ipso ullus est defectus, ut intentum sortiatur effectum. Quia in substantia, qui peccat, maximum quod potest, DEO irrogat malum, quod est illius detrectare obedientiam, maximúmque, quod potest illi, aufert bonum, hoc est, propriam Animam. *Per actum hominis:* inquit S. Thomas, *DEO nihil potest accrescere, vel deperire; sed tamen homo quantum in se est, aliquid subtrahit DEO, vel ei exhibet, cùm servat, vel non servat ordinem, quem DEUS instituit.*

Marginal notes (left column): 14. 1. — [illegible] ez. 5. [illegible] c. 8.

Marginal note (right column): *S. Thom. 1. 2. q. 21. a. 4. ad 1.*

XV. Hoc ipsum mihi campum aperit, ad alterum secundarium Odii Divini contra peccatum motivum procedendi, éstque damnum illud, quod Animæ ipsius peccantis infert. DEUS tam extremâ amoris plenitudine diligit Animas nostras, ut calamitatibus nostris, quasi suæ essent, affligatur, nostrísque emolumentis, quasi suis delectetur. Ideò in Evangelio sub habitu Pastoris, postquam ovem, id est Animam nostram, aberrantem laboriosâ vitâ suâ quæsivisset, mortísque doloribus invenisset, omnes Angelos ad congaudendum secum invitabat. *Congratulamini mihi, quia inveni ovem, quæ perierat.* Videbatur jure merito debuisse invitari Angelos, ut ipsimet ovi congratularentur, cujus inventio tota in ipsius utilitatem redundabat, ideóque non debuisse dici, *congratulamini mihi*, sed *congratulamini ovi.* Parum enim mali accedit Pastori, si unius ovis jacturam faciat, ingens verò malum patitur ovis, si Pastoris tutelâ destituatur. Nihilominus hic est ineffabilis charitatis illius excessus, ut omnia commoda nostra, damnáque nostra, sua esse reputet. Quare ecce!

Marginal note: *Luc. 15. 6.*

ecce! alteram malitiæ peccati abyssum, ob quam à corde Divino extremo meretur haberi Odio. Damnum illud intrinsecum, quod effectivè ab illo non potest inferri DEO, in nos recidit à DEO, in quantum quivis nostrùm arctissimè DEO astringitur. *Peccator peccando DEO nihil nocere effectivè potest,* inquit S. Thomas, *tamen ex parte sua contra DEUM agit, in quantum nocumentum infert, vel sibi, vel alteri, quod ad DEUM pertinet.* Quod damnum, inquit Sanctus, impius DEO inferre nequit immediatè, illud mediatè parat, dum Animæ suæ fraudi est: quemadmodum mancipium, dum se ipsum vitâ privat, in se ipso Domino suo nocet.

S. Thom. 1.2 q. 43. ar. 1. ad 1.

Sur 5. Jul.

XVI. Quæ hucusque dixi, celebri explicabo historiâ. Nobilis quidam Belga, cui nomen Bertulfus erat, paulò pòst decimum sæculum, in legitimam sibi Sponsam Sanctam Virginem ex Picardia, Godolevam dictam, petiit, & obtinuit. Si Matrimonia, ut fortunata sint, inter pares contrahenda sunt, certè hoc non aliud, quàm lamentabilem eventum sortiri potuit. Sponsa Virgo erat formosa, devota & tota DEO plena, ita, ut inter dotes illius minima fuerit generis nobilitas; contrà verò maritus illius tam malè moratus erat, ut vita ipsius familiæ splendori maculam inureret; utpote tam perversam agebat vitæ rationem, ut feris potiùs quàm hominibus annumerari potuerit. Sufficiat id unum scire, ipso nuptiarum die tantùm illum pœnituisse, ut ne quidem solemnitati aut convivio interesse voluerit, sed relictam Sponsam, quo liberiùs alienis indulgeret amoribus, servo, sive ut meliùs dicam scurræ tradiderit, ut miseram indignis, quibus liberet modis, divexaret; & quod ampliùs est, è marito mutatus est in carnificem: eam enim in vita duri panis frustulo modicáque aquâ summa cum afflictione servavit; deinde millenis illam angoribus, licèt dissimulatis, abrumpere conatus est. Denique depositâ omnis verecundiæ larvâ restem collo ipsius per eundem servum injici jussit, præfocatámque in flumen abjici. Audito tragico hoc casu, quæro nunc ex vobis, quid putatis, Patrem hujus Sanctæ de omnibus hujusmodi injuriis Filiæ suæ à nefario hoc homine illatis intra se dixisse? Imò quod vos diceretis, qui hîc estis, si quædam filiarum vestrarum Matrimonio juncta, minimam similium cruciatuum experiretur partem? Creditísne possibile esse, ut toleraretis? Jam igitur ex ipsismet affectibus vestris Iræ & Indignationis, quâ DEUS peccatum aversatur, effigiem concipite. DEUS peccatori Animam dedit tam nobilem, ut Angelorum cuilibet choro inseri potuisset; tam pulchram, ut ipsémet DEI Filius illius amore captus fuerit; tam divitem, ut pro dote suâ Regnum Cœlorum obtinuerit. Peccator verò, postquam Animam pejus tractavit, quàm abjectissimam equi animam, tradit illam corporis curæ, quod velut vilissimum Mancipium, Domini sui imitans genium assiduè eam divexat, in mille obscænitatum sordibus volutat, cibo, id est oratione privat, denique vitâ nefariâ mortem

tem adſciſcit. Et DEUS hujus animæ Pater, & quidem dupliciter Pater, Pater in ordine naturali propter creationem; & Pater in ordine ſupernaturali propter adoptionem, tam atroces ferat injurias, nec ulciſcatur? Quid refert, ſi in ſe ipſo nullum patiatur damnum? Satis eſt, quòd Anima ipſius Filia damno, & quidem aliquando irreparabili afficiatur, cùm à peccatore internecione data, non in præterfluentem aquam, ſed in infinitarum flammarum abyſſum præcipitatur. Philomela videns poſt laborem, quem incubando & alendo pullos ſuos impendit, à ſerpente nidum ingreſſo omnem illorum exſugi ſanguinem, licèt per aërem volitans libera ſit, à toxico & à crudelium dentium morſibus immunis, gemit tamen, ſtridet, videtúrque tam infauſtâ prolium ſuarum morte commori, earúmque ſentire vulnera, quaſi ſua propria
it. eſſent. Pater Petrus Faber, ſummopere laudatus à S. Franciſco de Sales in introductione ſuâ Spirituali, tam firmiter hanc veritatem menti ſuæ impreſſerat, ut diceret, propter hanc cauſam infernum timeo, quia condemnandus, DEO aufferrem Animam meam, quæ tamen ob plures reſpectus plùs ipſius eſt, quàm mea.
30. *Miſerere Animæ tuæ placens DEO*,
4. clamat Eccleſiaſticus. Nihilominus ſi Animæ noſtræ compati nolumus, quia noſtra eſt, ſaltem ideò non deſinamus illius miſereri, quia ad DEUM ſpectat, cui gratius non poſſumus præſtare obſequium, quàm ſi eam ſalvaverimus. Ad hunc modum videmus Hortulanos Principum majorem habere curam hortorum illorum, qui Principum ſunt, quàm ſi ſui proprii eſſent. Si enim illorum proprii eſſent, quoties zizania creſcere ſinerent, ut vix non ſylveſcerent? ſed quia ad ſupremum Dominum ſpectant, minimas etiam enaſcentes herbulas inutiles evellunt, & quidquid de nocte repullulavit, quovis mane in areolis extirpant.

XVII. Ecce immortalis & infiniti hujus odii cauſam, quo amabiliſſimum cor DEI peccatum infenſiſſimum hoſtem ſuum perſequitur, éſtque immenſa illa bonitas, quâ ſeipſum, & nos quoque amat. Vos putatis, DEUM, quia bonus eſt, iniquitates veſtras non curare, nec pœnâ dignas conſiderare, & quia animas veſtras tantopere amavit, ut etiam vitam ſuam pro illis dederit, ideò faciliùs lapſuum veſtrorum enormitatem tolerare poſſe. Verùm nimium hallucinamini! Imò quia bonus eſt, ideò malitiam infenſiùs odit, magíſque perſequitur; aliàs enim bonus non eſſet, ſicut vos dicitis. Nonnemo coram Spartano aliquo vicinæ civitatis Gubernatorem laudabat, dicebátque, eſſe tam bonum, ut omnibus reis facilè veniam impertiat. At quomodo reſumit Spartanus, poteſt eſſe bonus, ſi malos non averſetur? *Quis boni Auctor, niſi qui & exactor? Quis mali extraneus, niſi qui & inimicus?* Tertul. in Mar c. 13. Qui Muſicam non intelligit, non curat vocem aliquam in pulcherrimo concentu diſſonare; at Phonaſcus, propter amorem, quo fertur in harmoniam, abſo-

nam illam vocem tolerare non potest, itáque accenditur. Amor igitur DEI erga nos non efficit, ut injurias, quas facimus Animæ nostræ, patienter toleret, sed etiam facit, ut vivaciùs illas sentiat. Ideò toties in Scriptura legimus DEUM esse Zelosum: *Dominus Zelotes, Nomen ejus.* Quia quò magis tam charas sibi diligit Animas, tantò magis aversatur, quidquid utilitati illarum se opponit, damnúmque infert. *DEUS appellatur Zelotes*, inquit S. Dionysius, *propter multum amorem, quem habet ad existentia.* Quòd si talem erga omnes res creatas DEUS habeat Zelum, quantò majorem pro animabus, quas creavit simul & redemit, habiturus est?

Exod. 34. 14.

S. Thom. 1. 2. q. 28. art. 4. ad 3.

XVIII. Quamobrem Charissimi mei, nolite frivolas quærere excusationes ad bilancium vestrarum falsitatem justificandam, sed potiùs operam adhibete, ut eas fideli ponderi Sanctuarii hucusque monstrato, conformetis. Intra vos ipsos dicitote: quis fallitur, DEUS an nos? DEUS tantum odit peccatum, quantùm se ipsum amat; nos contra plùs diligimus peccatum, quàm nos ipsos: peccantes enim non attendimus, in quas nos miserias præcipitemus. Quis ergo decipitur? Utra harum bilancium est æquissima? *Aut DEUS errat, aut Mundus fallitur.* Si verò DEUS tanquam Sapientia infinita fallere non potest, manifestum est, nos à nobis ipsis falli, tam nocivum toxicum velut aquam puram deglutientes. Incipiamus parumper peccatum, si non eo, quod meretur, saltem Odio majori, quàm hucusque, insectari. *Revertere ad Dominum, & avertere ab injustitia.* (Quæ est opportuna Ecclesiastici admonitio) *& nimis odito execrationem.* Pro Regula hoc adimplendi, imitemur Divinum illud Odium, de quo hucusque locuti sumus, & ut ad DEUM convertamur, contra pestiferum hoc peccati monstrum incomparabilem animi aversionem concipiamus, quâ toti DEO similes reddamur. *Avertere ab injustitia.*

Eccl. 23.

XIX. Plurimi Christianorum magnam in Confessione erga pœnas, quas peccando promeriti sunt, aversionem concipiunt; sed non parem culpæ, ob quam tam graves pœnas luere deberent. Hos nolite imitari, sed in hoc animos intendite, ut directo contra peccatum Odio accendamini, illúdque tanquam summam proditionem injuriámque, quæ DEO summo Bono infertur, & velut apertum verúmque increatæ illius Majestatis hostem considerate. *Malum culpæ opponitur propriè bono increato*, inquit S. Thomas, *contrariatur enim impletioni Divinæ Majestatis.* Hoc ipsum Odium contra quodvis peccatum vestrum concipite. *Avertere ab injustitia tua*, non solùm, *ab injustitia*, sed *ab injustitia tua.* Facilè est peccatum in aliis odisse, sed non est tam facilè, in se ipso odisse. Si alicui alteri injuriam facitis, parvi facitis, frivoláque excusatione extenuatis, dicentes, id animo Irâ effervescente factum esse. Sed si alius quispiam eodem animo vos offendat, statim hominum nefarium appellatis, nec dignum esse, ut inter vivos numeretur.

S. Th. 1. p. 48. … in c.


retur. Hoc eſt in aliis, non ſe ipſo odiſſe peccatum, éſtque prorſus idem, ac duabus uti ſtatuis, unâ pro rebus vendendis, alterâ pro emendis, adeóque coram DEO abominabilem ſe reddere. *Abominatio eſt apud*
3. *Dominum pondus & pondus*; quare, *avertere ab injuſtitia, ab injuſtitia tua.*

XX. Neque vobis ſufficiat, ordinariam contra peccati malitiam averſionem concepiſſe. Hæc non ſufficit.
in *Nimis odito execrationem.* Tantopere
lo. peccatum odiſſe oportet (quod hic à Spiritu ſancto execratio vocatur, tam quia meretur execrationem, quàm quia execrabiles non reddit) oportet, inquam, tantùm odiſſe, ut nimium videatur. *Nimis odito.* In veritate, ſicut modus amandi DEUM, eſt, amare illum ſine modo, ſic modus averſandi peccatum, eſt averſari, absque modo & menſurâ. *Nimis odito execrationem.* Hac de cauſa Odium cordibus veſtris eſt datum, ut hoc monſtrum Odio inſectemur; tunc verò perfectum eſt Odium, quando contra pec-
38. catum accenditur. *Perfecto Odio oderam illos.* Nec aliud in peccatore quàm malitiam illius perſequitur.

XX. Quivis Chriſtianus obligatione officii ſui Divinam bonitatem in hoc Odio imitari tenetur, quod tam juſtum eſt, quia pulchræ dilectionis partus eſt, ideóque cuivis hoc Odium imprimis eſſentiale eſſe debet. *Qui diligitis Dominum, odite malum.* Eſt impoſſibile, ut aliquis verus ſit Chriſtianus, & non amet DEUM ſuum; ita etiam, qui peccatum non odit, eſt rebellis DEO. Hoc non eſt quædam devotio, nec conſilium, ſed eſt præceptum rigoroſiſſimum. *Ejusdem e-* S. Thom.
nim rationis eſt, inquit S. Thomas *quòd* 2. 2. q.
velimus bonum alicujus, & quòd Odio 34. ar.
habeamus malum ipſius. 3. in c.

XXII. Hoc ipſum Odium, quia non poteſt æternum eſſe, quemadmodum eſt in DEO, in Chriſtiano cum Baptiſmo naſci deberet, illique in ætate tenera inſtar lactis eſſe; annis deinde maturioribus eo velut Duce & Magiſtro utendum eſſet. *Serva timorem* Eccl. 2. 6.
Domini, & in illo veteraſce.

XXIII. Denique hoc Odium ſummum, & ſolum eſſe debet, non odiendo aliud quàm peccatum, quod ſolum illud meretur. De S. Joanne Chryſoſtomo Eudoxiæ Imperatrici dictum fuit, illum non aliud timere malum, quàm peccatum: *Nihil ille præ-* Metaph.
ter peccatum timet. O nos beatos, ſi in vit.
idem de nobis dici poterit! Certi erimus, odiendo iniquitatem, DEUM imitantes, nos olim viſuros, quàm juſtum fuerit tale Odium, id quod nunquam perfectè conſequi poterimus, donec DEUM videre mereamur.





DISCURSUS VII.

Ira & Misericordia DEI simul demonstrant, quam grave malum sit Peccatum.

I. LUX & Umbra ab eodem Sole proveniunt; ita tamen, ut lux ab illo luminis fonte ſpontaneè exoriatur; umbra verò ob reſiſtentiam à corporibus opacis, radiis ſolaribus oppoſitam, velut per vim gignatur. Eodem modo tam miſericordiæ, quàm Juſtitiæ opera ab eodem DEO proficiſcuntur; hac tamen cum differentiâ; quòd benefacere, ſit proprius divinæ bonitatis effectus, ad quod intima inclinatione ſuâ movetur; e-contra punire hominem eſt extraneus ejusdem bonitatis effectus, ad quod non motu proprio, ſed quaſi à repugnantiâ, quâ Sanctiſſimæ voluntati ipſius reſiſtimus, coactus fertur. Verum eſt, ſicut lux & umbra, inter ſe adeò diſſimiles, apræ ſunt æquè ad naturam ſolis, illiúsque motus nobis oſtendendos, ſic Divinæ Miſericordiæ & Juſtitiæ opera, adeò inter ſe diverſa, ſimul conſpirare ad DEI noſtri Sanctitatem in averſando peccato, ſupremæque providentiæ media ad illud exterminandum demonſtranda. Quare facilè nobis erit inferre, quàm abominabile ſit monſtrum, ad cujus deſtructionem tot, & tam contrarii unanimiter concurrunt effectus, quot ſunt beneficia & vindictæ Divinæ: id quod hodie mihi diſcurrendi materiam præbebit; ex Irâ ſiquidem & Miſericordiâ DEI nova deducam motiva, æquè fortia ad peccatum averſandum, nunquam ſatis Odio à nobis habitum, aut habendum.

I.

II. Divinum hujus Mundi tegimen totum his verſatur cardinibus, Miſericordiâ & Juſtitia: *Univerſa viæ Domini Miſericordia & Veritas.* Psal. 40 Sed non debetis exiſtimare, has perfectiones eſſe in DEO, ſicut ſunt in homine, imperfectionibus permixtas; nimium enim ab excelsâ aberraretis idea, quæ de ſummo bono ſemper formari debet. Quare ut à Juſtitia incipiamus, quâ DEUS utitur contra peccatores, præſupponendum eſt, Iram Divinam in tribus præſertim ab ira hominum differre, quæ tria ſimul ſumpta mirabiliter peccati monſtroſitatem demonſtrant.

III. Primò Ira hominis eſt turbida & tumultuoſa paſſio, quæ nunquam in humano exſurgit pectore, quin aut tempeſtatem excitet totum commovendo animum, aut ſaltem ita rubet, ut ſanguinem circa cor commoveat. Sed Ira DEI non eſt quædam paſſio, ſed eſt ſimplex voluntas id in ordinem pœnâ reducendi, quod S. Th. 1. p. q. ar. 2. 2.

quod peccato perverſum fuit. *Ita DEI non eſt ut hominis, id eſt perturbatio concitati animi, ſed tranquilla juſti ſupplicii conſtitutio*, Divinè dixit Sanctus Auguſtinus. Quare Juſtitia Divina
12. ſemper ſibi eſt æqualis, & ad Iram accenditur; tanquam aurum in igne, quod non extumeſcit, non murmurat, non fremit. *Tu autem dominator virtutis, cum tranquillitate judicas.* Imò judicium, quod ab ipſo fertur de peccatis, non ſolùm eſt actus voluntatis, qui pro regula operandi habet arbitrium, ſed eſt Divinæ mentis actus, cui pro regula eſt objecti ſui veritas; & ſecundùm hanc qualitatem & quantitatem pœnæ, qualitati & quantitati transgreſſionis ſe conformat. Unde ſequitur, quòd licèt DEUS, quò diutius differt infligere pœnas, tantò graviore manu poſtea puniat; non tamen ideò Ira illius etiam in hoc humanæ ſimilis ſit. Inter homines aliquæ ſunt naturæ, quas Aſcetæ amarulendas nominant, quæ difficulter Iram concipiunt, ſed difficulter etiam conceptam deponunt, non aliter ac ferrum, quòd quò difficiliùs igneſcit, tantò diutiùs ardorem conſervat. Sed hujus temperaturæ non eſt DEI ira. Quòd ſi illa poſt longam dilationem majores ſumit pœnas, hoc ideo ſolùm facit, quia plura punitione digna in nobis invenit, majorem ſcilicet peccatorum cumulum, quod Apoſtolus inſinuare videtur; obſtinatum alloquens peccatorem; *ſecundùm duritiem tuam theſaurizas tibi Iram in die revelationis juſti judicii DEI.* Non dixit DEUM theſaurizare (ſicut conveniens eſſe videbatur, cùm in DEO reſideat Ira) ſed à peccatore theſaurizari. Ira enim DEI nunquam creſcit in natura ſicut in nobis; ſolùm creſcit in effectibus, quia aliquando ſunt majores, aliquando minores, ſecundùm accumulata delinquentis debita.

IV. Quæ hucusque præmonui, duos ob fines dicta ſunt. Primò ut ad omnes pœnas à DEO inflictas magnâ cum animi ſubmiſſione acceptandas vos diſponatis. Sæpiùs doletis de paupertate, annonæ caritate, contagione, tempeſtatibus, aliisque ſimilibus malis: ſed quàm ſine cauſa doletis! DEUS judicat ita fieri oportere: dum enim parte una peccata noſtra, alterâ autem rectum Univerſi ordinem iis perturbatum attendit, infinitâ ſapientiâ ſuâ judicat tantam pœnam ad id, quod à nobis perditum eſt, reſtaurandum neceſſariam eſſe: & nos ipſius decretis obmurmurabimus? *Obmutui* *Pſal. 38.*
& non aperui os meum, inquit Propheta: quaſi diceret, O Domine, *13.*
ego in afflictionibus meis contra executionem Juſtitiæ tuæ non ſum auſus loqui? ſed ne quidem eousque aperire os, ut aliquod efflaret ſuſpirium. *Obmutui & non aperui os meum.* Sed O Sancte Propheta, unde tam mirabilis ſub graviſſimorum flagellorum virgâ affectuum moderatio? Ecce cauſam! *quoniam tu feciſti.* Ideo ſcilicet acquieſco, quia tu DEUS meus infinitâ ſapientiâ tuâ, & animi pace hoc mihi ſupplicium decreviſti, & ut nos ſecu-

 ros

ros redderes, in executione illius nullum committendum esse excessum, propriâ manu exequeris: *tu fecisti.* Si DEUS, nullâ etiam meritorum nostrorum habitâ ratione, plurimis nos affligeret calamitatibus, ideò ne quidem minimum dolorem ostendere deberemus; sed plebejum quemvis imitari hominem qui à transeunte viro illustri protrusus, neutiquam queritur, sed ei detecto capite, genúque flexo honorem exhibet. Quantò minùs igitur nobis dolendum esset de calamitatibus nobis à DEO irrogatis, quas promeriti sumus, quásque rectissimum & infallibile Divinæ Justitiæ judicium comitatur? Propter hanc causam omnes in Cœlo Sancti tantopere Divinæ applaudunt Justitiæ, tantò majoribus illam extollentes laudibus, quò graviores & soleniores sunt pœnæ, quibus
Apoc. 19. 2. impios affecit: *Salus & gloria & virtus DEO nostro, quia vera & justa judicia sunt ejus, qui judicavit de meretrice magnâ.* Ratio est illa, quia justitia in hoc suo rigore est, instar crystalli, quæ quò durior est, tantò est splendidior. Quò majorem sumit vindictam, signum est, tantò potiorem ipsi esse hujus causam.

V. Alter finis, quem sermo meus intendit, est, ut intelligatis, quàm grande malum sit peccatum, quod tanto à DEO rigore punitur. Ponite vobis ante oculos infelicium illarum animarum aliquam, quæ propter primum peccatum, ad Infernum condemnatæ sunt. Hæc condemnatio non provenit à passionis impetu, sed à judicii tranquilli actu, quo DEUS ex unâ parte bilanci peccatum, ex altera creaturæ delinquentis fragilitatem, tentationem diabolicam, Sociorum impulsus, concupiscentiæ ad labendum stimulos imponit; infinitâ nihilominus sapientiâ suâ judicat illum brevissimum legis Divinæ violationis actum dignum esse, ut pœnâ quoad gravitatem mali immensâ, & quoad durationem infinitâ puniatur. Peccatum igitur in veritate tantæ est malitiæ, ut tam enorme mereatur supplicium. Consequenter etiam omnis culpa mortalis est omnis perversitatis, monstrositatis, malitiæ & confusionis abyssus, cùm tantum ad illud expiandum requiratur. Quo posito, quis non horrebit tam scelerato proditori unquam in animâ locum dedisse? & quis imposterum aditum illi non negabit, repelletque, etsi vel omnem è venis sanguinem, milléque vitas profundere necesse foret?

VI. Ad hunc modum justitia civilis non procedit; ab humanis enim pœnis majorem aut minorem prævaricationis gravitatem non possumus arguere: Judices siquidem non intendunt omnes castigare culpas, nec debitas pro meritis infligere pœnas, sed illas tantùm puniunt; quæ publicam turbant pacem; nec ampliùs, quàm illam ipsam pacem conservandi necessitas requirat. In hoc mundo videtis puniri furta, non autem fornicationes, licèt fornicatio majus sit peccatum, quàm furtum. Sic etiam morte puniuntur Homicidia, non verò Blasphemiæ; quamvis DEO honorem blasphemando auferre gravior sit culpa, S. Th. 1. 2. 102. 2. ad

quàm

quàm vindictæ studio hominem vitâ privare. Quod bene advertendum esset stolidis illis, qui peccata carnis parvi faciunt, ajúntque; *nunquam vidi concubinarium suspendio necatum fuisse*; quasi sæpè vidisset Blasphemum patibulo affixum fuisse. Sed redeamus ad propositum nostrum: DEUS injuriam sibi à temerario peccatore illatam compensare, simúlque perturbationem ordinis à Providentia in regimine suo stabiliti restaurare intendit; nec ullam culpam impunem abire permittere potest; nec minorem ab illis, quæ majorem pro demeritis suis exigunt, pœnam sumere. Oportet igitur summam inter culpam & pœnam, inter debitum & solutionem esse proportionem, atque adeò sicut dictum est, Justitiam ipsius summam esse veritatem, quæ in severissimis & æquissimis suppliciis inexplicabilem illam peccati malignitatem nobis exhibet, quam justitia humana pœnis suis non demonstrat. *Pœnæ præsentis vitæ magìs sunt medicinales, quàm retributivæ*, inquit Sanctus Thomas, & quam ob causam? *Retributio enim reservatur Divino judicio: quod secundùm veritatem est in peccantes.*

VII. Secunda inter humanam & Divinam Justitiam differentia est, quòd humana facillimè ab odio culpæ ad culpabilem transgrediatur, cui directè malum desiderat & affert. Ita verò Divina simul *odit & amat*. Aversatur peccatum, amat peccatorem, hoc est, odit malum voluntatis nostræ, mirabilique separatione amat naturam nostram. *Odit quæ fecimus, amat quæ fecit*, inquit Sanctus Augustinus. Ideo Christus tam pulchro amici titulo alloquebatur Judam, quo nullum unquam in particulari Apostolum appellavit, ut omnes intelligerent, illum gratiæ suæ Rebellem & Majestatis læsæ Reum, non esse amicum suum amantem, sed quasi amicum amarum, cui ideo etiam puniendo bene vellet. Quod meliùs hac similitudine explicabo. Imaginamini vobis Sanctæ Mariæ Magdalenæ iconem, qualem magno Christianorum cum dedecore sæpius Pictores exhibent, hoc est, post conversionem ipsius immodestiorem, quàm fuerit antè. Jam si honestus quispiam oculos in tam indecentem conjiciat imaginem, reverentiâ simul & horrore implebitur, dúmque hanc Sanctam colit illa icone exhibitam, illo ipso tempore effigiem ab omni honestate alienam aversatur. Hoc ipsum facit Divina justitia cum peccatoribus, quos dum ex una parte quasi Divinitatis imagines intuetur, & ex altera parte videns imagines peccatis adeò deformatas, eas & amat, & abominatur, amando in illis, quod ipse fecit, aversando, quod ipsorum proprium est, hoc est purum peccatum. *DEUS peccatores in quantum sunt naturæ quædam, amat; sic enim & sunt, & ab ipso sunt*, Divinè inquit Sanctus Thomas ad intentum nostrum; *in quantum verò peccatores sunt, non sunt, sed ab esse deficiunt, & hoc in eis à DEO non est: Unde secundùm hoc ab ipso ita habentur.*

Serm. 54. de Verb. Dom.

S. Thom. 1. p. q. 20. ar. 2. ad 4.

VIII.

VIII. Et propter hanc caufam DEUS nos puniturus non dolet, & priùs quàm pœnas infligit, aliquo tempore antè præmonet, terrétque & reprehendit, non fecus ac cœlum; quod quafi lugubri vefte fuis fe nubibus induit, fæpiúsque tonat, antequam fulminet. Verè enim DEUS non triftatur; antequam de nobis vindictam fumat, fed cùm fimul nos amet & averfetur, ad id faciendum movetur, quafi corpus, quod contrariis agitatum impulfibus ægrè & difficulter loco cedit. *Heu! confolabor fuper hoftibus meis.* Quod fatis effe deberet ad acerbiffimum contra quodvis peccatum horrorem concipiendum, fi confideremus, quantopere quodvis fit abominabile, cùm DEUM cogat eodem tempore, quo nos amat, tam rigidè nos punire. O miferos peccatores, qui non folùm fummâ cum tranquillitate, fed etiam amore à Divina Juftitia puniuntur & condemnantur! Non miror, illos in die judicii os non aperturos, nec lamentaturos, cùm ne quidem apparentem, multò minùs veram habituri fint excufationem. Potiffimum argumentum, quo antiquorum Judæorum perverfitatem cognofcere poffimus, fuit, illos ab Imperatore Tito exterminatos effe. Si à Nerone, Caligula, Commodo, Domitiano aliifque hifce fimilibus, potiùs beftiis, quàm Principibus, tam malè tractati fuiffent, poffet excidium Hierofolymitanum inhumanæ crudelitatis effectus exiftimari. Verùm quòd Princeps, qualis erat Titus (generis humani deliciæ appellatus, qui diem illum perditum credebat, quo non alicui gratiam feciffet, quem adeò movebat miferatio, ut visâ Hierofolymæ ruinâ tenerrimè fleverit) auctor fuerit ftragis tam barbaræ, qualem extitiffe nulla antiquarum hiftoriarum meminit, quale tandem fignum eft? Signum eft populi illius rebellionem & perverfitatem fuiffe intolerabilem. Hoc verò argumentum an non plùs probat in cafu noftro? Si DEUS ex natura fua propenfus effet ad crudelitatem & pœnarum acerbitatem, & vindictam fumens, odiffet nos juxta menfuram delictorum, quæ cernit in nobis, poffet fortè in fufpicionem trahi excefsûs cujusdam in pœnis; verùm cùm DEUS tam amabilis, qui non folùm antequam puniat, naturæ noftræ bene vult, fed etiam eo ipfo tempore, quo pœnas infligit, adhuc nos amat, nihilominus in omne peccatum commiffum immensâ & infinitâ pœnâ fæviat, quid aliud inde arguitur, quàm quòd peccatum contineat malitiam, quæ nullâ linguâ poffit explicari, nullâ mente comprehendi? Et nos adhuc de novo aliis iniquitatibus hanc Divinam Iram irritamus; novísque injuriis DEUM offendimus tanopere illi contrariis, ut vindictam de nobis fumere cogatur eo ipfo tempore, quo nos amat tantùm, quantus eft, id eft amore infinito.

Jf. 3.24.

Jofeph. c.7.24.

IX. At dicetis: *Non peccamus, ut DEO injuriam faciamus.* Hac excufatione, licèt frivolâ, plurimi peccatores fe ipfos decipiunt, & fui fe-

ſecuri dormitant, ita ut quotidie eadem repetant. Una quæpiam alia dicit; non pecco, offendendi DEI ſtudio; pecco, ut habeam, unde vivam, nec aliter poſſum facere. Et ſi mandata DEI violo (dicit alius) non intendo DEUM contemnere, aut injuriâ afficere, ſed duntaxat animum recreare. Jam recordor alibi à me hanc refutatam eſſe excuſationem, duóque contemptûs genera fuiſſe diſtincta, quorum unum eſt contemptus directus, & expreſſus; alterum indirectus & interpretativus; demonſtraſséque in quovis peccato, ubi prima illa deſpectûs forma non invenitur, ſemper ſecundam eſſe, ita ut neceſſe non ſit, eadem repetere. Hoc ſolum ad propoſitum noſtrum addo, DEUM nunquam permittere, ut bonitate veſtra vincatur, ſed eo modo erga vos affici, quo vos erga illum affecti eſtis. Vos non prætenditis peccando injuriam illi facere, ſed ſolùm veſtræ ſatisfacere concupiſcentiæ; ipſe quoque non prætendit, vos puniendo aliquo afficere damno (ſive temporaliter in hac vita, ſive æternùm in altera pœnas à vobis exigat) ſed ſcelerum veſtrorum deformitatem pœnis veſtris corrigere prætendit: eodem prorſus modo, quo expertus fidicen, qui ſi chordam aliquam tangat, quæ neque attrahendo, neque remittendo harmoniæ conſonet, eam à fidibus ablatam, ínque fruſta comminutam in terram projicit; non quidem odio abreptus in diſſonam illam chordam, ſed amore ductus erga ſymphoniam, quam ars illius intendit. Ecce hoc ipſum DEUS facit cum peccatore; partim duris illum extendit afflictionibus; partim beneficiis emollit, & omnia hæc eo fine facit, ut eum ad debitum gloriæ ſuæ deducat contentum, quem à Creaturis ſuis expoſcit. Quòdſi verò Peccator, inſtar chordæ induratæ & incorrigibilis, pergat harmoniam diſſonantiâ ſuâ turbare, nec timore pœnarum, nec præmiorum amore corrigatur, tunc è Sanctæ Matris Eccleſiæ gremio à Juſtitiâ Divinâ exſcinditur, ipsáque fide privatus, Dæmonibus proculcandus projicitur; non quidem odio erga illum, ſed amore, quo fertur erga ſe, & erga Sanctitatem, ac Sapientiam ſuam, quæ illam neceſſariò cogit averſari peccatum, tanquam horrendum ignorantiæ & iniquitatis monſtrum, ubicunque illud intuetur. Unde bene obſervat Sanctus Thomas, minùs propriè dici in DEO eſſe odium, cùm in veritate Odium DEI ſit potiùs Amor, qui operibus ſuis alium non intendit finem, quàm infinitam ſuam bonitatem manifeſtare. *Dicitur DEUS odiſſe, cùm magis hoc ſit amare.* Atque hujus recordari vos oporteret, quotieſcunque, ut dixi, vobis videmini, deliberato animo peccare nolle, quia peccantes non contemptum Divinum, ſed utilitatem veſtram conſideratis. *Contra gentes, l.1.c.96.*

X. Revertamur nunc eò, unde digreſſi ſumus: Si Vindicta DEI nullam creaturarum ſuarum odit, ſed eſt Ira amans, quæ dum averſatur infirmitatem, amat infirmum, neceſſe eſt fate-

ri, hujus morbi ex culpâ oriundi immensam esse malignitatem, pro cujus remedio semper horrendas inflixit, & infliget pœnas. Si DEUS absolutè odisset peccatorem, existimare liceret, hanc tormentorum æternitatem, quâ in inferni abysso illum punit, partim delicto, partim delinquenti infligi; sed quia illum DEUS quoad naturam illo ipso tempore, quo punit, pergit amare, necessariò fateri opportet, inexplicabilem esse omnis peccati mortalis perversitatem, contra quod talem DEUS ostendit iram, & tamen amat. Ite nunc, & quærite, quid mali sit committere peccatum mortale, quid mali sit quædam fragilitas, quædam animi recreatio & voluptas, qua quis sine DEI offensa frui non potest? tantum malum est, quantum non est totus infernus, si cum illo conferatur.

XI. Deinde amor, quem DEUS erga peccatores conservat, non solùm consistit in affectu, sed etiam ad effectus descendit. Ecce igitur tertiam Iræ Divinæ perfectionem, esse non solùm amantem, sed etiam compatientem, dum infra meritum punit, justámque Iram suam plurimâ æquitate

Ps. 77. 38. temperat. *Non accendit omnem iram suam* inquit Propheta. Tam quia peccatores non sunt vasa satis ampla ad omnem illam recipiendam, quàm quia puniendo Misericordiæ suæ recordatur, vulnúsque, quod aculeo infligit, velut apis, mitigat melle. Adeó-

Apoc. 6. que Ira ipsius vocatur *Ira Agni*, quia etiam quando vindictam sumit, non omni rigore, quem peccata eorum merentur, peccatores punit, sed mitiùs & *citra* condignum in eos animadvertit. Ita quidem, ut quivis damnatorum in inferno, nisi desperatione excæcatus esset, semper in ore suo hæc verba habere deberet. *Peccavi, & verè deliqui, & ut eram dignus, non recepi.* Quamvis in his flammis, in quibus sepultus jaceo, assiduè tam horrendis instar diluvii in me pœnis pluat, non tamen tantas, quantas iniquitas mea meretur, sustineo; *ut eram dignus, non recepi*, ita dicendum esset. Quid amplius nunc addi potest ad peccati detestationem, quam ut affirmetur ipsum infernum tam funestum, tam formidabilem, non esse nisi peccati umbram, & animam peccatricem in æternum in omnium malorum abysso detineri, esse aliquod clementiæ genus, quod illi exhibetur, quandoquidem licèt misera incredibiles sustineat pœnas, tamen semper incomparabiliter meritis suis minores patitur. Si hæc ratio non sufficiat ad probandum intentum meum, non credo, id à me ad aliam lucernam tam illustrem posse demonstrari.

S. 1. Job 22. ad Job 2.

II.

XII. Verùm non erit denique, res tantâ admiratione digna, à Justitia Divina pœnis suis peccati malitiam demonstrari. Magis mirum vobis videbitur, malignitatem hanc æquè à Misericordiâ declarari. Tribus modis clementiam suam exhibet DEUS animæ peccatrici. Expectando illam nimirum ad pœnitentiam post lapsum, vocando, & recipiendo illam.

Pri-

Primò DEUS diu exspectat homines:
9. *Sustinuit in multâ patientiâ vasa Iræ.* Jure merito, quamprimum commissum est delictum, pœna afficiendum
or. esset. Kemetus secundus hujus no-
l. minis Scotiæ Rex jusserat duos Nobiles Dominæ cujusdam, Fenellæ dictæ, consanguineos necari, quæ ut se vindicaret, hac usa est arte. Elegantem in palatio arcis suæ statuam fabrefieri curavit, quæ manu dextrâ pomum aureum, sinistra sagittam acutissimam porrigebat, erátque totum opus tam ingeniosè elaboratum, ut quicunque pomum illud tangeret, motâ eodem actu occultâ quadam machina, statim illâ sagittâ transfigeretur, quemadmodum infelici huic Regi accidit, qui à Fenella in hortum animi causâ invitatus, dum manum ad oblatum sibi à statua pomum capiendum extenderet, lethaliter vulneratus vitâ excessit. Hoc ipsum cuivis peccatori evenire deberet, qui manum ad amabile illud pomum, ad rem illam non suam, ad voluptatem & vindictam illam prohibitam extendit, statim in ipso Divinæ offensæ actu à Justitia Divina transfigi & enecari deberet absque ulla mora, quemadmodum post mundi creationem experti sunt rebelles Angeli, in primo perfidiæ actu in profundissimam tenebrarum abyssum præcipitati. Verùm Misericordia Divina moras trahit, & quandóque non dies, non menses, non annos, sed etiam continuo Divinæ patientiæ prodigio extremam senectam exspectat. Dixi continuo prodigio, quia ut peccatorem toleret DEUS, necesse est, ut sibi ipsi vim inferat, quemadmodum sancta affirmat Ecclesia: *Quæ te vicit clementia, ut nostra ferres crimina?* Ita ut si semper operatur miraculum, quando vim infert naturæ, dici propè possit, illum non minùs operari, dum se vincendo sibi vim infert, Divinæque Justitiæ se opponit.

XIII. Quid autem dicemus, si quod ampliùs est, DEUS non solùm peccatorem exspectet, sed etiam vocet? Et tamen ita est. *Et dixi, cùm* *Jer.* 3.7.
fecisset hæc omnia: ad me revertere. Postquam Anima sponso suo tergum vertit, ut cum creaturis adulteraretur, Divinus hic Sponsus, quamvis scelerum illius conscius, eam, ut resipiscat & revertatur, invitat. Et quod ampliùs est, ipse semper primus peccatori ad pacem ineundam se offert, unde dicitur, verba ejus esse voces admonentis post tergum. *Verbum post* *Isa.* 30.
tergum monentis. Quia ut ad pœni- 21.
tentiam & veniam nos invitet, non exspectat, ut primi ad illum convertamur, veniámque deprecemur, sed dum adhuc rebelles adhæremus creaturis, amicas admonitiones suas ingeminat. *Aures tuæ audient verbum, post tergum monentis.* Id quod patientiæ ipsius miraculum multiplicat. Non enim ignoratis, eum qui injuriam passus est, cùm de amicitiâ redintegrandâ agitur, apertè mediatori declarare, se nolle ullo modo primum esse, qui pacem petat, cùm offensus ad id non teneatur, nec decori ratio sinat. Attamen Divina clementia

eò uſque ſe demittit, ut prima, etſi tantis affecta injuriis, pacem efferat; neque hoc clam. ſed apertè, ſed ardentiſſimè facit, ideóque, ut inquit Apoſtolus, legatos ſuos mittit, qui etiam nos rogent, imò ad DEI gratiam recupe-
1. Cor. 25.26. randam compellat. *Pro Chriſto legatione fungimur: obſecramus pro Chriſto &c. reconciliamini DEO.* Verum eſt, hanc demiſſionem Divinæ Majeſtati non eſſe propriè indecoram, ſed potiùs ejuſdem æſtimationem augere: ſicut non eſt indecorum lilio, inter alios flores caput ſuum inclinare, ſed majorem addit gratiam. Nihilominus an non ſtupendum vobis videtur prodigium, tantus bonitatis in infinitâ Majeſtate exceſſus? Maximè verò ſi conſideremus, peccatores hac ipsâ abuti bonitate, qui inſtar aſpidum ad Divinam vocationem aures obturant, indefeſsámque illam fatigant patientiam, à quâ tolerantur, illámque amicam vocem, à quâ invitantur, non obſtante ſumma, quam habent, ejus vocis neceſſitate, ſine quâ nunquam ad meliorem frugem reverti poſſent. Quare neceſſe eſt, ut non tantùm DEUS utatur Miſericordiâ cum peccatoribus,
Pſ. 102. ſed ut eandem confortet. *Corroboravit miſericordiam ſuam.* Tot & tantis ſcelerum inſultibus à peccatoribus impetitur. Quodſi hæc tolerantia non roboraretur infinitâ bonitate, tantas injurias non ſuſtineret.

XIV. Attamen totum hoc nihil eſt in comparatione illius Charitatis, quam DEUS pœnitentibus exhibet peccatoribus, & ad Patrem ſuum cœleſtem revertentibus. Tanti enim illorum facit ſalutem, ùt etiam ipſos Angelos non hominibus, ut inquit Sanctus Thomas, ſed DEO congratulari velit: *Congratulamini mihi: quaſi homo DEUS DEI eſſet, & tota* Opuſ. 63 c. *ſalus Divina in hominis inventione dependeret.* Pax hæc conditione inita, ut ereptæ hoſtibus urbes eis reſtituantur, pernicioſa eſſe cenſetur. Similem nihilominus pacem cum animabus peccatricibus init DEUS, qui omnia illis in rebellione amiſſa reddit merita. *Reddam vobis annos, quos comedit locuſta.* Joël. 25. Et an non hoc eſt Clementiæ miraculum? Jam illi clementiam humanam comparate. Plurima ſcelera in legibus nunquam veniâ donantur. Ita aſſerunt, nullum fugitivum ideo abſolvi culpâ, quòd eum fugæ pœniteat. *Nemo tali peccato pœnitentiâ ſuâ nocens eſſe deſinit.* L. quiſit ff. ædil. edic. Et quibus in foro civili delictum condonatur, non ampliùs, quàm ſemel illâ fruuntur gratiâ. Adeò terreni Imperatores anguſtis miſericordiam ſuam terminis conſtringunt. *Ut remiſſionem veniæ crimina, niſi ſemel commiſſa, non haberent.* L. ne ff. h. ergo. de Et aud. Quòd ſi verò unum ſolum peccati genus & hoc ſemel tantùm condonaretur à DEO, profectò immenſa eſſet Miſericordia, poſito, quòd ſumma ipſius Majeſtas contemptui habita fuiſſet. Quanta jam erit Miſericordia, quæ non ſolùm omnes ſcelerum ſpecies, ſed etiam impudentiſſimos poſt datam, & tanto cum amore, veniam relapſus condonat? hoc ſolùm, quod peccato-

rum

rum exſpectet pœnitentiam, tam magnus eſt Miſericordiæ exceſſus, ut eum
ch. DEUS ipſe admiretur. *Ego Dominus & non mutor, filii Jacob, & vos non eſtis conſumpti; à diebus enim Patrum veſtrorum receſſiſtis à legitimis meis.* Quomodo eſt poſſibile, inquit DEUS, cùm tam magnus ſim DEUS, in odiendo iniquitatem immutabilis, poſsímque ſummo jure, vi & facilitate vindictam ſumere, vos tot titulis mihi ſubjecti adhuc vivatis ſupra terram, & à me nihilominus poſt tot iterata ſcelera ad pœnitentiam exſpectemini? Quid ergo ille ipſe DEUS deberet dicere, cùm non ſolùm exſpectet; ſed etiam vocet, nec tantùm vocet, ſed tanto cum gaudio & lætitiâ peccatores excipiat, illorúmque jacturam tanta reſtauret liberalitate, quaſi donando aliis res ſuas ſtabiliret? O inauditum inter omnes homines miſericordiæ exceſſum!

XV. Ita ſe res habet: ſed quid ex his inferunt temerarii? Si DEUS eſt tam miſericors, inferunt, ergo audacter peccare licet, pejorémque imposterum, quàm aliàs unquam, vitam ducere. *Superabundantia clementiæ cœleſtis, libidinem facit humanæ temeritatis.* O ſtolidi, clamat Apoſtolus,
ll. quantum hallucinamini! *Ignoras, quo-*
e-
.7. *niam benignitas DEI ad pœnitentiam*
:.4. *te adducit?* Adeóne mente capti eſtis, ut ſummam hanc veritatem non intelligatis, quòd nempe Miſericordia DEI non ſolùm vobis non permittat, ut liberiùs peccetis, ſed obliget, ut pœnitentiâ peccata veſtra omnino deſtruatis? *Ad pœnitentiam te adducit.* Sed quomodo hoc? attendite & intelligetis.

XVI. DEUS tantopere averſatur peccatum, ut ad illud à cordibus humanis auferendum non ſolum in carne adhuc mortali uſque ad mortem ſe humiliârit, ſed nunc etiam in cœlis glorioſus ad preces ſe demittat. *Laboravi rogans.* At vos non perpendi- Jerem. 15. 6.
tis, in quem finem hoc faciat. Obſervaſtiſne unquam, Venatorem actu ipſo feram ſclopo trajicere volentem? aſpicite, quàm ſenſim ſine ſenſu ſe moveat, quàm tacitus adrepat, quàm ſe ad terram uſque humiliet, ſed quare hoc? quia feram cogitat occidere. Ecce igitur quò tot & tantæ DEI tendant ſubmiſſiones, quò tanta patientia, tanta benignitas, tantúmque ad transgreſſiones noſtras ſilentium colliment; tantùm, ut lethali ictu peccatum transfigatur, penitúsque deſtruatur. Si DEUS ſubitò omnes peccatores in Infernum præcipitaret, ſine dubio ſemper Rei punirentur; at peccatum nunquam deſtrueretur, imò ex pœnis novam vitam caperet, fierétque perpetuum. Quia verò DEUS, ſicut dictum eſt, directè odit peccatum, & tantùm indirectè propter illud delinquentem averſatur, ideo tot artibus, tanta benignitate, támque variis demiſſionum utitur modis, ut peccatum ſeparet à peccatoribus, illóſque ſalvando, hoc deſtruat. Hoc eſt motivum Divinæ Bonitatis, ut nos expectet, vocet, & in gratiam recipiat, cujus optimè gnarus

 David

Ps. 24. 11. David ſtupore plenus DEO dixit: *Tu propitiaberis peccato meo, multum eſt enim.* Quaſi diceret, O Domine ſola bonitas tua hac vice ad condonandum mihi peccatum meum te movebit, multum eſt enim. Qui arcanum ſcripturæ non intelligit, exiſtimabit, Prophetam non peccatum ſuum multum, ſed multam DEI Miſericordiam dicere debuiſſe: imò ſentiet, illud à Davide excuſari debuiſſe, tanquam inconſideratè, improvisò, & nimiùm violento tentationis aſſultu commiſſum, ad veniam hoc modo faciliùs & certiùs petendam ac impetrandam. Verùm David rem meliùs intellexit; non enim ignorabat, peccati gravitatem Divinæ Bonitatis motivum eſſe ad peccatum tantò libentiùs exterminandum, ideóque ad hanc ipſam Bonitatem converſus dicebat: *Multum eſt enim.* Ut eam ad illud penitus ab Anima ſua auferendum moveret. Sic agricola, cujus vineam aper quidam devaſtavit, ait, illum ingentem eſſe beſtiam, illiúſque rabiem, robur, feritatem, dentéſque fulminantes deſcribit, ut venatorem tantò magis ad occidendum illum alliciat. *Tu propitiaberis peccato meo; multum eſt enim.* Et hæ legitimæ ſunt conſequentiæ, quas ex Divina Miſericordiâ inferre neceſſe eſt. Ita, ut dum vos dicitis, O quanta eſt DEI erga peccatores Miſericordia! æquali jure dicere debeatis, O quàm immenſum eſt DEI odium contra peccatum! Si obſtinatè huic rebelli in libero arbitrio meo aſylum concederem, certus ſum, aut peccatum in peccatore, aut peccatorem in peccato à DEO deſtructum iri: etenim maledictum hoc peccatum eſt hoſtis ille captitalis, qui ſi poſſet, DEUM annihilaret, tam effrenata eſt ejus malitia. Perpenditote igitur, an non verè tam ex Juſtitia Divina peccatum puniente, quàm ex Miſericordia illud tolerante ejusdem malitia & gravitas agnoſci poſſit?

XVII. Maximè verò ſi conſideraveritis, hanc ipſam Divinam Miſericordiam nonnunquam ſe vinci permittere, & quaſi violentiæ peccati, ab obſtinato arbitrio noſtro confortati, cedere. *Non poterat Dominus ultrà portare, propter malitiam ſtudiorum veſtrorum, & propter abominationes, quas feciſtis.* Jer. 44. Audite mirabilem loquendi modum. Propheta aſſerit, à DEO non poſſe ampliùs peccatorum malitiam & abominationes præ laſſitudine tolerari. Ut verum fatear, laſſitudinis tantùm capaces ſunt potentiæ corporales, non autem voluntas; multò minùs voluntas Divina, quæ eſt ipſamet omnipotentia. Nihilominus peccatum eſt pondus immenſum, in quo ſuſtinendo ipſe DEUS defatigari videtur, quando inſtar hominis viribus fracti loquitur non poſſum ampliùs. *Non poterat Dominus ultra portare.* Potéſtne aliquid ampliùs dici ad peccatorum noſtrorum gravitatem exprimendam? ego certè non exiſtimo. Nihilominus Spiritus Sanctus, ut majus in nos adverſùs peccatum excitaret odium, affirmat, non ſolùm DEUM à peccatore ſceleribus ſuis defatigari, ſed etiam illo-

rum

rum amore exacerbati. *Exacerbavit*
16,4. *Dominum peccator.* Quasi delictorum nostrorum non solùm injuriâ afficiatur DEUS, sed etiam immensæ felicitatis illius tranquillitas turbetur. Quod in veritate fieri non potest, sed si fieri posset, non ab alio, quàm à peccato interturbaretur. Fingite animis vestris mare non esse amarum, quemadmodum nunc est, sed omnino dulce, tantúmque continere in se sacchari, quantum habet salis, quale erit illud fel, à quo tantum dulcedinis pelagus amarescere poterit? At felle pejus absque omni comparatione est peccatum, quod licèt nunquam inexhaustam Divinæ Misericordiæ dulcedinem amaritudine ulla inficere queat, nihilominus quotidie in effectibus suis tantopere illam exacerbat, ut DEUS, qui miserrimæ etiam recordatur formicæ super terram repentis, eam proportionato naturæ suæ cibo pascit, annonámque & tectum procurat, hic ipse DEUS animæ sceleratæ in omnem æternitatem omnino obliviscatur, nec amplius oculos habeat, quibus damnationis, in qua jacet, miserias aspiciat, nec aures, quibus tot ejus dolores & tormenta auscultet, nec cor amplius, quo illi in rebus adeò desperatis compatiatur.
1. 1. *Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitavit Dominum DEUM suum.* Quare per me licet, alia, qui volet, & fortiora in Divinæ Justitiæ operibus ad odium contra Peccatum concipiendum quærat motiva; mihi sufficiunt ea, quæ in Divinæ Misericordiæ consideratione reperio, exclamóque cum Sanctis, qui sunt in cœlo: *Quis non timebit te Domine, quia* Apoc. 15. 5.
solus pius es? Quis non horrebit etiam solam cogitationem, te tam magnum offendendi DEUM, qui, quamvis infinitè sis misericors erga creaturas, nihilominus tantâ contra peccatum accenderis irâ, ut tanto rigore eas punias, quasi omni careres Misericordiâ? *Non addam ultra misere-* Osee 17.
rere domui Israël, sed oblivione obliviscar eorum. Quomodo DEUS tam benignus hac posset uti severitate, nisi immensa foret Peccati malitia?


XVIII. Sed hæ veritates, Charissimi, vobis videntur planè novæ, quia sicut DEUS inter mortalis vitæ hujus tenebras non cognoscitur, sic nec peccatorum, quibus eum offendimus, perversitas perpenditur. Verùm quando ultimâ extremi judicii horâ cujusvis peccati mortalis enormitas patefiet, tunc attoniti peccatores, quòd tam sæpè támque facilè huic monstro in cordibus suis locum dederint, subitò non tantùm omni spe, sed etiam loquelâ destituentur: *Non* Sap. 5.
habebunt spem, nec in die agnitionis 18.
allocutionem. Dies judicii in scriptura vocatur *dies agnitionis*, quia in illo peccatores agnoscent DEUM, suorúmque scelerum malitiam intelligent. Dicitúrque, illos pavidos & trepidantes etiam vocem, quâ se defendere possent, perdituros esse: *In die agnitionis non habebunt allocu-* Hugo in
tionem. Quia tunc Divinæ Justitiæ hunc loca
pulchritudinem agnoscent, velut Divini honoris vindicem, debiti illi

à crea-

à creaturis obsequii procuratricem, gloriæque à peccato ablatæ reparatricem. Videbúntque ita esse, ùt ait S. Thomas. *Justitia DEI respicit*, primo loco, *decentiam ipsius, secundùm quod reddit sibi, quod sibi debetur.* Videbunt tunc, quàm pulchra fuerit perfectionum istarum harmonia tranquillitatis in judicando, & in puniendo misericordiæ, instar gladii, qui, dum inflectitur, eò meliùs temperamenti ostendit præstantiam. Atque hoc ipsum omnem sceleratis auferet excusationem, quòd à mitis, innocentis & felle carentis co-
Jerem. 25. 38. lumbæ irâ condemnati sint: *à facie iræ columbæ.* Agnoscent misericordiam illam, quæ eò usque se demisit, ut ad pœnitentiam illos exspectaret, invitarétque: tunc intelligent, quantum crimen sit, DEI bonitate abusos fuisse, ideóque pejores factos esse, quòd DEUM benigniorem experti fuerint. Tunc magnam esse DEI Misericordiam, illis non proderit, sicut jam plures ad peccatum faciliùs committendum eam considerant; Misericordiam agnoscent, ut peccati malitiam clarè intueantur. Apparebit, quòd prodere DEUM, qui ignoscit, sit plùs quàm prodere; & ab incomparabili condemnatum esse Misericordiâ, demonstrat injuriæ DEO illatæ malitiam esse quoque incomparabilem, utpote quæ tantæ damnationis causa fuit. Verbo Justitia & Misericordia DEI illo die inter se consentient? *Justitia & Pax osculata sunt*; consensus autem consistit in hoc, quemadmodum hucusque docui, ut instituantur peccatores, & agnoscant, quàm grande malum sit peccatum. Nostrum nunc est anticipatis hisce uti cognitionibus, ut Divinæ misericordiæ ad veram vitæ nostræ emendationem cooperantes, Divinæ Justitiæ effectus, imminentes pœnas, non experiamur, si priùs terminemus vitam, quàm emendemus.



DISCUR-



DISCURSUS VIII.

Quàm grande Malum ſit Peccatum, ex eo, quòd nos privet gratiâ DEI.

I. NOn eſt luſor, quem minùs affligat perdidiſſe pecuniam, quàm ille, qui non paratum ad luſum affert, ſed ejus tantùm ſponſione ſe obligat. Nam oculis ſubjectum non habere, quod amittitur, ad paupertatem tandem adducit, tantò dulciorem, quantò minùs obſervatam. Hic omnino eſt modus, quo peccatores quotidie ludunt cum Dæmone; ludunt datis Schedulis, nec numerant, aut ponderant id, quod perdunt. Eſt antiquus illorum error, quo ſibi perſuadent, luſum eſſe vitam no-
15. ſtram: *Exiſtimârunt luſum eſſe vitam*
1. *noſtram.* Cùm in veritate DEUS velit, vitam noſtram eſſe militiam. *Mi-*
.7.1. *litia eſt vita hominis ſuper terram.* Nihilominus hanc illis imprudentiam ignoſcerem, ſi ſaltem recordarentur, ſe verè ludere. Quare ſtatui, vobis ante oculos ponere, Chariſſimi, divitiarum ſummam, quarum peccando jacturam feciſtis, ut à tam ſtolida prodigalitate vos avertam, quâ periculo exponitis, imò quaſi rem nauci unico jactu projicitis omnes Divinæ gratiæ theſauros. Non ita pridem Nobili cuidam equiti filium ſuum, multarum pecuniarum prodigum luſorem, emendandi conatus bene ceſſit, dum ad nihil aliud eum obligavit, quàm ut propriis manibus enormem ſummam, à ſe perditam, Victori numeraret. Quis ſcit, an non ſimilis cura à me adhibita pluribus veſtrûm ſit profutura? Tentabo, & ſi etiam hæc inventio ad vos corrigendos non ſit habitura pondus, luſum veſtrum tam pernicioſum non ampliùs impediam; tandem enim jactura tota & perditio veſtra eſt.

II. Primò quidem, cùm mihi de immenſis theſauris, in Gratia DEI comprehenſis, loquendum ſit, neceſſe eſt, ut probè à me vocabula explicentur. Fortè enim tam rudis erit aliquis inter vos, qui ignorantiâ, Chriſtiano indignâ, nomine Gratiæ illum ipſum panem, quo veſcitur, comprehendat. Quare Chariſſimi, etiam ſuprà ipſos cœlos mentes veſtras erigite; de cœleſtibus enim rebus mihi ſermo eſt. Scire oportet imprimis, Gratiam aliam eſſe habitualem, aliam actualem. Gratia actualis ſunt illa auxilia, quibus DEUS illuminat mentes noſtras, voluntatésque ad bene operandum movet (quæ communiter inſpirationes Divinæ vocantur) ſine quibus nec boni quidquam incipere, nec proſequi poſſumus. Verùm de hac Gratia jam non loquor, ſed de altera, quæ habitualis dicitur, quæ eſt donum quod-

dam cœleste, quod DEUS animæ infundit, & quo illam mirè pulchram, divitem & ornatam reddit, imò in Filiam suam adoptat. Hujus Gratiæ pretium nunc manifestabo. Verùm statim in principio me terret S. Jobus, qui asserit, hominem illius pretium non
Job. 28. 13. cognoscere. *Nescit homo pretium ejus.* Sed hoc ipsum indicat, summam illius esse excellentiam, quod eam tam pauci cognoscant. Duo pretiorum genera in quacunque re spectari possunt; unum est intrinsecum, quod consistit in perfectione, quam res æstimata in se continet: alterum est extrinsecum, quod consistit in æstimatione illius, à quo bene cognoscitur. In utroque sensu Gratia DEI est pretiosissima,

I.

III. Quod attinet pretium intrinsecum: si quis summam pulchritudinem, summas divitias & summum honorem conjungeret, non videtur aliud quidpiam à corde humano desiderari posse. Hæ verò dotes sunt omninò illæ tres Gratiæ, quæ, ut ita dicam, formant talem Gratiam. Prima est summa pulchritudo. Plato dicebat, si virtutis pulchritudo oculis cerni posset, omnes quasi captos eam amplexuros. Quid verò dixisset, si fides illi supernaturalem Divinæ Gratiæ pulchritudinem, sicut nobis, demonstrâsset? Ut de objecto hoc sensibus nostris superiore aliquid intelligamus, considerate Charissimi, Gratiam esse aliquam Divinæ naturæ participationem, ita ut, quemadmodum docet S. Thomas, quod in DEO substantialiter est propter essentiam suam, id propter participationem Divinam in anima accidentaliter afficiatur. *Id quod est substantialiter in DEO, fit accidentaliter in anima participante Divinam naturam.* *S. Th. 1. 2. q. ... ar. 1.* Quare, ut comprehendatis, qualis sit illa pulchritudo, de qua loquor, necesse esset, Divini vultûs, cujus illa est imago, pulchritudinem vivaciter cognoscere. Sed pro nunc sufficiat vobis solus hic radius. Fingite animis vestris, omne contra DEUM odium in cunctorum Dæmonum Damnatorúmque cordibus dispersim, in uno corde solo uniri, imò fingite odium illud in corde isto augeri per tot sæcula, quot momenta ab Inferni creatione sunt elapsa. O quantum, & quàm magnum esset hoc fellis pelagus! nihilominus, si placeret DEO, unico tantum momento creaturæ adeò sibi infensæ faciei suæ pulchritudinem ostendere, hoc solum momentum sufficeret, ut totum illud insanum odium in æqualem DEI amorem converteretur, & mare amaritudinis immensæ in mare gaudiorum mutaretur. Quàm igitur supra omnem hominum captum amabilis debet esse aspectus, cujus unicus solùm radius tam ingentem in omne deinceps tempus horrorem depelleret? Talis autem pulchritudinis radius est ille, quo anima Justi illustratur: unde si homo talem animam videre posset, non esse possibile, ut coram illa subsisteret, sed, quemadmodum Christus Sanctæ Brigittæ revelavit, omnia membra sua instar fragilis vitri in frusta diffringi sentiret, propter amoris im-

impetum & gaudiorum, quibus opprimeretur, abundantiam.

IV. Et sanè quanta non esse debet illa pulchritudo, cujus amore ipsemet DEUS capitur? Atque ita se res habet. Ille ipse est, qui in summam, ut ita dicam, admirationem raptus, in sacris
4. Canticis exclamat; *quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es!* Scilicet propter Gratiam. Absque dubio concludere oportet, ab hac pulchritudine omnem aliam venustatem, quæ vel cogitari potest, superari, cùm infinita Sapientia verbis tam eximiis de ea loquatur, ac alium in finem non haberet oculos, quàm ut fortunatam hanc animam contempletur.
1.8. *Firmabo super te oculos meos.* An non ergo summopere pudendum esset, hanc Gratiæ pulchritudinem vilissimæ muliebris aspectûs venustati comparare, à quâ tot hominum inquietantur cogitationes, captivi detinentur affectus, liberum ligatur arbitrium, privatis discordiis subvertuntur familiæ, & publicis aliquando integra etiam Regna in ruinam impelluntur? Quamprimum Juditha in castris Assyriorum comparuit, existimârunt milites, operæ pretium esse, proprias vitas suas subjugando illi populo impendere, cui tam speciosæ forent mu-
ith. lieres. *Quis contemnat populum Heb-*
8. *ræorum, qui tam decoras mulieres habent, ut non pro his merito pugnare contra eos debeamus?* Vos nunc judicate, quid dicturi essent homines, si Animæ pulchritudinem, quæ consistit in Gratia, videre possent? quanto stupore attoniti ad hanc hærerent pulchritudinem! quàm absorpti! quàm ipsâ tanti luminis vi, præquam ullus lucis amant papilio, hebetati!

V. Atque hoc tantò magis, quia hæc pulchritudo, quemadmodum nonnemo existimare posset, non est sterilis. Montes auriferi, quo in sinu suo ditiores sunt, tantò magis omni gramine & herbâ destituti esse videntur. Verùm non sic se habet Anima Gratiâ ornata; eximiæ enim huic venustati simul cœlestium benedictionum divitias conjunctas habet, quæ omnem humanam fidem superant. *Gratia* inquit Ecclesiasticus, *Gratia sicut Paradisus in benedictionibus.* S. Pe- 2. Pet. 1.
trus Apostolus Gratiam vocat, pretiosa DEI promissa. *Maxima & pretiosa nobis promissa dedit.* Sed quare promissa? an non illa potiùs est donum. Ita est, sed tamen vocatur promissum; quia principale Divinarum promissionum objectum supra terram aliud non est, quàm Gratia. Hæc est omnium Divinarum intentionum complementum, quas in nostri creatione, conservatione, omnibúsque operibus suis DEUS sibi præfigit. Considerate ergo, quàm opulentum debeat esse hoc donum, de quo ille adeò frequenter in Divinis loquitur Scripturis, quasi de fine sibi in omnibus operibus suis præfixo. Totum quidquid DEUS tanquam auctor naturæ producit, omne in Gratiæ commodum refert. Itaque si cœli tam rapido cursu moventur, si tam varias in nos habent influentias, si dies elucescit, si lucem tenebræ pellunt, si venti emittuntur, si pluit cœlum, si plantæ cre-

 scunt,

ſunt, ſi animalia naſcuntur & moriuntur, verbo omnes ſublunares, & cœleſtes univerſi effectus, à prima cauſa, id eſt, DEO, in bonum Gratiæ ordinati ſunt, ut ea in homine producatur, firmetur & augeatur. *Omnia propter electos.* Et an non hoc ſufficit, ut apprehendamus, quàm magnus ſit hic theſaurus? Propter hunc ſolum continuò infinitam ſuam potentiam & indefatigabilem DEUS exercet providentiam?

VI. At dicetis, totum hoc à DEO fieri potiùs propter gloriam, quàm propter Gratiam. Sed quam putatis eſſe differentiam inter Gratiam & gloriam? talis eſt differentia, qualis eſt inter fructum & florem, inter ſcapum & roſam. Gratia dici poteſt gloria inchoata, gloria verò dici poteſt Gratia jam perfecta. *Gratia nihil aliud eſt, quàm quædam inchoatio gloriæ in nobis.* Ita docet S. Thomas. Imò in quadam circumſtantia affirmare licet, Gratiam ipſimet gloriæ præferendam eſſe; quia ſi licitum eſt, velle privari Gloriâ cœleſti ad majorem DEI Gloriam, ſaltem ad aliquod tempus; non eſt tamen licitum vel unico momento Gratiâ ejus velle privari, aut minimam tam inæſtimabilis theſauri jacturam pati. Quæ eſt igitur hæc opulentia, quæ ſine peccato amitti non poteſt? quæ eſt illa aurifodina, quæ etiam ipſi cœleſti gloriæ quodammodo præferri poteſt? O cæcos igitur peccatores, qui pro beſtiali aliqua voluptate, pro vanitatis fumo incomparabile bonum commutant; quòd ſi cum omnibus cœli gaudiis conferri poſſet, ſine dubio omnibus anteponendum eſſet, eo quidem modo, ut Anima potiùs in æternum gloriâ illâ privari mallet, quam oculus non vidit, nec auris audivit, quam cor comprehendere non valet, quàm vel unico momento hac Gratiâ orbari! An ignoratis, inquit S. Bonaventura, Gratiam eſſe donorum quæ creaturæ à DEO conferuntur omnium primum & excellentiſſimum? *Gratia eſt primum & excellentiſſimum inter dona creata.* Quare licèt DEUS amore veſtrî alterum crearet mundum, cujus terra tota eſſet aurea, lapidésque meri forent adamantes, ejúsque Dominos vos conſtitueret, profectò tantum donum vobis non conferret, quantum eſſet, ſi vel unicum ſolum Gratiæ gradum vobis elargiretur. *Bonum gratiæ unius majus eſt, quàm bonum totius naturæ univerſi.* Ut docet S. Thomas. Minima Gratia plùs valet, quàm omnia naturæ bona in univerſo mundo contenta, licèt etiam alius Mundus foret tantò major noſtro, quantò noſter major eſt milii grano.

S. Thom. 2. 2. q. 24 ar. 3. ad 2.

S. Th[illegible] 2. q[illegible] ar. [illegible]

VII. Huic deinde pulchritudini & opulentiæ ejusdem Divinæ Gratiæ proportionata accedit dignitas. Ideóque conſiderate, quæ dicturus ſum: ſi DEUS per omnem æternitatem continuò in novis creaturis producendis occuparetur, ſemper unam aliâ in ordine naturæ perfectiorem crearet, omnes illæ creaturæ ſimul cum omnibus perfectionibus ſuis tantam non poſſiderent dignitatem, quantam infantis Anima recens Baptizati obtinet. Atque adeò, ſi vobis imaginemini, omnes has creaturas ſimul congre-

gregatas inter se consulere, quædam ex illis eligenda sit in caput omnium, si unicus solus homo inter illas tantùm unicum Gratiæ gradum haberet, hic homo secundùm omnem rectæ rationis Regulam eligeretur in Superiorem; utpote, qui Jure Gratiæ omnium creaturarum dignitates antecelleret, multò majori præeminentiâ, quàm sol lumen lucernarum superat. Fortè vos his rebus fidem non adhibebitis, quæ tamen sunt verissimæ. Puerulus etiam nunquam credit, Margaritam majoris esse pretii, quàm pugnum bellariis plenum, nihilominus licèt hoc sibi non persuadeat, vos tamen, ut evidentissimum tenetis. Quid cogitatis esse in rei veritate animam Gratiâ DEI præditam? Si mihi licitum esset his uti verbis, dicerem illam esse, quasi DEUM in flore. *Omnis,* 1.Jo.3. *qui natus est ex DEO, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet.* Audite, quomodo à S. Joanne vocetur Gratia: vocat illam sementem Divinitatis, quia Animam reddit cœlestem, eámque in ordinem omnibus aliis superiorem, id est planè Divinum collocat. Aristoteles observat, semina plantarum odoriferarum odorem quoque à natura plantarum haurire. Quis autem explicare, aut capere potest, quid sit Gratia, quia, ut dictum est, est semen Divinitatis? *Semen DEI in eo manet.* O felices Christianos, si Misericordiam DEI cognoscerent, quam donando hanc Gratiam nobis exhibuit! ...tequam hoc donum perderent, potiùs omnes res creatas pessundari mallent, cùm Gratia omnibus illis infinitè sit præstantior: *Melior est Misericordia tua super vitas.* Ps.64.4. O anima, quæ dignitate ipsos etiam cœlos superas, quomodo infra bestias te abjicis? quàm abjectè à dignitate tua degeneras? tu quæ supra omnem aliam celsitudinem elevata statum eundem quasi cum DEO participare potes! *Claritatem quam dedisti mihi, Pater,* Jo.7.22. *dedi eis,* inquit Christus in ultimo suo ad Discipulos sermone. Quemadmodum ignis ferro candenti dicere posset: ego tibi omnem splendorem meum, calorem, omnémque præstantiam dedi, & licèt tibi naturam meam non communicaverim, quia ferrum es, nihilominus eminentem tribui similitudinem, ut nulli alii rei similius sis, quàm igni. Eodem modo cùm DEUS nobis Gratiam largitur, tam sublimi modo Divinam naturam suam nobis communicat, ut quamvìs Anima non desinat esse creata, tota nihilominus in Creatore transformetur, cui similior fit, quàm ipsi igni ferrum candens. Talis enim ardor non excedit naturam ferri, cùm Gratia immensâ distantiâ omnia naturæ merita excedat. *Donum Gratiæ excedit omnem* S. Thom. *facultatem naturæ creatæ, cùm nihil* 1.2.q. *aliud sit, quàm quædam participatio di-* 112.ar. *vinæ naturæ, quæ excedit omnem aliam* 1.in c. *naturam.*

VIII. Præterea observatione dignum est, hominem tam à pulchritudine naturali, quàm ab opulentia & dignitate non perfici intrinsecè, sed tantùm extrinsecè, esséque quasi quandam boni alicujus superficiem, non verò bonum solidum. Quid est

vultus fœminæ; si coloratam pellem illam ex illius fronte auferatis? Statim deformior, quàm catri alicujus facies apparebit. Ita ut vir quidam Sanctus ad omnem impuritatis suggestionem, seipsum allocutus fuerit, quid futura esset tandem illa mulier, quam incautis aspexerat oculis, si pelle denudaretur? & ego propter bonum tam leve perdam DEI Gratiam? Hoc ipsum dicendum esset, tam de divitiis, quàm de honore, quæ omnes homines relinquunt, à quo possidentur, in eodem statu, in quo fuit antè, nec quidquam ampliùs in eo mutant, quàm pulchrum ephippium in vitioso equo mutat. Quam ob causam, quidam veterum Philosophorum, ut ajunt, à viro divite domum invitatus, cùm eum necessitas exspuere cogeret, exspuit in faciem ipsius, & pro excusatione sua adduxit, se in tota hac domo locum non invenisse aptiorem: pavimentum enim pario esse stratum lapide, parietes vestitos aulæis, mensas tapetibus tectas, verbô, omnia esse pretiosa, eorundem possessore excepto. Verùm non sic se habet supernaturalium Gratiæ bonorum possessio: non tantùm in superficie hæret extra hominem, sed intus in anima manet, eámque perficit; nec solùm perficit, sed ad altiorem quemdam Divinitatis ordinem extollit, cujus particeps redditur. *Ut efficiamini Divinæ consortes naturæ.* Quare si hominem leprosum intueremini, à capite usque ad calcem ulceribus refertum, eámque redactum ad miseriam, ut cum Jobò testâ saniem radere cogeretur; audeo

1. Pet. 1. 4.

dicere, si miser hic homo unum solum Gratiæ gradum possideret, eum tantum hac cum Gratia bonorum obtinere cumulum, quantùm non haberet, quia non solùm toti terræ, sed stellis, elementis, totíque illi Regioni cœlesti dominaretur. Hoc animæ pretium, sordida corporis habitatione neutiquam diminutum, omnes Angelorum Hierarchias in admirationem raperet; qui si adhuc non essent ditati Gratiâ, sed solùm Spiritualibus naturæ suæ debitis potirentur donis, hoc misero homine gradu suo tanto forent inferiores, quàm est equus Viro nobili comparatus illíque fortunatæ huic Animæ libentes se inclinarent, nec non de tam sublimi statu, ad quem elevata est, congratularentur. *Quàm magnus, qui invenit sapientiam & scientiam; sed non est super timentem Dominum.* Tantum est Gratiæ pretium.

Eccl. 1. 13.

IX. An non igitur justam causam S. Jobus vobis habuisse videtur asserendi, eam ab hominibus non cognosci? *Nescit homo pretium ejus.* Vellem, hoc bene considerari à Christianis, qui imprudenter de paupertate sua dolentes inquiunt. *In mundo nihil aliud habeo quàm DEUM.* Propter hoc dictum alibi vos reprehendi. Sed de novo illud tanquam stolidum vitupero. Si DEUM habetis, quomodo vos existimatis esse miseros? Quomodo est possibile, ut anima nullius peccati gravis sibi conscia, sibi persuadere possit, se esse in DEI Gratia, séque ideò solùm miseram existimat, quòd vilissimis hujus terræ bonis careat? inopes sunt peccatores, quia DEI Gratiâ

pri-

privati sunt, omnésque divitiæ, quas possident, minùs divites illos reddunt, quàm simplex dentium candor album faciat æthiopem. Quæ potest esse opulentia, quæ pulchritudo, quis honor hominis Gratiâ privati? est mera boni apparentia, non autem verum aliquod bonum. *Verte impios & non*
ir. quod bonum. *Verte impios & non*
27. *erunt*, inquit Spiritus Sanctus. Quòd si tabulam à Burgundo pictore celebri effictam consideretis, videbitis in illa, cœlum, mare, montes, sylvas, campos, equos & homines è longinquo inter se dimicantes: sed totum hoc est mera quædam rerum superficies, absque ullo fundo. Vultísne rei veritatem penetrare? Vertite picturam versùs murum, & tunc dicite, ubi sit illud cœlum, illud mare, illi montes, sylvæ & campi, illi equi & homines, qui apparebant? Nihil ampliùs hujus tam vivacis illusionis superest, sed sola rudis telæ veritas videtur. Tales sine Gratiâ sunt Grandes hujus Mundi; picturæ sunt fallaces? quòd si eas viva fide inverteritis, & quales revera sunt, aspexeritis, videbitis, non ampliùs easdem esse, quæ fuerant priùs. *Verte impios & non erunt.* Nihil magnum præter DEI Gratiam, quæ plenitudinis Divinæ essentiæ participatio est, sine quâ omnia, quæ existunt, solùm habent esse aliquod aridum, & apparens, súntque quasi non essent *nihil sunt.*

X. Quæ cùm ita sint, an ignoratis, quanti meritò in terris æstimentur,
or. Gratiæ, quæ vocantur gratis datæ; do-
8, na à Spiritu Sancto fidelium communitati collata? infusæ Sapientiæ, infusæ scientiæ copia, magna Fidei possessio, donum sanitatis, donum Miraculorum, donum Prophetiæ, donum linguarum, discretio Spirituum, interpretatio Scripturarum. Hæ quoque non naturalis, sed supernaturalis ordinis Gratiæ sunt, quia hominis & naturam & merita superant. *Hæc omnia* 1.Tho. 1.
operatur unus atque idem Spiritus, di- q. 111.
videns singulis, prout vult. Nihilomi- ar. 1. in
nus omnes illæ cum Gratia sanctifi- c. 1.
cante comparatæ quid sunt? Necesse Cor. 12.
est, ut simul hinc Soli palmam relin- 11. S.Tho. 1.
quant? Gratiæ enim gratis datæ ordi- 2.q.111.
natæ sunt, ut animas ad DEUM redu- ar. 5.
cant, Gratia verò sanctificans eas unit cum DEO, unde quò sublimior est consecutio finis, quàm media ad illum assequendum, tantò sublimior est quoque Gratia sanctificans, quàm sint Gratiæ gratis datæ, quamvìs has tantopere admiremur, ut præ stupore quasi in extasin ab illis rapiamur.
Quare postquam eas Apostolus cum 1. Cor.
summa commendatione enumeràsset 12. 31.
Corinthiis, statim subjunxit: *Et ad-* S. Th. in
huc excellentiorem viam vobis demon- 1.adCor.
stro. Et quare hoc subjunxit? Ne, in- c.11. loc. 3. in fin.
quit S. Thomas, in illis affectum suum sisterent; *ne in præmissis donis eorum affectus quiesceret.* Sed ad obtinendam illam Gratiam exstimularentur, sine quâ omnes aliæ, licèt excelsæ, nihil prosunt, quemadmodum postea Apostolus fusiùs declaravit, ita, ut, dixerit: *Si linguis hominum loquar & Angelorum, etsi habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam; etsi habuero omnem Fidem, ita, ut montes transferam, Charitatem au-*

tem non habuero, nihil sum. Et hoc donum, quod omnia naturæ & Gratiæ dona superat, est eadem Gratia, de qua mihi sermo est: & an non maximum ejus vobis videtur esse pretium?

II.

XI. Sed dato, non concesso, Gratiam intrinsecè nihil illorum possidere, quæ commemoravi; an non sufficere deberet ad infinitum illi pretium attribuendum, quod tanti à Sanctis & à DEO ipso æstimetur? Americæ populi olim minoris æstimabant aurum, quàm ferrum; sed paulatim advertentes, ab Europæis tantos navigando impendi labores, tantáque sustineri pericula pro illo obtinendo, ut etiam contra violentos ejusdem prædones vitam exponerent: etiam ipsi pluris æstimare cœperunt, & tanquam medio ad proprias necessitates sublevandas uti. Charissimi, cur non & nos ita facimus? Hucusque quasi homines rudes & ignorantes, quàm grande sit hujus auri à DEO nobis oblati pretium, non intelleximus: *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum.* Sed cùm videamus à Sanctis intellectu puriore, magísque vivâ fide illuminatis oculis ad acquirendam, roborandam & augendam hanc Gratiam voluptatum relinqui illecebras, durissimis corpus affligi pœnitentiis, summisque doloribus & periculis vitam exponi, à nobis quoque sapienter concludi deberet, magnum esse debere illum thesaurum, qui in Divina Gratia látet abſconditus. Olim Ægypti solitudines adeò erant populis refertæ; ut propter Monachorum in illas confugientium, DEúmque inter austeræ vitæ illius asperitates quærentium multitudinem, civitates viderentur. In quorum numero tot nobiles erant Senatores, tot opulenti mercatores, tot honorati milites, tot eximii omni eruditionis laude viri, ut dici potuerit, ibi omnium gentium florem inveniri. Si jam ex illis quæsivissetis; quid sibi vult hæc à civitatibus fuga, illa domesticarum commoditatum abdicatio, quid illa inter feras, quasi eadem vobis esset natura, tam misera vita solis sustentata herbis? quid durus ille supra pavimentum somnus, cur flendo, pectora percutiendo, preces ab ortu solis usque ad ejusdem occasum, & ab occasu usque ad ortum fundendo vos defatigatis? Simul omnes respondissent, se nihil aliud, quàm DEI gratiæ augmentum quærere prætendere. Hoc ipsum omnes Sancti Martyres responderent, quorum ut aliàs dixi, tantus est numerus, ut si per totum annum distribuerentur, cuivis diei multa millia attribui possent. Sciscitemini ab illis, unde tanta illorum in omni tormentorum genere sufferendo constantia, ut etiam persecutores suos defatigârint? Unde tanta, dum ipsis suppliciis obviam irent, lætitia, ut ea velut delicias suas amplecterentur? Unde tam generosus illis animus, quo non solùm vitam, sed amicitiam, imò præcipuos ab Imperatoribus Orbis universi Dominis oblatos respuerent favores, contemnerentque? Omnes isti Sancti Marty-

Apoc. 3. 18.

Martyres una voce responderent, se hæc ideo fecisse, ne Gratiam DEI amitterent; & quantumcunque fecerint, tamen nihil adhuc esse in comparatione illius, quod præstandum esset, ne talis Gratia perderetur. Quid jam ampliùs desideratis, ut hanc fodinam pretiosissimam esse vobis persuadeatis? Si non ex se ipsa tanti esset, an non infinito pretio æstimanda esset, hac solùm de causa, quòd videamus tantos, & tot Sanctos in ea exhaurienda summos adhibere conatus, totósque dies desudare? O nos insensatos, qui ob unius momenti voluptaculam id projicimus, quod ab innumeris tantique Nominis Sanctis hominibus, longissimæ vitæ laboribus, & molestiis quæsitum fuit! DEI Gratiam abjicere? An non verè stolidi sumus, quòd illum thesaurum non omni, quo possumus, studio custodiamus, pro quo defendendo tot hominum millia, quos nunc Aris impositos veneramur, omnium jacturam facere, omniáque tormenta sustinere maluerunt, pro quo etiam conservando millenas exposuissent vitas, si tot cuivis illorum concessæ fuissent? *O si scires donum DEI!* cuilibet peccatori dicere possem. O si cognosceretis, quantam, perdendo unicum solum Gratiæ gradum, jacturam faceretis? Ego mihi persuadeo Seraphinos, si flere possent, quoddam lacrymarum mare effusuros propter tale detrimentum, quod à peccatoribus insipientibus ne quidem interno aliquo gemitu sentitur.

XII. Sed hoc parum est ad inæstimabile Gratiæ pretium demonstrandum. Consideratio enim æstimationis, quam DEUS ipse de illa habuit, dolorésque & tormenta ad eam nobis promerendam tolerata, multò efficaciùs absque ulla comparatione illius excellentiam ostendunt. Qui nunquam audivisset, quàm formosa fuerit Rachel, ex laboribus à Jacobo pro ea exantlatis illam cognovisset, & tantò magis, quòd illi ipsi labores quatuordecim annis tolerati ob tale lucrum exigua merces visi fuerint. *Gen. 29.* *Videbantur illi pauci præ amoris magnitudine.* JESUS Christus verò non tantùm quatuordecim, sed triginta tribus servivit annis, licèt esset totius Universi Dominus; attamen omnes isti labores, & ærumnæ pauci illi videbantur, omnésque annos illos à se confectos breves judicabat, tantùm ut non sibi, sed nobis miseris tam sublime Gratiæ Divinæ donum mereretur. Imò cùm talem gemmam minori sumptu comparare potuisset, facere noluit, ut propter superabundantem pretii solutionem pluris à nobis æstimaretur. *Quòd potuit guttâ, hoc voluit undâ*, inquit Sanctus Bernardus. Ad acquirendam illam una Sanguinis ipsius guttula sufficiebat, attamen ejusdem diluvium quoddam effundere voluit, ne, si tam parvo pretio illi constitisset; ignorantiæ nostræ daretur occasio illam contemnendi.

XIII. Si pro merenda nobis Gratia paucos aliquos Christus confecisset passus, illi soli sufficere deberent, ad illam supra omne pretium infinitè

pluris æstimandam. Magni hujus terræ Reges non committunt se itineribus, nisi ob rerum maximi momenti negotium, maximè si viæ sint difficiles, & periculosæ, aut si hostium provincias transire necesse est. Quid ergo Regi gloriæ faciendum erat? an descendens è regno cœlorum in hanc lacrymarum vallem ob rem nullius aut exigui momenti venire debuit? quis hoc sibi persuadeat? equidem non tantùm venit, sed inter millena incommoda, Majestate suâ depositâ, incognitus, abjectus, contemptus, & non tantùm habitu servi, sed etiam peccatoris indutus diu mansit, viámque suam morte horribilissimâ, turpissimáque, quàm unquam in terris visa fuerit, finivit. Si Fides non manifestaret, quem ob finem Christus tanta fecerit, posset nonnemo suspicari, DEUM ipsum aliquam proprii commodi rationem habuisse. Christus siquidem plura facere non debuisset, si salutem suam, imò ipsam Deitatem suam comparare debuisset, quàm quæ pro Gratia sua nobis obtinenda facit. Justissimam igitur habet causam, eam ore Davidis pretium
Psal. 61. 5. suum appellando: ***Pretium meum cogitaverunt repellere.*** Tantùm enim valet, quantùm valet ipse DEUS, pro ea pretium factus.

XIV. Si tempore Passionis Christi excellentia Gratiæ, vitæque Christi sublimitas invicem ponderatæ fuissent, quis dubitâsset supra bilances DEI tam justas, vitam Christi majoris fore ponderis, quàm quodcunque commodum nostrum? Homo virtuosus, inquit Aristoteles; tantò magis amat vitam suam, quantò meliorem eam cognoscit: quamobrem vobis judicandum relinquo, quantopere suam amârit Christus? Suam inquam, quæ erat vita Divina, vita, cujus unicum momentum plùs valet, quàm æterna innumerabilium creaturarum vita. Cœterùm quilibet etiam plebejus homo pluris æstimat vitam suam, quàm quamcunque cujusvis alterius boni possessionem; ideóque Mercator in navi, mari tempestate turbato, existens, ubi videt à furentibus procellis sibi instare mortem; ut vitæ naufragium evitet, omnem thesaurum suum in mare projicit. Sed cur non ita facit mercator ille tam sapiens, qui est ipsamet Patris Sapientia? quando in horto illa anxietate pressus, quam quasi impetuosi tædii, timoris & tristitiæ venti contra illum concitaverant, cur non vitæ suæ consuleret, his omnibus se abdicavit, sed potiùs ad obtinendam nobis Gratiam vitam suam perdere voluit? *Bonus negotiator Dominus JESUS*, inquit Sanctus Ambrosius, *mercem suam proprii corporis passione salvavit.* Necesse est igitur, Gratiam istam magnum quid esse, cùm pro ejus acquisitione se ipsum cum vita sua Christus tradiderit.

3. … c. …

Verum quidem est, neque ab Anima, neque à corpore Salvatoris Divinitatem esse separatam: sed etiam verum est, dissoluto hoc Divino composito, illo triduo, quo corpus Domini jacuit in sepulchro, DEUM non mansisse hominem; quamdiu corpus & anima inter

S. Th. p. q. art.

inter ſe dividebantur: hinc manifeſtum eſt, ſummum factorem deſtruxiſſe ſeipſum, ut Gratiam nobis acquireret; *Domine tantum me diligis, ut te pro me odiſſe videaris.* Quare ſi alia argumenta nobis deeſſent ad magni hujus theſauri, Gratiæ nimirum Divinæ, pretium intelligendum, & ſi Sanctorum æſtimatio illam nobis non commendaret, an non, quam Chriſtus Salvator noſter de ea habuit, ſufficere deberet exiſtimatio, ut à nobis rebus omnibus præferretur? Hic valet illud argumentum Sancti Bernardi irrefutabile. *Aut DEUS fallitur, aut Mundus errat,* cùm Chriſtus majorem Gratiæ nobis procurandæ, quàm vitæ propriæ rationem habeat; Mundus minùs curet Gratiam, quàm viliſſimum hujus terræ bonum.

Bona- ...t. in ...n. de ... a- ...r.

XVI. O pretioſa Gratia, quàm parum cognoſceris ab hominibus! *Neſcit homo pretium ejus.* Certus quidam miles, cujus nomen erat Marienus, quia ignominioſè fugerat ab exercitu, in vilitaris ſuæ pœnam Romæ quarta denarii parte venditus fuit. Verùm Gratia Divina in plurimorum Chriſtianorum cordibus ſæpius tanti non æſtimatur, à quibus pro viliori pretio abjicitur. Utinam ſaltem poſtea errorem agnoſcerent, deteſtarentúrque! Sed nihil minùs fit. Quidam dum poſitis calculis inveniret, ſe aliquid ampliùs, quàm deberet, expoſuiſſe, ita doluit hanc jacturam, ut animam, exhalârit. Date jam mihi hominem, qui Gratiam à ſe perditam inconſolabiliter deplorando, vitâ exceſſerit? Quid Gratia? quid eſt gloria? quid Anima? date nobis res & opes, inquit gens ſtolida, reliqua omnia vobis ſervate. Tanta eſt Chriſtianorum cæcitas, digna, ut filii DEI lacrymis, quibus olim inſanæ illacrymatus eſt Hieroſolymæ, defleatur. *Flevit ſuper illam dicens: ſi cognoviſſes & tu!* Luc. 19, 41.

...ell l. ...An. ...b. ...m. 10. ...ert.


XVII. Ubi eſt igitur fides noſtra, Chariſſimi, ſi fallaciam nobis non manifeſtat, quæ in hac materia à ſenſibus noſtris committitur? Tres diximus eſſe dotes, quæ intrinſecum Gratiæ pretium conſtituunt, Pulchritudinem, Opulentiam & Dignitatem. Ad pulchritudinem quod attinet, quæ mulier peccato conſentiret, ſi poſt peccatum urſâ aliquâ deformior manere deberet? Nihilominus peccato conſentiens, dum Gratiam perdit, cœleſtem amittit pulchritudinem, ipsóque Dæmone monſtroſior efficitur. *Unus ex vobis Diabolus eſt.* Quid putatis eſſe illud, quo Diabolus tantopere deformatus eſt? ſolum hoc peccatum effecit. Quando ergo unico peccato anima veſtra eſt inquinata, tanta eſt ejus turpitudo, ut ad formandum Dæmonem ſufficiat. Et vos adhuc non expaveſcitis, támque quietum & dulcem ſomnum capitis, nec internam conſiderantes turpitudinem, interim ſplendidâ ſuperbitis veſte, quâ illam foris obvelatis? Chariſſimi, aut Fidem, aut vitam muteis neceſſe eſt. Joan. 6, 70.

XVIII. Et hæc de Gratiæ pulchritudine ſufficiant. Quod ad opulentiam attinet, credidiſne id, quod fides

docet, hoc est, minimum Gratiæ gradum plùs valere, quàm omnes Mundos possibiles, ut taceam de Mundo hoc præsenti? Si non creditis, egrediemini ergo ex hoc Templo, abite, abite, Christiano nomini renuntiate, Infidelésque, quales estis, vos declarate. Si creditis, quomodo non unum illius gradum, sed longè plurimos vilissimæ alicui voluptatulæ, unico solo duranti momento, postponitis? Si vestræ essent divitiæ, quas David pro fabricâ templi reliquit, hoc est bis mille quadringentos coronatorum milliones, daretisne illos pro tali aliquâ voluptate? Quomodo igitur summam incomparabiliter majorem, qualis est Gratia pro tali voluptate profunditis?

Corn. in c. 2. Agg.

XIX. Quod ad Dignitatem: Creditísque majorem esse dignitatem, hac Gratiâ dotatum esse, quàm non dico Imperatoris totius Mundi eminere gloriâ, sed etiam Seraphini, hac in cœlo destituti, splendorem superare? Si non creditis, repeto, abite hinc, non est enim amplius pro vobis locus in Ecclesiâ, inter Turcas aut Tartaros habitationem quærite. At si creditis, quomodo igitur est possibile, ut sponte pro nihilo tam sublimi renuntietis honori; Optarem Sanctos, qui quod vos spernitis; optimè noverunt æstimare, è cœlis descendere, vestrámque deplorandam cæcitatem unanimiter deflere. Sed quia parum prodest malum deplorare, & non corrigere, potiùs Christum JESUM rogabo, qui ad eum finem, ut tam pretiosum nobis mereretur thesaurum, laboravit, sudavit, nudúsque in cruce mortuus est, ut mentes vestras illuminet, quo tandem agnoscatis, quale sit illud bonum, quod tam læti peccando perditis, perinde ac si unquam minor sit in lusu jactura, quia temerè fit, quin satis cognoscatur.



DISCURSUS IX.

Peccatum Mentem Peccatoris excæcat.

I. NEbulæ illæ, quæ subinde tantum sementi quantum tempestates ipsæ damnum inferunt, meritò agrorum pœna, & culpa simul vocari possunt. Culpa sunt, quia terra è sinu suo tam perniciosos exhalat vapores, à quibus cœlum offuscatur. Pœna sunt, quia cœlum lumine & calore suo illos repellit, & in agrorum stragem rejicit. Utroque hoc modo repræsentatur mihi, quod in peccatorum cæcitate fieri solet: Hæc tam atra & fera nebula est, ut omne veræ virtutis germen & gratiæ suffocet, & annihilet: est etenim secundùm Sancti Thomæ doctrinam, animæ peccatricis pœna simul & culpa, excæ-

ho. 1. *excæcatio & obduratio, quoad motum animi sunt peccata, & quoad subtractionem sunt pœna.* Pestiferi hi vapores exsurgunt è peccatoris corde contra gloriam DEI in offensam ejusdem; justáque vindicta à DEO contra peccatorem ipsum in pœnam repelluntur: adeoque accidit, ut qui pro summâ felicitate suâ elegit oculos claudere, non acerbiorem postmodum subeat pœnam, quàm ne amplius oculos aperiat. Verum est, hósce effectus, quò in se sunt perniciosiores, eò minùs ab hominibus sentiri; quare ut bene intelligantur, accuratiorem requirunt attentionem.

II. Ad intentionem nostram tres ignorantiæ species distingui possunt. Prima est ignorantia debilitatis, secunda est ignorantia negligentiæ, tertia est ignorantia malitiæ. Ignorantia debilitatis est illa, cujus omnes homines aut parum aut multum participes sunt, quámque miseri partim à primi parentis prævaricatione, partim à nihili tenebris, ex quo extracti sunt, hæreditate acceperunt. De prima illa ignorantiâ non loquor, quia est sine culpa, & bonis æquè communis est; atque à Theologis sæpè invincibilis vocatur, quando homini nullum est dubitandi principium, nec consequenter errorem vincendi modus occurrit, illúmque deserendi: quare si in tali statu delinquat, inquit Philosophus, non tamen dici debet, quòd *peccet per ignorantiam*, quàm quòd *peccet ignorans.*

III. Altera ignorantia est negligentiæ, quæ est culpabilis, quando nimirum homini curæ non est, in rebus illis instrui & sciri, quæ ad bene credendum aut bene vivendum spectant. De similibus ignorantibus affirmare licet, illis Mundum esse plenum: *Diminutæ sunt veritates à filiis hominum:* homines sunt, qui mediam tantùm muneris sui partem nôrunt; non enim ignorant, in intimo corde suo se ad indagandam veritatem teneri; sed eam non quærunt, saltem non efficaciter, similésque sunt hac in parte Pilato, qui postquam Christum interrogâsset, *quid est Veritas?* tergum obvertit, nec responsum exspectavit. *Multa scienda nesciuntur*, inquit Sanctus Bernardus, *aut sciendi incuriâ, aut addiscendi desidiâ, aut verecundiâ inquirendi.* Nonnemo sanctæ fidei nostræ mysteria puer non didicit; jam adultum pudet iis animum applicare. Alius valde dubitat, an non plurima sibi à Patre relicta sint malè parta, nihilominus, ad quid teneatur, non inquirit; ne responsum ferat, quod ipsi non arrideret. Alius quidam Confessarium consulit minùs expertum, & idoneum ad dandum consilium; nihilominus curæ ipsi non est, Doctum consulere Theologum, quemadmodum toties, quoties alia de causa civitatem frequentat, consulere posset. Omnes isti & plures alii hísce similes in judicio Divino excusationem non habebunt; ideóque terribilem Apostoli sententiam veram fuisse videbunt: *Si quis ignorat, ignorabitur.* Quasi vellet dicere, quicunque negliget obligationem suam intelligere, eámque igno-

Marginalia (left): S. Tho. 1. 2. q. 79. ar. 3. in 2. 2. q. 15. ar. 1. — S. Tho. 1. 2. q. 74. ad. 3. & q. 76. ar. 3. — 3. Eth. c. 1.

Marginalia (right): S. Tho. 1. 2. q. 75. ar. 3. & 4. & q. 6. ar. 8. Ps. 11. 2. — Epist. 77. — S. Bern. Ibidem. — 1. Cor. 14. 38.

ignorabit, non solùm à Christo inter Fideles suos non numerabitur, sed ita ignorabitur, ut in pœna à rebellibus ipsius non sit distinguendus. Perpendite, an nimium quid dicam. Primum homicidium, sicut noverunt omnes, olim in terris in personâ fratris sui Abelis commisit Cainus; secundum à Lamecho occiso Caino commissum fuit. Lamech enim, ut dicit Sanctus Hieronymus, quem plures sequuntur Doctores, cùm à juventute venationi esset assuetus, jámque senex cæcutiret, nihilominus à solitâ venandi recreatione abstinere non poterat; sed manu pueri in sylvas ducebatur, cujus directione sagittas suas ejaculabatur. Accidit igitur die quodam, ut puer advertens in dumeto aliquid moveri, putans feram esse, Dominum suum monuerit, sagittandi tempus esse. Ille ergo nihil moratus, arcu remisso pro bestiâ sylvaticâ Cainum inter illa latitantem virgulta infeliciter occidit. Fuit igitur hoc homicidium in effectu suo involuntarium, nihilominus autem voluntarium fuit in causâ, & quia tale fuit, impunè relinqui non poterat. Imò propterea Lamechus tantum, quantum Cainus, imò quodammodo plùs punitus fuit. *Septuplum ultio dabitur de Cain: de Lamech verò septuagesies septies.* Et ratio fuit, quia cùm Lamech esset cæcus, non ampliùs venatione se delectare debuisset; aut si venatum ire voluisset, non ignari juvenis directioni fidere debuisset, ubi homicidii committendi periculum esse poterat. En hunc

Gen. 4.

V. Com. in c. 4. Gen n. 23. & 24.

Gen. 4. 24.

plurimorum casum; qui cùm alios regendi talento non polleant, nihilominus Ecclesiastica quærunt beneficia, & cùm assecuti fuerint, careántque scientiâ ad Christianè vivendum necessariâ, aut eâ imbui negligunt, aut alterius se regi permittunt consilio, licèt hic ad bene suadendum omnino sit inhabilis. Errores, qui non in morte corporali, sed quod ampliùs est, in spirituali animæ interitu committuntur, non solùm propter ignorantiam non excusabuntur, sed etiam quasi delicta expressæ malitiæ punientur. In quo casu lex Divina in tribunali suo non dissentit à lege humana, dum de Medicis loquitur: *Imperitia quoque culpæ annumeratur.* Ingens culpa est nescire, suo fungi officio, quod quis suscepit. Sed de hac negligentiæ ignorantiâ satis dictum sit. Transeamus ad tertiam, Malitiæ nimirum, de hac enim fusiùs discurram. Primò ostendam, quemadmodum illa sit culpa, deinde quomodo etiam sit pœna. *Excæcavit illos malitia eorum.*

Inst. leg. Aq. prat. rea.

Sap. 2

I.

IV. Maximè deploranda, imò magìs detestanda Christianorum infelicitas est, quòd de pluribus verificari possit id, quod Christus Pharisæis prædixit, videntes excæcandos esse. *Qui vident, cæci fiant.* Mirum non est, eum non videre, qui oculis caret: sed mirum est, hominem apertis oculis non videre, & videntem non videre. *Qui vident, cæci fiant.* Attamen talis sunt inter Christianos cuncti peccatores, videntes cæci sunt. Si ita vi-

Joan. 3.

ſu privati nati fuiſſent, quemadmodum
14. Infideles, id me non affligeret, dicerémque cum Chriſto : *Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum.* Sed lumine fidei videre, & nihilominus propter extremam malitiam non videre, hoc
2. eſt, propè dixerim, funeſta ad ſe ipſum
15. damnandum patrare miracula. *Nunc verò dicitis: quia videmus, peccatum veſtrum manet.* Mentem meam meliùs explicabo, demonſtraturus, quomodo peccator culpabiliter ad hanc malitiæ cæcitatem concurrat; quod fit duobus modis, in conſideratione ſcilicet, & Paſſione.

V. Primò quidem peccator videt, ſed non conſiderat. Vocate illorum aliquem, qui domi ſuæ à tot annis rem, aut fœminam non ſuam detinet, illúmque interrogate : Noſtíne ad ſalutem conſequendam ſatis non eſſe, ut Chriſtianum credere, ſi tanquam infidelis vivas? Scíſne omnes Sanctos pro illa aſſequenda maximos labores & dolores toleráſſe? an ignoras, ſi tali in ſtatu à morte deprehendereris, te mox damnandum, ita ut, quamdiu DEUS erit beatus, tu in omnium malorum abyſſo futurus ſis ſemper miſerrimus? Scit omnino, fatetur & credit; *Dicit, quia video*, nec meminiſſe deſinit. Sed quid prodeſt? videt, at non advertit. Continget aliquando vobis, intentos ſolo affigere oculos; quia tamen toti cogitabundi hæretis, illa ipſa, quæ videtis, à vobis minimè obſervari. Idem fit in caſu noſtro. Plurimi Chriſtia-
18. ni, *videntes non vident*, oculis apertis cæcutiunt, lumine enim Fidei vident res futuras, & tamen non vident; ita rebus præſentibus inhærent animis. Archimedi ſimiles ſunt, qui licet militem Romanum armatum, ictum ad ſe occidendum vibrare cerneret, dici poteſt non vidiſſe, tantopere demonſtrationibus ſuis in arenâ deſignandis intentus erat. *Oculos ſuos ſtatuerunt* Pſal 16.
declinare in terram. Peccatores ſem- 11.
per de terrâ cogitant, ſuiſque affectibus, lucris terrenis, voluptatibúſque immerſi ſunt: quæ cauſa eſt, ut de anima non cogitent, quaſi illam non haberent; credunt quaſi non crederent, omnéque ſtudium quaſi miſeræ araneæ ſex oculis in captanda muſca ponunt, nec quidem unum pro ſalute ſuâ impendunt. Unde culpabilis illorum ignorantia indies magis augetur. Quandoquidem, quò minorem habent animæ curam, eò magis creſcit ſtudium & applicatio ad negotia ſæcularia, adeóque tenebræ indies fiunt denſiores. Accidit aliquando, ut quidam uno amiſſo oculo, duplicatam quaſi videndi vim altero illæſo acceperit; concurrentibus enim ad hunc omnibus ſpiritibus, qui priùs in duas ſe dividebant pupillas, virtus in una ſola multò acutior facta eſt. Idem dicam, hujuſmodi hominibus evenire: tantam negotiorum ſuorum ſæcularium habent curam, ut illius, quod omnia alia præcedere deberet, quod eſt ſalvare animam prorſus oblivisſcantur. *Oculi ſtultorum in finibus terræ.* Prov. 17.
Oculos ad res à providentia ſua remo- 24.
tiſſimas intendunt, dum interim ſe ipſos negligunt.

VI. Et

VI. Et ecce hæc est universalis Christianorum occupatio: Unicè soliciti sunt de rebus, quarum nihil interest; illius autem unici, cujus ipsorum maximè refert, ne quidem recordantur. Gens simul tam cæca,
Isa. 43. 8. & simul tam plena oculis. *Populum cæcum & oculos habentem.* Omne enim lumen, quod velut sapiens deberet habere in capite, quasi stulta habet in pedibus; suáque capacitate, ingenio, & talentis utitur, ut in dies pejor
Jer. 4. 22. efficiatur. *Sapientes sunt, ut faciant mala: bene autem facere nesciêrunt.* Vultures oculos æquè perspicaces habent ac aquilæ, etiam aquilis pares æquè altum volant, & per aëreos dominantur campos. Sed quid postea? Illi cùm puriorem solis lucem sicut aquilæ aspicere deberent, semper oculos in terram defixos tenent, eminus attendentes, si se fortè putrida ad explendam famem præda afferat. *Oculi stultorum in finibus terræ.* Ecce in quo naturalis ingenii applicetur subtilitas, quâ subinde homo à DEO
Psal. 48. 13. dotatur. *Homo cùm in honore esset, non intellexit.* Miser omnes conatus & labores desideriáque sua turpissimè in infamibus lucris & voluptatibus capiendis collocat, cùm ea ad DEUM & cœlum lucrandum dirigenda essent. An fortè ideo expeditam tibi linguam DEUS dedit, ut eâ tantùm de rebus obscænis loquendo utereris? an fortè ideo subtile & acutum tibi largitus est ingenium, ut novas continuò invenires artes, quibus innocentes Virgines ad lapsum impelleres? an ideò diebus festivis vos ex-
spectat Ecclesia; aut an ideò à principio in Sancto Baptismo vos fe- 1.
cit *filios lucis & filios diei?* Sicut om- 5.
nes Christi fideles Apostolus nominat. *Filios lucis* propter fidem, *filios diei* propter morum honestatem, quæ à fide, sicut dies à luce derivari debet. Attamen omne lumen ad rebellandum lumini à vobis impenditur. *Ipsi fuerunt rebelles lumini.* Non solùm lumini à DEO vobis dato refractarios vos exhibetis, sed etiam rebelles; non solùm enim vos tali lumini non conformatis, sed eodem ipso ad inveniendos novos ejus dictamina liberiùs violandi, aut pervertendi modos utimini.

VII. Ab hoc eodem principio deinde tam contrariæ timoris & spei nascuntur diversitates, ut illi ipsi, qui spes suas temporales firmo student alligare funi, deinde spem animarum suarum putrido filo committere satis habeant. Admonete, si lubet horum aliquem, ut liberaliorem se exhibeat erga pauperes, ut & ipse aliquando uberiorem sentiat DEI erga se misericordiam: statim respondebit, se non posse; contingere enim posse, ut sibi plures nutriendi nascantur filii, pluresque in matrimonium elocandæ sint filiæ, denique fieri posse, ut in ultimâ senectute sua habituali aliquâ affligatur infirmitate, aut aliâ prematur necessitate, si tunc è propriis non sepoluerit aliquid, quàm misero loco futuræ essent res suæ? Mutate jam scenam, & dicite huic, ut saluti suæ Confessione generali ritè factâ, deinde muta-

tione

tione vitæ conſulat, reſpondebit, quod ad Confeſſionem attinet, ſe non meminiſſe, unquam ſtudio peccatum aliquod à ſe in Confeſſione omiſſum; & quod vitam concernit, licèt malè vivat, non tamen adeò perversè ſe vivere, ut ſalutem æternam à DEO ſe conſecuturum non ſperet. Verùm adhuc ſemel vos interrogo, quare non confiditis, DEUM Filiorum veſtrorum curam habiturum, filiabus veſtris, veſtrisque corporalibus neceſſitatibus proviſurum, cùm tam facilè ſperetis, omnia, quæ ad animæ ſalutem conſequendam pertinent, vos à DEO impetraturos, & quidem tales, quales vos eſtis? Quid faciliùs eſt DEO, panem vobis dare, an Cœlum? ad dandum vobis, & cunctis mortalibus panem, imò etiam ad dandum cunctis viventibus, ſatis eſt, ut il-
om. le manum aperiat. *Aperit manum ſu-*
r. *am, & implet omne animal benedictione.*
4. Sed ut Cœlum vobis det, cùm ſemper longiùs ab illo recedatis, neceſſe eſt, ut DEUS in ordine Gratiæ miraculum faciat, totam triumphatricis Omnipotentiæ vim adhibendo. *Fecit potentiam in brachio ſuo.* Hoc eſt omnium Sanctorum ſententia, qui docent, Juſtificationem peccatoris omnium operum à DEO factorum maximum eſſe. Quomodo igitur tam facilè putatis eſſe illud, quod tanti DEO conſtat, & tam difficilè, quo nihilo illi conſtat; imò quod additurum ſe pro-
12. miſit: *Et hæc omnia adjicientur vobis?* Non poteſt alia hujus diverſitatis dari cauſa, quàm propriæ peccatoris tenebræ, qui inſtar cæcorum illorum Phariſæorum, de quibus olim loquebatur Chriſtus, ſine difficultate camelum deglutit, deinde verò muſcam timet in ſtomachum trajicere. *Cæci ſunt, ca-* Matth.
melum deglutientes, & culicem excolan- 23. 24.
tes. Bolum tam grandem, qualis eſt magnum illud dubium, aut æternùm pereundi, aut æternùm ſalutem conſequendi, devorant, & ne quidem maſticant; at viliſſimas minutias, velut aliquot obolorum lucrum examinant, perpendunt & trutinant, imò guttatim percolant timentes, ne hauriendo ſuffocentur: & hoc ideò, quia prorſus cæci ſunt. *Cæci ſunt, camelum glutientes, & culicem excolantes.*

VIII. Ecce manifeſtè patet, quantopere inconſideratio peccatores excæcet. Altera nunc culpabilis hujus cæcitatis cauſa eſt Paſſio. Paſſiones in mentibus & cordibus noſtris eundem præſtant effectum, quem cryſtallus, per quam lux tranſit, aliquando præbet oculis. Primò illam refringit, deinde ſuo modo variis afficit coloribus. Conſiderate lucernam, quam poſt vitrum viride accenſam manu tenetis; non jam ampliùs recto ſeſe radio lux illius oculis veſtris infundet, ſicut priùs, ſed inflexo: præterea nec proprio ſuo coruſcabit in candore, ſed colore obſcuriore, velut veſte aliena perſonatus ſublucebit. Eodem modo ſi in nobis vehemens aliqua prædominetur Paſſio, amoris aut odii, timoris aut temeritatis, mutatur facies veritatis, nec directè eam intueri licet, mutátque apparentiam, dum etiam perverſis affectuum noſtrorum qualitatibus veſtitur: & inde eſt, quòd depravatus iſte veritatis intuitus tam

ægrè à nobis emendetur, qui tam facilè oculorum errores corrigimus; cùm isti sint facultates mente inferiores; non autem mentis, quia hæc potentia est omnium suprema. Eodem prorsus modo sicut sententia injusta à Judice ordinario lata facilè à supremo Magistratu corrigitur, sed quæ à supremo fertur Judice, neminem habet, à quo emendetur.

IX. Atque ex his in promptu causa est, cur peccatores ita stupidè agant, ut planè omnibus pariant admirationem. Recolite hanc in rem memoriâ vestrâ Samsonem à Dalila meretrice proditum. An non fidem quasi hominum superat, virum aliàs tam prudentem, toties jam à muliere illa deceptum potuisse induci, ut non tam impuro, quàm infideli huic scorto adhuc fideret? Attamen inductus fuit, ut amore illius fœminæ excæcatus non videret, quæ videbat; qui non sinebat illum advertere ad ea rationum momenta, quibus ad saniora capienda consilia inductus fuisset, sed omnia illa proponebat, quibus adhuc magis poterat dementari. Charissimi, DEUS effrenatam à vobis avertat passionem; licèt enim apertum videretis Infernum, non terreremini, imò adhuc diceretis, quemadmodum non unum, sed plures sic loquentes audivi? *Si ad Infernum præceps agendus sim, patientia, non ero solus.* O quàm diversum est judicium, quod de eadem fertur veritate à corde libero, & à corde passionibus subdito! Vulpes marina nunquam cibum integrum devorat, sed paulatim comedit, ideóque ubi hamum in esca absconditum advertit, illum devitat; alii verò pisces aviditate sua naturali inconsideratè ad ea, quæ ipsis placent, devoranda abrepti, facilè capiuntur. Idem evenit illis, qui passione aliqua capti, iniquitatem non masticant, sed devorant, nec ad aliud animum advertunt, quàm quòd delectandæ concupiscentiæ satisfacere possit. *Os impiorum devorat iniquitatem.* Pr. 19
Ubi econtra, qui mentem tenet liberam, consideratéque procedit, facilè vera mala in bonis fictis abscondita agnoscit, evitátque.

X. Quamobrem, quando in vobis vehementem aliquam passionem advertitis, nunquam vobis imaginemini, res esse tales, quales ab ipsa vobis depinguntur. Et hoc consilium multùm vobis proderit, ne decipiamini. S. 2. ar
Sed hoc præsertim in passionibus lascivis observandum est, quæ plùs quàm aliæ mentem excæcant, rationémque perturbant. Magnes magnam vim suam variis perdit modis; sed nunquam magis eâ privatur, quàm cùm à multis carbonibus ignitis accenditur; tunc enim quasi cadaver efficitur, nec ampliùs tanti, quanti alius quispiam vilis lapis æstimatur. Eodem modo licèt Ratio quovis alio vitio multùm deperdat, nullo tamen alio, quàm lasciviâ perinde excæcatur. Ira quidem & Invidia valde hominem à bono avertunt, rationémque perturbant, Lascivia verò totam extinguit. *Ira & invidia causant inconstantiam, pertrahendo rationem ad aliud,* inquit S. Thomas, *sed luxuria totaliter extinguendo judicium rationis.* S. 2. ar 1.

Adeó-

Adeòque licet irati & invidiosi dum rationem audiunt, eam non sequantur, Lascivi ne quidem illam auscultant. *Incontinens concupiscentia, totaliter rationem non audit.* Isti sunt desolatorii carbones, qui efficiunt, ut homo in judicio ferendo ab ipsis bestiis superetur, ideòque in eligendo minori polleat prudentiâ. Nescio, quâ ratione magis sensibili magnam hanc veritatem oculis vestris proponere possem, quàm si casum, qui diebus nostris, licèt in regione remota, contigit, recensuero. In illa Angliæ Provinciâ, quæ Lancastria nominatur, Juvenis vivebat, qui inter Catholicos à Patre optimo educatus, illi tamen moribus tam dissimilis erat, quàm lutosus fluvius clarissimo, à quo profluit, fonti. Inter alia vitia totum se dederat lasciviæ, à qua sensim sine sensu tantopere abripiebatur, ut cùm turpitudines suas pudore tegere deberet, iisdem etiam gloriaretur; imò peccato suo scandalum adderet, publicè fæminam inhonestam domi suæ alendo. Tentârunt tam parentes & amici, quàm Confessarii hunc adolescentem ad saniorem reducere mentem: sed semper oleum operámque perdidêre, quia illum corrigere idem erat ac picem mundare, quæ quo magis manibus teritur, eò magis nigrescit. Omnes ridebat admonitiones; quoad animam, respondebat, de ea alii sibi curam relinquerent. Interea, DEUS, à quo nondum omnimodè infelix hic derelictus erat, licentiam dedit Patri ipsius vitâ defuncto ex altero Mundo comparendi, & perversum hunc Filium suum corrigendi. Apparens igitur Pater dormienti, tam suavibus eum admonuit verbis, tantáque & humanarum & Divinarum rationum emphasi, quæ flectere debuissent etiam cor durissimum; quibus tamen miseri hujus durities minimè fuit expugnata; quin manè evigilans, secum statuit somniis fidem adhibendam non esse: quare cùm data sibi à Patre correctione resipiscere debuisset, ex eadem novam ridendi hausit materiam, eam amicis suis joci causâ narrando. Cùm igitur fœminam illam domo non ejiceret, ut petebatur, adest denuo Pater, filióque, sed modo à priori multùm diversô apparet, vultu ad iram & severitatem composito; exprobrans illi acerrimè pessimam vitam ad hoc usque tempus actam, nec non obstinationem exaggerans, quam hucusque ostenderat post insignem adeò Misericordiam à DEO ipsi exhibitam, ita ut etiam ex altero Mundo se admonitorem miserit; denique reprehensionem ita finivit: Hæc ultima est admonitio tibi à DEO facta terminúsque peremptorius. Aut vitam mutato, aut die S. Martino dicatâ vitam & animam simul perdes, mortem obiturus improvisam, quæ nullum admittet remedium. An non modus loquendi tam pateticus sufficiens vobis videtur ad persuadendam visionis veritatem, ut non instar somnii despiciatur? Verùm miser Adolescens adeò à sensuali passione sua excæcatus fuit, ut etiam hac secundâ vice omnia vanam fabulam phantasiæ à somnio ludificatæ æstimaret. Quia

tamen conſcientia contra invitum intus oblatrabat, vocémque veritatis etiam lucem aſpicere nolenti inſuſurrabat, conſtituit ſequentem S. Martino Feſtivum diem ſolemni convivio, invitatíſque ad id amicis, omni lætitiæ genere transfigere; & verò eam tantâ cum hilaritate & felicitate transegit, ut nocte imminente præ gaudio exiliret, maximè verò ob prudentiam, quam ſibi oſtendiſſe videbatur, tam infauſtis & importunis ſomniis, ut inquiebat, fidem non adhibendo. Sed mentem ad horrendum errorem advertite; Neſciebat miſer diem S. Martini Epiſcopi & Confeſſoris Feſtum ſequentem, duodecimum ſcilicet Novembris, S. Martino Papæ & Martyri dedicatum eſſe, ideóque infelix tanquam beſtia ad macellum ducta exultabat, nec imminens ſibi malum advertebat. Et ecce ſub meridiem duodecimi dicti Novembris, dum ſecurè effrenatis ſuis indulget cupiditatibus, improvisò, neſcio quo malo, obrutus, inter meretricis ſuæ, ſive, ut meliùs dicam, dilectæ furiæ ſuæ amplexus, animam exhalat. O deplorandam Amantis cæcitatem, qui malitiâ ſuâ voluntariè omni & rationis & fidei lumine ſe privat! Non videtur eſſe poſſibile, ut homo ad tam miſerum ſtatum deduci poſſit: quot nihilominus & quàm multi peccatores eò deducuntur, qui hujusmodi vitiis inveterati, videre nolunt, quæ vident, quin omnibus cæcis ſtolidiores, etiam ea, quæ manibus pal-
Job. 55. pant, non credunt. *Per diem incur-*
14. *runt tenebras.* Quod ſi ita res ſe habeat, videte igitur, an non peccatoris ignorantia magni criminis rea ſit; cùm tam propter inconſiderantiam, quàm propter paſſionem adeò ſit voluntaria. *Excæcavit illos malitia eorum.* Adeò culpabilis eſt, ut non ſolùm errores, quos tali ignorantiâ committit, non diminuat, ſed etiam aggravet, tanquam illa, quæ magis perverſum ad peccatum affectum denotat. *Ignorantia affectata non excu-* S. Th.
ſat à culpa, ſed magìs videtur culpam ag- p. q.
gravare: oſtendit enim hominem ſic ve- ar. 5
hementer affectum ad peccandum, quod 3.
vult ignorantiam incurrere, ne peccatum vitet. Et hæc eſt cauſa, ob quam Sacerdotes & Scribæ in Chriſti Crucifixione non ſolùm homicidii, ſed Deicidii Rei fuerint, ut notat S. Thomas: Ibid.
quia licèt non planè cognoverint Chri- ar. 6
ſtum eſſe DEUM, (*ſi enim cognoviſſent,*
nunquam Dominum Gloriæ crucifixiſ- 1. Cor.
ſent.) nihilominus veritatem tantis 8.
jam ſignis manifeſtatam non cognoſcere, tota erat invidiæ culpa, quæ in illis prædominabatur, ita, ut non ſolùm oculos ad ſolem tam illuſtrem clauderent, ſed etiam illum calumniarentur, quaſi tanta Sanctitatis, Sapientiæ & Miraculorum lux potiùs à tenebrarum Principe, quàm à DEO proveniret.
In Beelzebub, Principe Dæmoniorum, Luc.
ejicit Dæmonia. 11

XI. Sed culpabili huic excæcationi alia pœnalis accedit. Ideò dicit Chriſtus, cæci fiant, non dicit, quòd ſe ipſos excæcaturi ſint. *Qui vident cæci fiant.* Ut ſignificet, non ab ipſis ſolis tenebris provenire, ſed ad hoc Divinam Juſtitiam concurrere. Quia quemadmodum non ſola terra den-

densitate suâ noctem efficit, sed ad eam quoque sol concurrit, dum occidendo sub horizonte nostro ab eadem terra longè discedit; sic non sola cordis humana malitia lachrymabilem illam ignorantiæ noctem efficit in
9. peccatore, verùm etiam DEUS ad eandem cooperatur; quia cum Gratia sua illuminatrice à peccatore discedit. *Væ eis, cùm recessero ab eis.* Hæc DEI ab Anima discessio; ut non ampliùs in peccatorum pœnam illam illuminet, sicut in principio illuminabat, horrendis in Scriptura minis nobis proponi-
r. tur. *Percutiet te Dominus amentia & cæcitate, & furore mentis, ut palpes in meridie, sicut palpare solet cæcus in tenebris.* Qui fide & inspirationibus ab ea productis diu abusus fuerit, tam palpabili à DEO cæcitate punietur, ut potiùs quidam phreneticæ mentis furor dici debeat; cùm in meridie fidei minùs cognoscat, quàm Infideles in tenebris suis intelligant. Jam verò, ut terribilium horum verborum vim bene intelligatis, meminisse necesse erit, Charissimi, duarum magnarum veritatum, quas pridem vobis insinuavi. Una est, quòd primum vulnus à peccato originali Animæ inflictum, fuerit ignorantia: unde sequitur, quòd Gratia Divina, quæ malo peccati mederi debet, necessariò eam adjuvet, claro lumini id exponendo, quod in tenebris non apparet. *Ut*
9. 1. *appareat, quod latebat.* Altera est,
48. quòd omne peccatum actuale secun-
1. dùm proportionem in Anima perturbationem producit, quæ à peccato originali primâ vice in tota natura humana ab eodem prodita, inducta est. Unde sequitur, quò plura accumulantur peccata, tantò magis ignorantiam peccatoris à culpa augeri. His igitur præmissis, jam considerate, in quo tam magna cæcitatis mentalis pœna consistat. Ex una parte peccata addens peccatis peccator seipsum excæcat; ex altera parte in pœnam tot scelerum DEUS semper magis Gratiæ lucem diminuit; quare in medio Fidei lumine Anima fit tam cæca, quàm miserè Infideles de media nocte cæcutiunt. *Ut palpes in meridie, sicut palpare solet cæcus in tenebris.* Quod est supplicium, simul justissimum & severissimum.

XII. Justissimum dico, quid enim rationabiliùs est, quàm bonas illi negare inspirationes, qui iisdem pro salute sua non utitur? imaginemini vobis. Matrem quamdam longo jam tempore, quovis manè ad Filium suum excitandum cubiculum conscendere, imò lumen etiam accedere, ut maturè surgens labori suo vacare possit. Si Filius semper pigrior lectum nolit deserere, Mater pertæsa, nec ampliùs illum excitat, nec lucernam accendit, ne toties operam cum oleo perdat. Hoc ipsum nobiscum facit DEUS. Postquam hunc, & illam, longo tempore peccato sopitos toties vocavit, & postquam toties illis Divinarum illustrationum suarum lumen accendit; sed in vanum; non ampliùs vocat, sicut priùs; multò minùs illuminat, sicut priùs, ne superabundantis Gratiæ suæ auxilia contemptui exponat. *Prævaricatorem legis dignè lux deserit Veritatis,* De Nat. & Grat. c. 22.

tis, ita hoc confirmat S. Augustinus, *quâ desertus utique fit cæcus.*

XIII. Sed non minore cum fundamento adjunxi supplicium esse severissimum. Quod si enim tota salus nostra in his Divinæ gratiæ auxiliis consistat, quid cor illud sperare potest, cui eadem tam languidè à DEO communicantur, ùt dicebam? Geographi observant, regiones polo nostro arctico vicinas, licèt ob distantiam etiam frigidæ sint, non tamen adeò frigidas esse, ac sunt illæ, quæ sub polo opposito sive antarctico sitæ sunt. Ratio autem est hæc, quia multò plures stellæ in polo nostro coruscant, quàm in polo nobis opposito; atque istæ quodammodo solis supplent distantiam. Eodem modo, quando DEUS ab anima peccatrice longè dissitus est, maxima illius felicitas est, quòd Divinis illustretur inspirationibus; quæ beneficarum instar stellarum vitali suo influxu, salutaríque lumine ipsam confortent, & illuminent, ut in horrenda illa hyeme salutem suam operari queat. E contrario maxima Peccatricis animæ infelicitas est, talibus carere stellis, sine quibus tota languet, difficultérque in perpetuo illo mortis frigore quidquam boni potest agere. Et, si hoc verum est, DEUS quoque ad infaustam peccatorum cæcitatem concurrit. *Percutiet te Dominus cæcitate.* Non concurrit positivè tenebras ignorantiæ inducendo, sed negativè inducendo concurrit, id est, viva sua lumina retinendo. *Spargens pœnales cæcitates super illicitas cupiditates.* Ut loquitur S. Augustinus,

S. Th. 1. 2. q. 79 ar 3.
Lib. 1. Conf. c. 10.

XIV. Sed adhuc aliis ad peccatores excæcandos DEUS utitur modis, ut videntes non videant: dum scilicet eos in occasionibus, quas tollere posset, à dæmone excæcari permittit. Explico me. Jam ab aliquot annis illa puella inhonestæ adhæret conversationi. Facilè posset eam DEUS tam infami liberare commercio, efficerétque, ut ad prudentis & experti Confessarii accideret pedes, qui eam officii proximæ occasionis fugiendæ admoneret, & antequam absolutionem impertiatur, ad eandem dimittendam cogeret: Nihilominus DEUS non facit, ut talem adeat Confessarium, sed permittit, ut cæco cuidam peccato sua confiteatur, qui eam perperam absolvat, séque, & illam pari damno in inferni barathrum præcipitet. *Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* Et hoc vocatur Cæcitas Occasionis, quæ provenit à Divina Justitia; cùm scilicet DEUS, ut dictum est, tales permittit occasionem in pœnam præteritorum criminum, nec illam impedit.

Mat 15. 1

XV. Denique alius modus, quò magis indirectè à DEO peccatores excæcantur, est permittere, ut dæmon illos excæcet; conservando in illis & augendo has tenebras, aut exteriùs impediendo, ne Conciones audiant, & ne libros pios legant; aut interiùs illorum pervertendo phantasiam, variásque amoris, iræ, invidiæ & cupiditatis Passiones in appetitu inflammando, quæ sicut dixi, tot sunt nubes ad rationem obscurandam, noctemque inducendam, in qua ne quidem

.57. dem vesperascere deberet. *Superceci-dit ignis, & non viderunt solem.* Qualem solem? quærit S. Augustinus, non illum, quem etiam nobiscum muscæ intuentur, sed internum illum, cujus hic sol externus est imago, sed adhuc satis fusca.

XVI. Quid nunc sentitis Charissimi; An non terret vos peccatum, si consideretis paulatim vos ad tam deplorandum cæcorum posse deduci statum, dum vos ipsos peccatis vestris excæcatis, & in pœnam adhuc magis excæcamini; quo non potest majus ab irata DEI Justitia infligi supplicium! Attendite bene, quod si illa peccati & pœnæ nox ingrueret Animæ vestræ, duplici involveremini miseriæ, in quam olim, ob notissimas cunctis tenebras, Ægyptus incidit. Prima erat, quòd se è loco, in quo erant, movere
d. non potuerint. *Nemo movit se è loco, in quo erat.* Altera fuit, quòd hæc pœna immediatè primogenitorum internecionem præcesserit; imò ultimum tam infelicis Regni exterminium. Vos etiam ab eo, in quo nunc estis, loco non movebimini. Pergetis negotiando illicitis inhiare lucris; pergetis injustam hanc retinere possessionem, nec restituetis; pergetis infami huic adhærere commercio, nec domo ejicietis; & tanquam accipiter, qui tectis oculis, pedibus perticæ alligatis, non se defendit, non rumpit laqueos, & ne quidem alas ad liberandum se movet, ita & vos ne quidem bonam cogitationem ad mutandam vitam in corde vestro admissuri estis.
5. 4. *Non dabunt cogitationes suas, ut revertantur ad DEUM suum.* O fatalem soporem! O funestum Lethargum! *Nemo movit se de loco, in quo erat.* Et huic in remediis applicandis pigritiæ succedet deinde mors primogeniti vestri, id est animæ vestræ, ita, ut paulò pòst istæ ignorantiæ tenebræ in illas profundas abyssi tenebras convertantur, in quibus, *ligatis manibus & pedibus* in societate illorum vivi jacebitis sepulti, supra quos hoc ferale scriptum videtur Epitaphium: *Hi sunt, quibus* Jud. v.
procella tenebrarum servata est in æter- 13.
num. Tunc cum infelice isto Epulone oculos ex obscuro carcere vestro elevantes id visuri estis, quod viventes nunquam videre voluistis; semper cœlestis recordabimini Paradisi, quem nunc omninò oblivioni traditis; tunc semper ante oculos vobis ponetis illa bona, quæ nunc post tergum projicitis. *Non videant*, inquit Isaias, *vi-* Isa. 26.
deant, & confundantur. Ecce cæci- 11.
tatem culpæ & pœnæ, peccatorum in terris viventium. *Videant & confundantur.* Ecce cognitionem & confusionem sui ipsorum, postmodum per totam æternitatem in inferni barathro sepeliendorum! Charissimi, jam consulamus saluti nostræ, Deúmque rogemus, ut nos illuminet, primámque horrendarum istarum tenebrarum originem, id est, malam vitam, à nobis auferat. Quâ remotâ sperare poterimus nos, pulchrâ illâ filiorum DEI luce fruituros esse perpetuò; Nemini enim unquam ab illo hæ tenebræ infliguntur in pœnam, nisi priùs à culpa fuerit provocatus ad eas permittendas.

DISCUR-



DISCURSUS X.

De Duritia, quâ Peccatum cor indurat.

I. MInimum Eclipsium solis malum sunt tenebræ; majus absque omni comparatione malum est illa naturæ, quam patitur, refrigeratio; quæ cum tenebris non desinit, sed multo pòst tempore tristes suos producit effectus. Peccatum DEUM inter & nos positum funestissimam efficit Eclipsin, quemadmodum nuper vidimus; sed minùs malum est, quod inde provenit, illa mentis cæcitas è culpæ tenebris enata; maximum & incomparabile damnum est, ab eclipsi tali illatum, adeò refrigerari voluntatem, in eámque frigus omnino mortale induci, indurarique. Et hoc est, quod hodie expendemus, attentè consideraturi tam detestabilis Cordis nostri Duritiei principia, progressus & finem, quæ omnium maximè in veritate deplorandus effectus dici potest, qui à peccato in peccatoris animâ relinquatur.

I.

II. Et principium quod attinet, illud est exiguum, & de eo dici potest, quod Astronomi asserunt de Eclipsibus, hoc est, principia illarum vix esse sensibilia. Aliquando principium sumitur ab unico aspectu, quemadmodum contigit David, qui in peccato suo multis perduravit mensibus; ita etiam, ut ne quidem remorsum senserit, adeò conscientia jam callum induxerat: attamen hujus insensibilitatis principium unde ortum est? A liberiore quodam & casuali aspectu. Charissimi, jurę merito omnes actiones vestras formidare oporteret, nec minimum earum defectum despicere, quasi levem; ab hac ipsa enim culpa, quam vos levem nominatis, quasi à serpente parùm venenato, postea nasci potest Basiliscus. *De radice colubri, egredietur regulus.* *Isa.* 14. 29.

III. Nescio, an unquam conspectui vestro oblati fuerint ii lapides, quos aliquando fulmina in terras excussserunt. Hi naturæ sunt tam duræ, ut sine ullo profectu in illis poliendis optima atterantur scalpra. At quid fuerunt in principio? Tenuissimæ fuerunt exhalationes, quæ à levissimo vento dissipari poterant. Hæ exhalationes in altum sublatæ, densiorique associatæ vapore, crassam inter nubem constringi se permisêre; denique justo diutiùs in eâ permanentes, in lapidem induruerunt. Grande est hoc naturæ miraculum, sed quod nimis sæpè renovatur à peccatoribus. Quidam illorum adeò in malo obdurati sunt, ut diceretis super-

bos

hos infelices illam cadere maledictio-
i. nem : *Fiant immobiles quasi lapis.* Non
16. emolliuntur beneficiis, non futurarum pœnarum cedunt minis, non præsentium flagellorum franguntur verberibus; at unde quæso hæc durities? Si quis originem indagare posset, inveniret, esse aspectum aliquem inconsideratum; invitationem & visitationem aliquatenus immodestam. Et parva hæc exhalatio postea fuit illa fodina, in qua tam durus lapis generatus fuit; lapis qui quasi sagitta à fulminis arcu tanto cum terrore, tantáque sæpè cum strage in terras evibratur! Ita est, paulatim peccata addendo peccatis miserabilis illa Anima eò deducta est, ut eâdem quasi armis utatur Diabolus ad alios plures vulnerandos. Eò deducta est, ut si publicum patriæ scandalum, dedecus familiæ, miseræque domus suæ ruina. Eò deducta est, ut ad illam convertendam opus sit Miraculo, cùm cor ejus jam in saxum indurue-
41. rit. *Cor ejus indurabitur tanquam lapis.* Quare omnes ictus & verbera, quæ ad illam emolliendam, aut à Concionatoribus, aut à Parochis, aut ab amicis, aut ab ipso DEO ad corrigendam illam accurrente infliguntur, adhuc magis eandem pervertunt, cùm proterva sub verberibus indurescat, sicut incus sub malleo. *Cor ejus indurabitur, & stringetur tanquam malleatoris incus.* Non igitur sine causâ dicebat Sanctus Job, se cum oculis
31. suis fœdus pepigisse. *Pepigi fœdus cum oculis meis.* Observate pulchrum, sed mirabilem loquendi modum. In bello quod peccatum movet contra animam, certum est oculos posse nominari exploratores; quia aliud non faciunt, quàm præcedere cogitationes, quæ postea subintrant. Cur ergo cum illis pangeretur fœdus? fœdus non solet iniri cum exploratoribus exercitûs, sed cum belli Ducibus. Ita est. Sed en documentum, quod jam nunc proposui. Sanctus Job his exploratoribus, qui sunt oculi nostri, omne damnum & desolationem considerabat, quam exercitus ab illis introductus inferre posset. Considerabat in illo aspectu cogitationes comitantes, in cogitationibus complacentiam, in complacentia consensum, in consensu operationem, in operatione habitum, in habitu desperationem, in desperatione damnationem; atque adeò prævidendo totale hoc excidium in tempore cum exploratoribus pacisci voluit, adeóque cum illis exigit, quasi in ipsis solis vis & furor prælii consisteret. *Pepigi fœdus cum oculis meis.* Et hoc est sapientum & Sanctorum more operari, non sicut stultæ quædam Animæ, quæ semper habent in lingua: *Quid mali est aspicere? Quid mali est ridere? Quid mali est sub ostio domûs cum Adolescentibus colloqui?* Si non esset aliud malum, quàm quod hic fit, esset tolerabile. Sed considerate parum id, quod evenire potest, imò quod nimis sæpè fieri solet. Quale malum est ovum Aspidis? Non se movet, non mordet, non veneno inficit. Ita est, si semper maneret ovum. Sed si à parvo calore foveatur,

tur, aſpicite, quanta peſtis ab hoc ovo, putamine candido, naturâ frigido, dentibus & veneno carente oriatur! Optima prudentiæ regula eſt, non præſentibus tantum damnis conſulere, ſed etiam quæ fieri poſſunt, & futura prævidentur. Peſtifera illa ova quamprimum apparent, confringenda ſunt, evitando non ſolùm converſationes malas, ſed etiam periculoſas. Aliàs enim parva quædam conjunctio, aut commoditas, quâ frigidum hoc ovum foveatur, oſtendet, quantum mali inde oriatur. Si maritus aliquot diebus abſuerit domo, ſi mater ſummo mane ſurgens frequentet Eccleſiam, aut ſi in illa feſtivitate ad focum ſomno oppreſſa fuerit, hæc tam prava occaſio efficiet, ut lethifer anguis pro pluribus Animabus naſcatur. *Sapiens timet & declinat à malo: ſtultus tranſilit & confidit.* Prov. 14. 83.

II.

V. Demus indurati hujus cordis principia non eſſe ſenſibilia; attamen ipſius progreſſus maximè ſentiuntur; circa quos (quod eſt ſecundum punctum à me propoſitum) tres licet notare gradus, ſúntque illi, quibus tandem peccator ad impœnitentiam finalem deducitur. Facilitas nimirum peccandi, confidentia & inſatiabilitas. Quidam in peccandi principio ſibi perſuadent, ſe, poſtquam prima vice culpæ ſaporem perceperint, deinde non ultrà progreſſuros, ſecúmque diſcurrunt, quaſi aliquis qui diceret: permittam lupo, ut primam edat ſtragem, deinde illum manſuefaciam. Sed omnino contrarium docebit experientia. Imò prima ſtrages jam edita lupum reddet ferociorem, in eóque novi ſanguinis ſitim accendet. Nolite igitur unquam dicere: *Hoc ſolùm faciemus peccatum, quod deinde confitebimur.* Ego enim vobis affirmo, non eſſe viam magis facilem ad plura committenda peccata, quàm committere hoc primum. Primum vocat ſecundum. *Abyſſus abyſſum invocat.* Erit quidem primum; ſed non erit ſolum. *Qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc.* Ap. 22.

VI. Hæc peccandi facilitas duo magna deinde poſt ſe trahat mala. Unum eſt peccare frequentiùs, alterum eſt leviſſimâ etiam oblatâ occaſione peccare. Quod frequentiorem peccatorum commiſſionem attinet, licèt aliqua ex ſe in particulari exiguum eſſent malum, ſed tantus illorum eſt numerus, ut ſufficiant ad ingentem edendam ſtragem. Scimus Locuſtarum exercitum per aërem volantem quaſi quandam nubem aliquando ſolem obſcurâſſe, & in terram delapſum Provincias quasdam plusquam armatam aciem devaſtâſſe. Quare ſimilis deſolatio jure merito in anima Peccatorum timeri poteſt, qui tam ſæpè labuntur, quamvis peccata illorum per ſe eſſent leviora. Quanta igitur timenda erit devaſtatio, cùm quodvis illorum peccatum ſit malum immenſum; nec ſit locuſta, ſed monſtrum. Quod ad totum mundum delendum ſufficiens eſſet? Vos non ſoletis poſt Confeſſionem peccatorum à vobis commiſſorum amplius recordari, quaſi omnino veſtra non eſſent. Sed Plin. 10.

parum

parumper omnia illa revocate in memoriam, quasi dissolutum & inordinatum lustraretis exercitum, & tunc dicite mihi, an non vobis terrorem incutiant! Sed respondebitis, peccata commissa post Confessionem non remanere ampliùs. Ita est, si vero cum dolore Confessione deleta sint. Verùm quis talem vobis spondebit Confessionem, præsertim in tam continua relabendi facilitate? de quo hîc non ago; præsuppono enim, peccata Confessione legitimâ expiata esse: non tamen ideo eodem ipso tempore pravus peccandi habitus extinctus est, qui frequentatis actibus semper crescit & roboratur, animámque semper magis in profundum trahit miseriarum, ita ut iniqua illa praxis, quæ ab initio fossa videbatur, profunda quidem, sed ad evadendum aperta, successu temporis puteus fiat adeò strictas habens fauces, ut Divinæ gratiæ miraculo opus sit ad inde emergendum. .26. *Fovea profunda est meretrix.* Ecce familiaritatem illam non optimam in principio: *Puteus angustus aliena*: Ecce statum, ad quem continuata deducit.

VIII. Et hoc tantò magis, quò faciliùs Peccator induci se sinit non solùm ad DEUM tam frequenter offendendum, sed etiam ob levissimam 2. quamlibet occasionem. *Gratis venundati estis.* Ita tales alloquitur Isaias. Vúltque dicere (quemadmodum explicat Sanctus Augustinus) à plurimis non solùm Animam Diabolo paratâ præsentis ejusdem prosperitatis aut voluptatis pecuniâ vendi, sed etiam pro re aliquando forsan eventura oppignorari. Unde potiùs animam suam donant, quàm vendunt.

IX. Hæc autem peccati committendi facilitas est primum præcipitii gradus. A facilitate transitur ad confidentiam. Peccatores, inquit Job, *Consumentur velut à tineâ.* Sed quare *Job. 4. 19.* non potiùs dicit, quasi à Tigride devorandos esse? ideò, respondet Sanctus Gregorius, quia tinea quidem damnum infert, sed absque tumultu. Hinc Peccatores tolerantes culpæ remorsum, cùm ruinam & strepitum non sentiant, eam nihili faciunt; ideóque quæ propter vires suas fera bestia est ad mortem ipsis inferendam, propter insensibilitatem non plùs timetur quàm tinea, *Miserando modo mens nostra fit quotidie, quò pejor, tantò securior.* *Greg. l. 5. mor. c. 28.*

X. A maledicta hac securitate omnium deinde mediorum ad resipiscendum neglectus proficiscitur. Sufficeret, ut hæc uxor viro suo mutationem habitationis persuaderet; ut hac suâ distantiâ peccandi ansam tolleret. Sufficeret, si hæc puella matri suæ diceret; ne ampliùs me solam ad rus, ad collem illum, aut fontem mittas; at tantum non habet animi, ut hæc verba proferat. Sed quare? quia, inquit illa, si ita loquerer, orirentur Scandala. Respondebo vobis Prophetæ Abdiæ interrogatione; *Si fures introîssent ad te, si latrones de nocte, quomodo conticuisses?* *Abd. 1. 5.* Si fur aliquis intrâsset domum vestram, jámque cistam aperiret, an tam verecundi essetis, ne scandalum daretis, ut non statim

tim clamaretis, furémque proderetis? Certè id ego mihi non persuadeo: licèt exigua rei familiaris jactura ageretur. At dum de animæ salute agitur, quæ tanti est, quanti Redemptoris nostri sanguis, os operire reformidatis. Ita est, ubi de lucro temporali res est, ipso ære clamosiores sumus, ubi verò de peccato fugiendo agitur, ipso plumbo obtusiores sumus. Tundere illud potest Dæmon, quantùm libuerit; securus est, quòd nunquam editurus sit sonum, qui sufficiat. Tacebit Maritus, tacebit Uxor, tacebit Mater, tacebit Filia, ipsi etiam aliquando tacebunt Pastores Animarum, tacebunt omnes illi, qui periculum maturè præcavere possent; tunc solùm omnibus licebit esse vocalibus, quando non jam de periculo, sed de ipso facto mussitandum erit, quod (ut magis scandalosum sit) in omnes partes divulgant, quemadmodum in foco carbones disperguntur, ut magis calefaciant.

XI. Neque hoc totum est pernitiabilis securitatis istius, quâ DEUS offenditur, malum. Pejùs adhuc est tam parvi fieri peccatum, ut etiam peccator illo ipso glorietur. Aspicite illum, qui sociis suis unà hilariter conversantibus enumerat, quot, quales, quando & quo astu in casum impulerit, hac jactantiâ se audacem deprædicans, instar superbi Leonis, qui post editam stragem labra sua vivo adhuc sanguine calentia lambit.

XII. Ultimus denique gradus, quo in hanc abyssum peccator labitur, est, post facilitatem & confidentiam, peccandi insatiabilitas. Invenietis aliquos, qui nunquam ad meliorem frugem redeunt. A perversâ adolescentiâ ad sceleratiorem transeunt juventutem. Juventutis vitia, quæ virilis ætatis tempore emendanda essent, augentur adulteriis, & ad canam usque senectam ignis ille diabolicus ardere pergit, qui ne quidem tantâ nivis copiâ in flagrantes hos Vesuvios delapsa extinguitur. Grandis in Peccatores maledictio à Divide contorquetur; éstque, quòd peccatum illis sit futurum velut cingulum. *Fiat ei sicut Zona, quâ semper præcingitur.* Ps. 108. Quo loquendi modo nobis significatur, ut docet Sanctus Augustinus, malos semper ad malè faciendum accinctos esse, semper paratos, semper expeditos, nec defatigari; & quòd, si aliquando pravam consuetudinem relaxent quasi fasciam, non tamen unquam eam deponant. *Fiat ei sicut zona, qua semper præcingitur.* Quin non solùm in iniquitate suâ vitam ducunt, sed & incrassantur. *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum.* Non tantùm peccatum transit in voluntatem, sed voluntas illorum degenerat in peccatum. *Transierunt in affectum cordis.* Ps. 72. Quia si oculos in aliquid conjiciunt, non aliò tendunt illorum aspectus, quàm ad novam prædam capiendam, aut ad veterem nutibus denuo irretiendam. Si loquuntur, sermo illorum non est alius quàm de amoribus. Si se recreant, non alia re quàm impuritatibus lætantur, si jocantur, illorum sales & facetiæ, si

si soli sunt, illorum cogitationes; si cum aliis conversantur, illorum exempla; imò si dormiunt, somnus ipsorum nocturnus omnis hac infernali pice conspurcatus est, quæ semper in illorum pectore ebulit. *Transiêrunt in affectum cordis.* Tota vita illorum continuum est peccatum.

III.

XIII. A semita tam perversa facilè argumentari licet, quàm infelix sit denique terminus, ad quem peccator deducitur. Et hoc est tertium Sermonis hujus punctum, in quo cuperem vos tandem probè intelligere, hanc cordis duritiem tandem in impœnitentiam finalem desinere. Vultur adeò pertinax cadaverum Helluo est, ut sæpiùs iisdem insidens, Venatoribus baculo occidatur; tam avidè in carnem morticinam fertur. Idem prorsus induratis accidit Peccatoribus. Tam avidè putidæ carni inhiant, ut Dæmon, quacunque tandem horâ accedat, eos papulo suo inhiantes inventurus sit. Si vel arcum & retia sua in Inferno relinquat, solus absque arcu & laqueis manu sola prædam auferet. Ii miseri enim consentiunt, licèt non sint tentati, & occasionem pereundi ipsimet quærunt, ubi illa deest. *Gravabit terram iniquitas sua, & non adjiciet, ut resurgat.* Quid horribilius potest dici? iniquitas illis inest, sicut pondus inest terræ, tàmque est intrinseca & intima, ut ad præcipitium impulsu non indigeantur; se enim ipsos præcipites agunt. Sed an fortè saltem adhuc spes erit, aliquando resurrecturos? hoc enim verò deterrimum. *Gravabit terram iniquitas sua, & corruet, & non adjiciet, ut resurgat.* Ideóque magna est inter peccatores differentia. Omnes in culpæ naufragio submerguntur; de hoc non est dubium? sed nonnulli velut ligna post aliquod tempus enatant: alii velut terra in fundum absque ullâ ope descendunt, nec unquam ampliùs capita ex undis attollunt. Tales sunt animæ illæ induratæ, de quibus hîc sermo est: Animæ, ut sibi ipsis compaterentur, & de vitâ perperam actâ dolerent, omni teneritudinis sensu privatæ.

XIV. Observatum est, corpus mortuum eviscoratur, in mare projectum, non sicut alia, subinde emergere. Et hoc aliquando à Piratis astutioribus est factitatum, ne stragis ab illis editæ ab undis ad alia loca aliquod indicium deferretur: imitantibus in eo Dæmonem, qui ita cum gravibus peccatoribus se gerit; iis enim viscera, cor & mentem omnem evellit, ut semper in fundo hæreant, nec unquam, ne quidem in morte, ad littus revertantur.

XV. Sed adhuc parum dixi, finalis hujus impœnitentiæ causam furori Dæmonis attribuendo. Habet quidem ille aliquam in hac partem, sed minorem; majorem partem sibi vendicat Justitia Divina. Hæc enim cordis Duritia, quam hucusque detestati sumus, non solùm est culpa, sed etiam pœna, sicut suprà de cæcitate dictum est. *Ego induravi cor ejus*, inquit DEUS, non quòd in pec- S. Th. 1. 2. q. 79. ar. 3. Exod. 10. 1.

 cato-

catorum præcedentium vindictam velit hominem labi in sequentia; sed quia jure merito majora illa negat auxilia, quorum virtute facilè sequentia evitâsset peccata. Ita ut dicere, à DEO corda peccatorum indurari, idem sit ac dicere, ipsum permittere, ut indurentur, & non impedire. *Non obdurat DEUS impertiendo malitiam, sed obdûrat non impertiendo misericordiam.* Quemadmodum sol facit cum grandine, quæ in nubium sinu ab illo non induratur; sed quia radiis suis validioribus intro penetrare non potest, permittit, ut in illis vi naturalis frigoris congeletur. Hæc verò pœna est omnium aliarum horribilissima; quia est ultima ad damnationem dispositio, & cor à DEO derelictum (ut suprà dictum est) victima est æterno igni destinata, cui jam permissum est per omnia vagari prata; quia non multo pòst tempore Divinæ Justitiæ subdenda cultro, æternùm ardebit. *Ut quasi jam sint quædam in peccatore supplicia, ipsa incrementa vitiorum.*

S. Aug.

S. Greg. hom. 11. super Ezech.

Janus Nicius exempl. 171.

XVI. Totum hunc Discursum ut apprehendatis, horrendâ confirmabo historiâ. In præcipua quadam Siciliæ civitate non ita pridem certa quædam vivebat puella, quæ in principio magis vana, quàm lasciva, oculos suos in exterum conjiciebat Adolescentem, ibi literarum studiis operam dantem. Sed ab his aspectibus, licèt nil fuerint aliud, quàm scintillæ, temporis tamen progressu tantus accensus est ignis, ut uterque in cineres abiêrit; inchoato siquidem inter se commercio nimis libero, Puella dissolutam, ille discolam egit vitam; Malum verò ipsamet Mater summopere auxit, quæ cùm pessimè fœtentem ignem extinguere deberet, oleum affudit; & cùm filiam inhibere deberet, eam impulit, nullam non agendi licentiam concedendo. Ecce Matres, quæ aliquando non Matres, sed truculentæ sunt tigrides prolium suarum. Considerate igitur, quomodo peccatum omnia secum trahat infortunia. Contigit, ut Adolescens illo ipso die, quo sanguinem miserat, propè amicæ puellæ domum transiret; & invitatus ab amasia, ut subiret domum, repulsam invitanti dare non sustinuit. Itaque hilariter cœnatum est, cùmque uterque vino & libidini indulsissent, simul quoque somno obruti sunt: Sed somnus hac vice non fuit mortis imago; fuit enim mors verissima; dormiente siquidem Adolescente, fascia, ut sæpe accidere solet, quâ vena obligata erat, dissolvitur; vulnus & vena aperitur, totúsque sanguis, præcedentibus agitatus & commotus insolentiis, tantâ in copiâ erupit, ut infelix adolescens priùs animam reddiderit, quàm experrectus fuerit. Interea Puella evigilans advertit, omnia plena esse sanguine, conatúrque amantem excitare, sed frustra; donec accenso lumine exhorrescens funestum Peccati sui tam atroci modo puniti spectaculum videret. Deploravit igitur copiosis lacrymis non solùm adolescentis mortem, sed propriæ insuper vitæ periculum, quod incursuram se videbat, si cadaver do-

mi

mi suæ fuisset repertum. Quare capto cum Matre consilio utraque statuit, meliore quo possent modo, priusquam dies illucesceret, illud ad vicinæ Ecclesiæ fores deferre. Res ex animi sententia successit, ita ut templo aperto mortuus hic in feretro omnium oculis exponeretur, opinantibus plerisque, cadaver id esse juvenis, à corrivalibus ea nocte interfecti. Atque ita Divina Nemesis denuo scelerum complice vindictam sumpserat. Supererat adhuc pars altera eorundem, & fortè plurium rea. Et ecce! illa ipsa, adhuc peccatis suis indurata, pœnam non omnino dissimilem dedit; successerat è voto tam Matri, quàm filiæ consilium, quo ignominiam suam celabant, cadaver domo suâ extrahendo, sicut modò intellexistis. Nihilominus amore & dolore insaniens puella quiescere non potuit, fletúque & clamore animi sui sensa prodidit, adeò ut ad eam tranquillandam, quasi aliquam è viciniâ, ut solet, curiositate ductam ad templum mater comitata fuerit. Sed hoc consilium optato successu planè caruit: Ad intuitum enim amantis in Sandapila extensi miserabilis puellæ amor magis excitatus, & reaccensus, eam in tam enormem conjecit desperationem, ut statim extracto è sacco cultro, in publica exclamârit Ecclesia: Ego sum illa, quæ istum necavi, ego sum: hósque inter clamores adacto in præcordia ferro stulta procum suum, cui se ducem antea præbuerat flagitii, ad infernum secuta est pedissequa & socia pœnæ.

XVII. Advertite hac in tragœdia modica initia, progressus funestos, sed funestiorem cordis, vitio paulatim indurari, finem. *Cor durum malè habebit in novissimo.* Quis non obstupesceret, videns puellam Christianam, invento peccati sui complice, ad latus suum tam miserè extincto, ad saniorem mentem revocari non potuisse? quàm facilè erat flagitii turpitudinem in tam exemplaris pœnæ spectaculo concipere? quàm meritò inferni pœnas formidare poterat? Quàm facilè erat animæ salvandæ curam suscipere, pœnitere, & ad meliorem vitam aspirare? Attamen nihil simile evenit: illa enim, quibus emolliri debuisset, Duritiem auxêre. Et hoc est, à DEO esse derelictum, & à propria obstinatione, Divináque gratiæ subtractione induratum. Hoc spectaculum semper ante oculos versari deberet, quemadmodum terribilibus hisce Ecclesiastis verbis DEUS monet: *Considera opera DEI, quòd nemo possit corrigere, quem ille despexit.* Charissimi, bene considerate, háncque veritatem adeò gravem ad imum usque penetrate, quæ est; si à DEO despecti fueritis, non vobis meas profuturas conciones, non profuturas correctiones ullas, non consilia, non tot proborum DEI Servorum exempla, non Confessarios, non bona verba, non auctoritates, verbô, nulla alia media quidquam profutura. Omnia ista fragorem edent, sed sine fructu, sicut tormentum bellicum sine pila; nec vallum obstinati cordis dejicient. *Nemo potest corrigere, quem DEUS*

Eccl. 3. 27.

Eccl. 7. 14.

DEUS despexerit. O infelicem peccatoris à gratia Divina derelicti statum! Illum, quæso, parumper expendite: *Considera opera Domini.* Quis est ille, qui animam deserit, & in cujus manibus illam animam derelinquit? Qui derelinquit, DEUS est, qui postquam illam infinitâ suâ creâsset potentiâ, pretioso suô redemit sanguine, tantis quæsivit laboribus, tantis vocavit inspirationibus, ad ejus nunc condemnationem perpetuam ob ingrati animi contumaciam cogitur consentire. Deinde in cujus manibus hæc anima derelinquitur? in manibus inimici. *Tradidit in manu inimici.* (*Thren. c. 7.*) In manibus pravæ voluntatis omni furiâ crudelioris. In manibus Dæmonis, in manibus peccati: *in manu inimici.* In hoc misero statu homo ad omnes calamitates suas insensibilis redditur, nec vulnera sua sentit, & licèt ea credat, operatur tamen eo modo, quasi non crederet.

XIX. Imò ne quidem hîc omne malum finitur, longè ulterius progreditur. Siquidem peccator obstinatus in propria malitia & ab efficacibus gratiæ auxiliis derelictus, eam induit proprietatem, quam videmus in rebus omnium durissimis; quæ est, ut non solùm telis se penetrare conantibus resistant, sed etiam contra ejaculantes audacter retorqueant. Ex gratiâ: Sagittæ in elephantem evibratæ bestiam non lædunt, sed sine vulnere in terram decidunt, tanta est pellis illius durities. Verùm Sagittæ in scutum æreum emissæ, non solùm absque penetratione in terram cadunt, sed novum in æris duritie concipientes impetum, in ipsum arcum & jaculantis manum resiliunt; tanta est æris, ad quod impingunt, durities. Eodem modo peccatoris cor temporis processu ad hunc ultimum Duritiæ gradum provehitur, ut non solùm Divinæ resistat Bonitati, sed contra eandem se opponat: miseri enim tantò liberiùs peccant, quantò diutiùs eos ad pœnitentiam DEUS exspectat, tantóque magis obturbant aures, quò sæpiùs à DEO vocantur. Si bonorum temporalium abundantiam illis concedit, cùm pecuniam ad redimendos sese à peccati servitute eleemosynæ largitione, impendere deberent, juxta salubre illud monitum: *Peccata tua Eleemosynis redime*; impendunt illam ad compedes sibi duplicandas, & ad alios iisdem faciliùs implicandos, dum lautiùs, ac splendidiùs scelerum complicem alunt, & quà promissis, quà donis insidiantur honestati cujusdam puellæ, tantò magis incautæ, quantò magis egentis. Quòd si DEUS velut piissimus medicus modum medendi mutet, conetúrque frigidis tales infirmos curare remediis, quibus calida prosperitatis pharmaca non profuerunt, & excitet illis litem à potenti adversário intentatam; percutiat corpus illorum improvisâ aliquâ infirmitate, quâ deficiant & debilitentur, creditisne illos convertendos, manúmque tam amicè, sanitatis ergo, percutientem osculaturos esse? *Vulnerat, & medetur.*

tur. Cùm eam osculari deberent, phreneticorum instar mordent, Nomen DEI blasphemiis proscindunt, providentiam illius incusant, & implacabili odio in proximos exardescunt, quibus in tali negotio tanquam ministris Divina utitur Justitia. Quid amplius? *Cor suum posuerunt ut adamantem.* Cor illorum non solùm durum est, velut adamas, sed omnes ictus repercutit. Omnis conatus malum auget, omnis medicina malum exasperat: antidota degenerant in venenum, emendandique opportunitates in perditionis irreparabilis occasiones commutantur.

Zach. 7. 12. (margin: b. 5. 18.)

XX. Quare quid faciendum est, Charissimi, ne in tam horrendam duritiem, magnam cordis humani culpam, magnúmque Divini Judicii supplicium incidamus? Remedium est promptissimum, modò illo uti statuatis, quod pulchris illis verbis comprehenditur, quibus senior Tobias filium suum instruebat. *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto DEUM, & cave, ne aliquando peccato consentias.* Primum ergo est, quotidie ad DEUM recurrere, summáque diligentiâ, & animi demissione hanc ab illo rogare gratiam, ne in peccatum labamur, & si lapsi fuerimus, ut quamprimum resurgamus. Sed an vos hoc facitis? imò hic ipse est potissimus plurimorum Christianorum defectus, qui non solùm aliquot diebus orationem intermittunt, sed dici potest, eam totaliter ab illis omitti: aut enim omnino non orant, aut ad summum obiter quasdam solitas preces recitant, ut non attendant, aut sciant, quid agant, quos meritò his verbis reprehendit Sanctus Augustinus: *Tu non audis orationem tuam, & vis DEUM exaudire orationem tuam.* Et si fortè in necessitatibus suis DEUM rogant, non id pro Animæ, sed Corporis emolumento faciunt, id est, aut ad aliquod bonum temporale pro se, aut suis impetrandum, aut ad malum, quod timent, avertendum. Si maritus aut filius ægrotat, si bestia quædam malè habet, statim concipiuntur vota, sed quæ anathemata ab aris suspensa invenietis, ad gratiam pro pravâ amicitiâ deferendâ impetrandam? aut ab infami ludendi vitio abstinendum, aut ad maledictum blasphemandi habitum corrigendum? Peccatores non sunt plùs soliciti, ut petant sibi lucem gratiæ concedi, quàm ut petant oriri sibi solem. Putant à DEO salutem sibi deberi, & quasi illam pro se Jurisperitorum militare regulam: *Precibus frustra impetratur, quod jure communi conceditur.* Quòd si unquam ad DEUM preces fundant, existimant magis necessarium esse pro bonâ & copiosâ messe, quàm pro Cœlo supplicare. Quid est decipi, si hoc non est? *In mente,* igitur, *habeto DEUM omnibus diebus vitæ tuæ.* Quotidie ex toto corde DEUM rogare. Et ecce primum monitum in praxi exercendum.

(margin: Tob. 4. 6.) (margin: L. nemo. de thesaur.)


XXI. Alterum sequentibus continetur verbis: *Cave ne aliquando peccato consentias.* Cavete, ne incipiatis cadere; cavete vobis à primo pecca-

to, peccatum enim eſt quaſi ovum crocodili, quod in principio parvum naſcitur, deinde ſemper magis creſcit, donec horribilem pariat ſerpentem. Satis magnum eſſet malum, DEUM offendere, licèt non ampliùs quàm ſemel offenderetur. Mulier, quæ tantùm ſemel fidem fregit Marito, nunquam amplius ab eo benigno aſpicitur oculo. Quid igitur dicendum eſt de Anima, quæ adultera, magisque ſacrilega & impudens fidem frangit DEO? Unum ſolum peccatum, ah! quantæ culpæ & pœnæ eam ream facit! ideóque, *cave, ne aliquando peccato conſentias.* Hoc ſolum peccatum, quod committere cogitas, hoc ſolum dico, licèt in veritate ſolum maneret, ingenti te horrore replere deberet. Sed quantò magis trepidare deberetis, cùm peccaturi ſciatis, peccatum trahi à peccato, ſicut ferrum Magnete affrictum trahit

Eccl. 3. 9. alterum ferrum? *Peccator adjiciet ad peccandum.* Atque adeò idem eſt ſemel velle labi, ac multoties velle labi. Ignis etiam dum adhuc parvus eſt, timetur; inter elementa enim ſterilissimus eſt, & fœcundiſſimus. Steriliſſimus eſt, quia omnia devorat; nec quidquam à ſe diſtinctum producit, ſicut aër, aqua, & præ omnibus terra, ſolent producere. Sed etiam ſimul eſt omnium elementorum fœcundiſſimus, alium ſibi ſimilem producens ignem, ſempérque magis flammas flammis ſine fine adjungens. Ta-

Job. 31. 12. lis eſt iniquitas, inquit DEUS. *Ignis eſt ad perditionem devorans.* Quare prima veſtra iniquitas, quam committere ſtatuitis, licèt ſit ſola, non eſt tantùm ignis ipſo igne infernali pejor, qui omnia bonorum operum merita devorat, nec quidquam boni generat, ſed eſt ignis ſimul fœcundiſſimus ad alium ignem producendum, flammísque flammas addendas, donec indelebile excitetur incendium. Cavete ergo, ut ne quidem conſentiatis. *Cave, ne aliquando peccato conſentias.* Hic conſenſus fit, quando Anima poſt injuriam DEO illatam adhuc temerariè dicit in corde ſuo: *Quid mali eſt? confitebor.* Quid mali eſt peccatum? jam antè dixi, ſed præter id quod dixi, meminiſſe vos oportebit, hoc ſolum peccatum plus ponderare, quàm omnia bona opera, quæ unquam in vita veſtra facturi eſtis, quàm quæ omnes Sancti & Sanctæ fecerunt; imò denique plus, quàm omnia opera, quæ ab omnibus creaturis poſſibilibus ſimul unitis fieri poſſent. At quod dicitis, vos confeſſuros, DEUS novit, quæ & qualis illa futura ſit Confeſſio. Quidquid ſit, nolite credere, vos ad primæ innocentiæ ſtatum redituros. Experientiam à ligno capite; hoc in aquam injectum ſinite putreſcere, deinde extractum ad ſolem ſiccate: invenietis lignum hoc nunquam tanti eſſe ponderis quanti erat antè, cùm ſanum in aquas projeciſtis. *Cave ne aliquando peccato conſentias.* O quot hujusmodi infelices ſunt nunc in Inferno, qui etiam dicebant! *Confitebor.* Jam verò in ardentiſſimis hiſce flammis ſtultitiæ ſuæ recordantur, quam in vitâ non videbant! Putatiſne, ſi adhuc

huc semel in terras redire possent, adhuc semel tam enormiter se decipi permissuros? Damnis illorum discite sapere, Charissimi. Cavete, Cavete, Cavete, Peccatum timete, antequam committatur, timete, cùm commissum est, timete, quando etiam Confessione
1. deletum est. Aliàs, quemadmodum
Conf. expendit Sanctus Bernardus, illa iniquitas, quæ in principio pondus videbatur excessivum, deinde videbitur utcunque portabile; denique omnino leve putabitur; unde non ampliùs sentietur, ita ut etiam sub illo suavis capiatur quies, non secus, ac si magna in peccato committendo delectatio hauriretur. *Primum tibi importabile videbitur: processu temporis, si assuescas, non judicabis adeò grave: paulò pòst & leve senties; paulò pòst nec senties; paulò pòst etiam delectabit. Ita paulatim in cordis duritiem itur.* Qui talem non horret abyssum, iter ad eam ingrediatur; qui verò prudenter timet, caveat sibi à primis passibus. *Cave ne aliquando peccato consentias.*



DISCURSUS XI.

Peccatum mortem infert Animæ.

I. ADamus nunquam vivaciùs commissum à se apprehendit peccatum, quàm cùm ante oculos suos charissimum filium suum Abelum mortuum intueretur. Tunc etenim in luridâ illâ facie, in eclipsatis oculorum luminibus, in labris illis exanguibus, in gelidis illis membris, quasi literis majusculis expressam non ita pridem ob prævaricationem suam latam contra se legit & intellexit sententiam:
n. 3. *Pulvis es & in pulverem revertêris.* O
9. si ego quoque ante oculos Peccatorum Animam illam mortuam & cadaverosam ponere possem, quam in sano circumferunt corpore! sperarem illos apprehensuros, quàm grande malum sit peccatum, quod est unica mortis hujus causa. Saltem tantum efficere conabor; ne mortuos eo modo, quo sunt mortui, relinquam, sed ut eos ad resurgendum sincera cum peccati, à quo occisi sunt, detestatione excitem. *Exurge* Ephes. 5.
à mortuis & illuminabit te Christus. 14.

II. Verùm in principio maximum subeo præjudicium, acturus de morte sensibus nostris incognitâ. Japones parum Navigationis experti, non credebant in toto Mundo alias esse, quàm duas regiones, Chinam & Joponiam; Ideóque quemadmodum aliud quoque non cognoscebant mare, quàm illud, quod oras illorum lambebat, sic etiam alias non apprehendebant tempestates, quàm quas in finibus suis experiebantur. Eodem modo faciunt sensus nostri, qui alia non co-

gnoſcunt bona, quàm temporalia & terrena; non credunt aliam eſſe mortem, quàm à talibus bonis ſeparationem. Sed non eſt ita: alium & vaſtiorem eſſe mundum, alium bonorum & malorum Oceanum; aliud naufragium, quo Anima ſubmergitur, cùm ad littus non appellit, Fides nobis manifeſtat. Hoc optarem, ut poſſem vobis hodie demonſtrare, horribilem ſcilicet mortem, quam animæ affert peccatum; Et quia duæ ſunt mortes, mortes pœnæ dictæ, prima corporis tranſitoria, quæ à Scripturâ vocatur mors tranſiens: *Pro morte defluente deprecatus ſum.* Altera mors animæ ſimul & corporis, quæ vocatur mors ſecunda, demonſtrabo hodie à Morte tertiâ quæ Culpæ eſt; alias duas mortes, pœnæ dictas longè ſuperari.

Ezech. 15. 13.

I.

III. Incipiamus à morte corporis, eámque cum aliis comparemus, mors illa affero ego, hoc funeſtior eſt, quò nobiliore hominem vitâ privat. Porrò vita, quâ peccatum nos privat, eſt omnino Divina; ideóque neceſſe eſt fateri, peccatum eſſe mortem omnibus aliis pejorem. Et hoc ipſum ad intelligendum Diſcurſum meum bene capere oportet.

IV. Advertendum igitur eſt, hominis vita præcipuè aut à natalium nobilitate, aut ab operationum præſtantiâ æſtimari. Videte quemadmodum utraque, ultra quam quisque ſibi imaginari poſſit, vitam Chriſtiani hominis extollat. Quod ad Nativitatis nobilitatem attinet, magni inter homines æſtimatur è ſanguine illuſtri progeneratum eſſe; & hoc non ſine causâ, modo natalium ſublimitas ſerviat pro virtutum, non vitiorum baſi. Cæterùm quomodo comparari poſſit peccaminoſi ſanguinis nobilitas cum Chriſti Filii DEI immaculati ſanguinis nobilitate, attamen ab hoc Divino ſanguine generatio, & omnium fidelium vita ſuum habet Principium, *Qui non ex ſanguinibus, ſed ex DEO nati ſunt.* Sanctus Ludovicus Rex Franciæ, quamvis tam ſublimi procreatus ſtirpe, nihilominus nobilitatis ſuæ tam exiguam habebat rationem à ſanguine Regio derivatæ, in comparatione illius nobilitatis, quam ab aquis baptiſmalibus acceperat, & à quibus regeneratus fuerat, ut ſubſcriberet Ludovicus de Poſſiaco; quia in illa civitate ſacrum Baptiſma receperat, & ad vitam Divinam, quæ eſt filiorum DEI propria, renatus fuerat. Eodem modo quivis Chriſtianus faceret, ſi apprehenderet, quanta ſit hæc celſitudo, Natales ſuos à DEO accepiſſe: *Ex DEO nati ſunt.* Quando filius aliquis ex Patre illuſtri, & Matre plebeia gignitur, ignobilitatem ex uno latere proficiſcentem tacet & diſſimulat, ſolámque nobilitatem ab altero oriundam jactat & deprædicat. Sic faciebat Sanctus Ludovicus, qui, velut alii homines, ſanguine peccato originali infecto procreatus, terrenam occultabat proſapiam (quamvis aliunde coram hominibus tam claram & conſpicuam) ſolámque cœleſtem magni faciebat & extollebat, quam ſupernaturalem nobilitatem gratiâ baptiſmali acquiſiverat. O Sancta fides, quando

Jo. 1.

quando tandem tot cæcorum mentes tam vivâ luce tua illuminabuntur; Tanti fit Genealogiæ antiquitas, quamvis sæpius falsæ; veræ autem nobilitatis, quæ est Divina & vitæ Christianæ propria, vix ulla habetur ratio. At interim, Charissimi, considerate, quàm pretiosa sit hæc nativitas, & quàm pretiosa sit hæc vita, quæ pro principio suo
}. 1. habet ipsummet Christum! *Mihi vi-*
1. *vere Christus est.*

V. Sed multò pluris æstimatur vita hominis illustris ob egregiorum facinorum nobilitatem. Verissimum enim est, nobilitatem à Progenitoribus nostris nobis communicatam, magis aliorum esse, quàm nostram, cùm operationum nobilitas tota pendeat ab operante. Advertite nunc, quanti etiam ex hoc capite vita gratiæ sit æstimanda. Quæ sunt excellentiores vitæ civilis operationes? Sunt nimirum Regiæ: Imperare, prohibere, permittere, judicare, remunerari, absolutáque auctoritate Populos supremo Domino subjectos punire. Hæ & similes operationes aut majores qualcunque vobis placet adjungere, sunt ludi pueriles, si grandibus illis comparentur actionibus, quæ à vitâ gratiæ in animâ exercentur. Divina enim gratia nos ex nihilo nostro, quod ex nobis ipsis sumus, transfert ad aliud esse, quod est ve-
Id. rum esse: *gratiâ DEI sum id quod*
14. *sum.* Quia naturam Divinam nobis
Cor. communicat, de qua solâ dici po-
10. test cunctis, quòd sit. *Qui est misit me ad vos.* Et sicut ab imperfectâ animæ essentiâ omnes illæ oriuntur potentiæ; quibus anima ipsa ornatur; sic à perfectissimâ gratiæ essentiâ omnes illæ infusæ proficiscuntur virtutes, quibus illæ ipsæ potentiæ excoluntur. *Sicut ab essentia animæ efflu-*
unt ejus potentiæ, quæ sunt operum prin- S. Thom.
cipia, inquit Sanctus Thomas, *ita* 1. 2. q.
etiam ab ipsâ gratiâ effluunt virtutes in 110. ar.
potentias animæ, per quas potentiæ mo- 4. ad 3.
ventur ad actus. Ita ut operationes sint proportionatæ naturæ operantis, *operari sequitur esse.* Videte quæso, quales sint illæ operationes animæ in gratia viventis! Operationes sunt omni pretio, quod à mente nostrâ concipi possit, superiores: operationes sunt Divinæ proportionatæ naturæ. O quanta res est Christianus à culpa immunis? Non distinguitur in natura à Beato in cœlo, tantùm distinguitur in fruitione & gaudio. Cæterùm si gratia viæ non distinguitur à gratiâ patriæ, (ùt docet prædictus Sanctus) fateri necesse est, esse unum idémque esse supernaturale Justorum in cœlis, & esse supernaturale alicujus Justi in terris. Verum est, gratiam in terris non esse actu æqualem gloriæ; sed nec semen arboris actu æquale est arbori, à qua producitur. Sed quid hoc impedit intentum nostrum? Si non est æqualis actus, saltem vir-
tute æqualis est. *Gratia, quam in* S. Thom.
præsenti habemus, etsi non sit æqualis 1. 2. q.
Gloriæ in actu, est tamen æqualis in 114. ar.
virtute. Quia gratia virtutem habet 3. ad 3.
gloriam producendi. Et ecce! quales sint cujusvis vestrûm operationes, qui hac Divinâ gratiâ præditus est. Sunt quasi infinitæ virtutis operatio-

nes; sunt enim operationes, quæ pro termino suo habent bonum infinitum, quod condignè merentur; id est pro fine habent illum ipsum bonum, quo Sancti gaudent in cœlis, & quo in æternum gavisuri sunt. Econtra operationes hominum hac gratia privatorum, aut pro fine habent nihilum, in quod resolvuntur, si tamen naturâ bonæ sunt; aut habent pro termino ignem, quo punientur, si malæ sunt, juxta illud: *Labores Populorum ad nihilum, & Gentium ad ignem erunt.* Jerem. 51, 48.

VI. Considerate igitur, Charissimi, quanta homicida sit peccatum, dum unico solo vulnere tam nobilem & Divinam aufert vitam, támque sublimium operationum cursum detruncat! *Insignis in arte non debet mori*, clamant omnes Leges. Quando artifex aliquis excellit labore suo, licèt aliunde mortis reus esset, veniam obtinet, ne respublica illis privetur commodis, quæ à tam pulchris ipsius operibus in omnium cedunt utilitatem. Utinam talis lex servaretur inter Christianos! Charissimi, Anima nostra absque dubio meretur, ut æternum vivat. Verùm si illa vobis aliquam fecisset injuriam, ob quam occidi meretur à vobis, excepto peccato (quæ sola est securis, à quâ illa interimi potest) ab internecione abstinere deberetis, tantummodo propter incomparabiles ejus operationes, quas præscinderetis, qui vitam gratiæ illi auferret.

VII. Et hoc tantò magis, cùm unius solius animæ vita in dictâ gratiâ degentis plùs valeat, quàm omnium hominum vitæ in naturâ possibilium. Quod ideo immenso vos deberet replere horrore, dum peccatis; considerando, quòd si de novo terræ inundarentur diluvio, omnium modo viventium stragem infinities in se ipsâ fore leviorem, quàm sit unius Animæ mors à peccato illata. At cur Peccatores adeò parùm tam grande perpendunt malum? Si vos, dum peccatis, unico ictu caput cuidam amicorum vestrorum amputaretis, certè peccare horreretis; at multò magis horreretis, si unico tali actu toti familiæ vestræ, toti vestræ patriæ, toti simul humano generi vitam corporalem auferetis. Attamen quantò plùs est spiritualem animæ vitam adimere! Caligula crudelissimum, quod unquam inter homines regnavit, Monstrum, optabat populo Romano unicam esse cervicem, quam unico ictu resecare posset. Nihilominus ego mihi persuadeo, si bestiale tanti Monarchæ desiderium sortiri potuisset effectum, cor hoc saxeum elevata ad tam grandem infligendum ictum manu, commovendum & emoliendum fuisse, ut non feriret, sed reposito in vaginam ense, licèt sanguinem sitiente, nihil ulteriùs tentaret. Vos verò quoties peccatis, toties atrocius committitis scelus & internecionem, dum animam vestram vitâ privatis. *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur.* Nihilominus id perpetrantibus non contremiscit brachium, nec tantùm præ summo horrore ferrum è manibus non excidit, sed quasi ridendo tam luctuosum ictum infligitis. *Quasi* Suet. in Ca[l.] Ezec. 18. [4]

per

v. 10. *per riſum ſtultus operatur ſcelus.* Atta-
3. men hæc non ſunt fabulæ, ſed verita-
tes à fide revelatæ. Sicut anima eſt
vita corporis, ita DEUS eſt vita ani-
tr mæ; *Ipſe eſt vita tua:* unde ſicut mor-
20. te naturali corpus perdit vitam, quæ
eſt anima, ſic anima perdit vitam ſu-
am, quæ eſt DEUS. *Anima amiſſa,*
2. 5. erb. *mors corporis* (inquit S. Auguſtinus)
1. *DEUS amiſſus, mors animæ.* Anima
peccando nos perdit DEUM tanquam
authorem naturæ, ſed perdit tanquam
authorem gratiæ; ita ut ſi primò poſ-
ſedit DEUM, velut operationum ſua-
rum non tantùm naturalium, ſed me-
ritoriarum principium, poſt culpam,
anima, ab illo ſeparata, tanquam ca-
daver maneat abſque motu, quoad
omnes actiones veram utilitatem reſpi-
cientes. Verum eſt, hederam à po-
pulo ſolutam in terram cadere, à qua
ſuſtentabatur; nihilominus in terra ma-
nens, aliquo tempore vigorem ſuum
conſervat, innatóque ſuo vigore quo-
dammodo reſurgere, séque elevare po-
teſt. Verùm anima ſuo deſtituta ſu-
ſtentaculo, quod eſt DEUS, prorſus
mortua manet, ita, ut in æternum pro-
priis viribus erigere ſe non valeat. He-
dera eſt, non quidem delapſa, ſed eradi-
cata, omniqueſalutarium operationum
principio ſemper penitus privata. *Ra-*
9. *dix eorum exſiccata eſt; fructum nequa-*
quam facient.

VIII. Soleo nonnunquam grande illorum crimen conſiderare, qui animam innocentem pervertunt, támque pretioſâ gratiæ vitâ exuunt. Quod ſi unquam talis Anima in infauſto illo peccati ſtatu moreretur, quis exprimere poſſet, quam ſeductor ille pro tali morte DEO deberet reſtitutionem? Homicida, qui injuſtè trucidat Patremfamilias, filiis Orphanis omnis ſuſtentationis adjumenta reſtituere tenetur, quæ à Patre, ſi mortuus non eſſet, exſpectare poterant. Et in tali caſu neceſſe eſt, ut vir prudens & expertus attentè judicet, quot annis occiſus ille ſupervicturus fuiſſet. Si jam talis regula valet in reſtitutione, ad quid tenebuntur ſeductores illi pro tantâ animarum ſtrage, ubi ſufficientem pro tantis damnis reparandis inventuri ſunt ſolutionem? fingite animis veſtris, talem animam, ut ſæpenumero fieri ſolet, aut propter primum peccatum perire, aut propter alia, quæ primi illius virtute & illico committere perrexit. In tali caſu eſt lucrum ceſſans, & damnum emergens quaſi infinitum gloriæ DEI. Quandoquidem ſi Anima illa non fuiſſet damnata, non in æternum Creatorem ſuum blasphemiis proſciſſet, nec in æternum odiſſet: è contra ſi non peccâſſet, DEUM in æternum laudâſſet, illúmque plus quàm ſe ipſam amâſſet per omnes ſæculorum myriades. Perpendant igitur Scandaloſi iſti ſeductores, Juſtorúmque perſecutores, quâ ratione omnia illata Divinæ gloriæ damna reparare, totúmque lucrum ceſſans compenſare velint. Gladius, inquit Plinius, quo homo interfectus eſt, nunquam amplius eſt ùt antè rectus. Ponamus hoc fabuloſam eſſe hyperbolen. Certum eſt, quemlibet peccatorem, qui aut verbis aut moribus ſuis animam

ad

ad peccandum inductam occidit, semper incurvato versùs terram vultu incedere debere, actúque semper gratiam à DEO flagitare, ut pœnitentiâ suâ gratiosam ingentis debiti sui remissionem impetret, quod aliter nunquam condignè solvere poterit. Verum est tam luctuosa funera aut propriis, aut aliorum animabus à peccatoribus allata, quia non apparent, vix ab ullo exequiis, quin vix unicâ lacrymâ honorari. Sed hoc quid juvat? Hic est in homine iniquo miseriarum cumulus, proprias miserias suas cognoscere. Etiam ego, inquit S. David, semel tam cæcus fui, ut, postquam culpâ meâ omne essentiæ meæ principium per-
Psal. 71. dideram, longo tempore me ipsum
22. non cognoverim. *Ad nihilum redactus sum, & nescivi.* At bene me cognovit DEUS meus, summa mea miseria,
Apoc. mihi ignota, ipsum non latebat. *No-*
3 1. *men habes quod vivas*, inquit uni horum Spiritus Sanctus *Nomen habes, quòd vivas, & mortuus es.*

IX. Itaque Charissimi, si peccato inquinati estis, similitudinem quidem & larvam vivorum habetis, sed sub-
2. Tim. 5. stantiam & veritatem vitæ non habetis. *Quæ in delitiis est, vivens mortua est.* Anima vestra, quæ ut prohibitis se satiaret voluptatibus, venenatum Babylonis hausit calicem, simul viva est & mortua; viva est oculis
De interior: domo. c. 35. corporis, à qua hoc regitur; sed mortua est coram oculis DEI, quæ illam plusquam cadaver in fœtidissima cloaca putrefactum horret & abominatur. *Tolerabiliùs fœtet hominibus canis putridus*, inquit S. Bernardus, *quàm Anima peccatrix DEO.* Peccatum habet naturam fulminis, & in operando eundem servat modum. Plutarchus refert, temporibus suis fulmen improvisò de cœlo cecidisse, militisque vigilias agentis omnem pecuniam stipendiariam consumpsisse, crumenâ prorsus intactâ. Interim dum miles bursam videret illæsam, putabat se satis divitem esse, sed decipiebatur. Idem accidit miseris peccatoribus; quia sano utuntur corpore, Animæ mortem non apprehendunt, donec coram Tribunali Divino aperiantur conscientiæ, errorémque advertant, quando eum corrigendi tempus non superest ampliùs. *Ecce iste coopertus est auro, & argento,* Hab.
& omnis Spiritus non est in visceribus 2. 9
ejus.

II.

X. Si hæc omnia attentè consideretis, non dubito, quin ipsi fassuri sitis, quemvis, qui peccatum committit, esse hostem animæ suæ. *Qui faci-* Tob.
unt peccatum, hostes sunt animæ suæ. Et 1[2]
quomodo non esset inimicus, cùm non solùm aliquâ animi levitate necem illi inferat, sed necem inter omnes alias magis deplorabilem? Difficiliùs vobis persuasurus sum, peccatum ipsâ morte immortali funestiorem esse mortem. Attamen omnino ita est. Imò Infernus, si bene perpendatur, aliud nihil est, quàm locus, in quo in æternum peccatum manere debet. Talis est S. Dionysii observatio. *Peccatum non potest re-* Cap.
sidere in perpetuum, nisi in inferno. In- de [div.]
fernus est ipsius cubile, Infernus est nom.
ipsius centrum & locus naturalis: alibi

alibi enim peccatum eſt quaſi in loco violento, in quo non poteſt ſtabiliter permanere. Et hæc eſt cauſa, quare Diabolus etiam extra Abyſſum ſemper ſecum ferat infernum ſupra terram, quocunque vadat: quia quocunque vadit, ſuam ſecum portat perfidiam, quam infernus inſeparabiliter ſequi-
20. tur, eique annectitur. *Pones eos, ut Clibanum ignis in tempore vultûs tui*, dicit de Damnatis Pſalmiſta. Et hæc vox *Clibanum*, quæ ſignificat furnum portatilem, demonſtrat flammas illas infernales eſſe mobiles, nec loco, ubi ardent, ſed peccatori, cui debentur, affixas eſſe. Omnia hæc ſunt veriſſima. Attamen, ſi unquam peccatum ab inferno ſeparari poſſet, & ab una parte hoc turpe monſtrum, ab altera ingens illa flammarum vorago poneretur, hæc minus malum foret, quàm illud, ſatiúsque eſſet, ſi quis rectam ſequi velit rationem, in devoratricium harum flammarum ſinum ſe projicere, quàm in peccati amplexus ruere, eíque con-
ſi- ſentire. *Melius eſt, in Gehenna ſine peccato eſſe, quàm in Paradiſo, ſi fieri poſſet: cum peccato*, inquit S. Anſelmus. Ipſa Paradiſi cœleſtis vita pejor eſſet, quàm ipſa mors, ſi illuc peccatum intrare poſſet. Et hoc eſt, quod Sanctus ille ſenex Eleazarus tam generosè omnibus perſecutoribus ſuis, amicis, & adverſariis proteſtatus eſt, qui unanimiter congregati ipſum ad veri DEI legem violandam impellere
ı- conabantur. *Reſpondit citò, dicens:*
6. *præmitti ſe malle in infernum.* Non in foſſam, qualis eſt ſepulchrum, ſed *in infernum* dicebat. Notate, quæſo, hanc vocem, *citò*, quæ auro prævalet: *reſpondit citò*, vult dicere, non opus illi fuiſſe tempore ad deliberandum, *reſpondit citò.* Si aliquis vos interrogaret: an malletis à lacertuſa digitum, an à vipera morderi, an difficilis vobis foret hujus dubii determinatio? Eodem modo Sanctus ille Vir clariſſimâ imbutus peccati cognitione, ubi quæſtio agebatur de morte corporis, & de morte animæ, citò reſpondit, ſi etiam in æternum usque mori deberet, non tantùm levi, & tranſeunte morte, qualis eſſet illa, ſe jam tum paratum eſſe potiùs omnia tolerare, quàm unquam peccare. Hoc ipſum vos quoque diceretis, ſi bene hanc malorum abyſſum caperetis, in quam peccando animas veſtras præcipitatis. Videretis tunc id, quod atrocem reddit infernum, non eſſe pœnam, ſed culpam; & propterea Viri Sancti, DEI amantes tantopere formidant infernum; ita, ut S. Ignatius Societatis JEſu Fundator ſoleret dicere, id, cur infernum meditando timeret, non eſſe carcerem, non catenas, non flammas, non tenebras, non tormenta, non horribilem Dæmonum aſpectum, ſed eſſe odium, quo damnatorum animæ ardent in DEUM, blaſphemiáſque, quas continuò contra Divinam evomunt juſtitiam, quæ tamen æquiſſimam illas damnandi cauſam habebat.

XI. Et in veritate, malum culpæ velle comparare cum malo pœnæ, idem eſſet ac umbram comparare corpori. Pœna eſt umbra mali, non enim eſt ma-

lum absolutè, sed cum addito: *Malum naturâ*, sola culpa est absolutè malum, adeóque etiam est summum omnium malorum. *Non est malum puniri*, inquit S. Dionysius, *sed fieri pœnâ dignum.* Nullus latronum malus dicitur ob malum furcæ aut triremium, ad quas condemnatus est: malus vocatur, ob malum delictorum, quæ commisit. *Ex malo culpæ fit aliquis malus, non autem ex malo pœnæ.* Quo posito, Infernus non est propriè malum secundùm se, sed malum est, Divinorum mandatorum transgressione mereri infernum. Quare scitote, Charissimi, vos dum peccato consentitis, mortem adsciscere animabus vestris, id est majorem à summo bono separationem, quàm si condemnaremini, ut pro semper à Paradiso sine peccato separandi essetis; ita, ut minus pro vobis foret malum in infernalem rogum projici, & nunquam peccare, quàm peccare, & tam crudelibus & ardentibus flammis eximi, quibus peccatum punitur.

C. 4. de Divin. nomin.

S. Thom. 1. p. q. 11. ar. 6.

XII. Quæ res igitur in Mundo timeri debet, si tam horrenda mors, qualis est hæc, non timetur, quam veneno suo peccatum infert? Video omnes homines Puerorum cerebro carentium instar tantopere ficti cujusdam mali larvam horrere, solum autem & verum malum ne quidem sentire. *Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.* Audite, quid dicturus sim, certíque estote, me nihil amplificare. Si DEUS permitteret, sine limitatione tamen, ut non unus sed omnes Dæmones insurgerent contra vos, sicut contra Jobum, vobísque certatim tam in Anima, quàm in corpore, maxima, quæ in potestate illorum essent, malum accirent, singulísque tot, & tanta infligerent vulnera, quanta ipsorum rabies excogitare potest, Ajo, omnes simul non posse tantum malùm, támque sævam vobis inferre mortem, quantum est illud malum, illáque mors, quam vobis ipsis peccando adsciscitis: possunt quidem vos ad peccandum incitare, sed necessitare ad tantum malum non possent. Sed adhuc parum dixi: Ampliùs dicam, & sic adhuc meliùs dicam. Si Divina Justitia omnipotenti suo Gladio ictum Divino brachio suo dignum in vos vibrare vellet, non posset tota vi sua Animabus vestris, etiam illas annihilando, tantam inferre stragem, quantam vobis ipsis peccato consentientes infertis: non enim unquam positivè velle potest, ut vos peccatis, sed solùm permissivè velle potest. O igitur culpæ mortem verè crudelissimam & funestissimam! Quantum putatis triumphare Infernum, dum videt nos nobis ipsis tantum nocere, quantum ipse omni diabolicâ suâ malitiâ, licèt desiderent, non potest? *Vos ex patre Diabolo estis*, inquit Christus, *& desideria ejus vultis facere.* Vos peccatores infernalis estis progenies, qui protervâ & perversâ voluntate vestrâ, id contra vos ipsos efficitis, quod tota diabolorum invidia non potest, nisi tantùm cogitare & suggerere, ut vos in ruinam præcipitetis. *Mitte te deorsum*: nunquam autem vos ipsos suo impulsu præcipites agere.

Psal. 13. 5.

S. 7 1. 2 80.

S. 7 1. 2 99. in c

Joa 4

XIII.

XIII. Utinam ſaltem Mundus etiam Chriſtianus, non eſſet plenus tam deſperatorum animarum ſuarum Interfectorum! Vidit olim Synagoga unicum Saulem, non contra hoſtes ſuos, ſed contra ſeipſum proprio uti gladio; At quot cogitur hodiedum videre Eccleſia, qui magis licèt occultâ, ferociore tamen rabie, ſuo libero utentes arbitrio, non infernales ſuos transfigunt inimicos, ſed ut illis pareant, ſibi ipſis abominanda nece cor transfodiunt, quam quidem Dæmones ab ipſis deſiderare, ſed inferre non poſſunt; Utinam ſaltem tam tragici caſus dignis deplorarentur lacrymis! Sed quærendæ nobis ſunt cum Propheta lacrymæ; quibus tanta ſtrages defleatur. (n.) *Quis dabit oculis meis fontem lacrymarum? & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei.* Non eſt, qui in mortem Animæ, quia ſine fragore, ſine bombo infertur, dignetur, vel oculos reflectere. *Non eſt reſpectus morti eorum.* (.4.) Peccatores illam non deflent, quia mortui ſunt. Hinc illi ipſi, qui ob equi alicujus, aut canis interitum erant inconſolabiles, mortem animarum ſuarum non ſentiunt; neque ab aliis ex compaſſione valde deploratur: plurimi enim totum tenerioris affectûs luctum potiùs morti corporis impendunt; licèt illa vix mortis mereatur nomen. Mater illa, inquit, S. Auguſtinus, plangit videns filium ſuum à corrivalibus inimicis occiſum, at miſera non planxit, quando vidit illum malâ vita ſuâ animæ mortem inferre infame fovendo commercium, quo rivales iſtos concitavit. *Si Filius moriatur, plangit illum: ſi peccet, non illum plangit. Tunc erat plangendus, cùm pejùs mortuus luxurioſè vivèns, quàm moriendo luxuriam finiens.* In Pſ. 37.

XIV. Non ita pridem quidam vir nobilis uxore viduatus unicam habebat filiam, unicum Matrimonii ſui fructum. Cùm autem filia nimiùm vivax omni modo cum vicino quodam adoleſcente, converſari vellet, ſæpiùs à Patre fuit monita, & minis prohibita, ſed fruſtra. Et hoc ipſum vehemens eſt indicium, periculoſas adoleſcentum & puellarum converſationes eſſe, ſi appareat ab illis oportunas Majorum ſuorum correctiones parvi fieri. Si in febri acuta, iniquiunt Medici, æger ſurdeſcat, enimverò vincula pro eo ligando parentur; paulò poſt enim miſer delirabit, & in furorem agetur. *In acuta febri aures ſurdeſcere, furioſum.* Hipp. l. 2. choac. Quandò corrigenti reſpondetur: nihil hoc mali eſt: deſinite aures monitis obtundere: agam hac in re, quod mihi lubet. Affirmare licèt, hos amatores, ſi judicium adhuc non perdiderunt, ad illud turpiter perdendum jam in procinctu eſſe. In malo ſuo experta eſt infelix hæc puella, quæ, cum liberam hanc ſocietatem continuaret, eò devènit, ut honeſtatis ſuæ jacturam fecerit. Nec id negare potuit, rediens enim domum improvisò Pater, tale propriis oculis vidit Spectaculum, quod ne videret, maluiſſe carere oculis. Parum tunc abfuit, quin ſtricto pugione illatam ſibi à filia injuriam vindica-

dicaret: ſed iram temperans, ſtatuit moderatam, validiorem tamen ſumere vindictam. Quamprimùm igitur maleſanam domo ejicit, evulgátque inter vicinos filiam ſuam è vivis exceſſiſſe. Deinde domus parietibus famulíſque pullo habitu veſtitis, conſanguineos ad exequias invitat, allatóque feretro unà cum ſacrophago ſuper impoſito, itidem atrato ſumma cum doloris teſtificatione juſta exſolvit. Denique quandoquidem, inquit, unicam filiam meam mors mihi eripuit, ſtirpis meæ hæredem, neceſſe eſt, alium inſtituere. Condito itaque teſtamento bona ſua uni è conſanguineis ſuis proximiori relinquit, ídque animo tam obfirmato, ut cuivis deinceps pro miſera illa apud ſe intercedenti nil aliud reſponderet, quàm hæc verba: Filia mea mortua eſt, loquamur de alia re. O ſi Parentes ſæpius perdito pudori, filiarúmque ſuarum defunctis animabus tam utiles celebrarent exequias! Sed nulla earum ratio habetur! *Non eſt reſpectus morti eorum.* Nemo illarum curam habet. Si mortua clam ſepeliri poteſt, & publicatum exequiarum probrum vitari, ſatis eſt, ne quid illæ moleſtiæ patiantur.

XV. Dicerem plura, ſi non plùs æquo timerem, vos offendere: ſed proteſtor, me eos alloqui, qui me non auſcultant. Peſſimum eſt, ipſasmet matres ſæpiùs filiabus ſuis mortem inferre, ut propriæ utilitatis idolo eas
Pſ. 105. ſacrificent. *Immolaverunt Filias ſuas*
27. *dæmoniis, effuderunt ſanguinem innocentem, ſanguinem filiarum ſuarum; quas ſacrificaverunt ſculptilibus Chanaam.* Difficile videtur intellectu, quomodo Idololatrantes Hebræi ad tantam cæcitatem ſimul & crudelitatem devenire potuerint, ut teneras proles ſuas idolis Chanaam non ſolùm absque afflictione, ſed etiam ſummo cum gaudio immolaverint. Nihilominus nolite mirari. Diabolus, cùm vero DEO ſacrificium Abrahami invideret, conatus eſt, ùt inquit S. Auguſtinus, illud ſuperare, ſi plurima ſimilia ab hominibus obtineret. Quare fraudulenter illis perſuaſit, quòd ſi propter ſacrificium, ne quidem adimpletum, tantas à DEO ſuo Abrahamus impetrârit prærogativas, tantíſque excitatus fuerit promiſſis, multò plura illos à Diis ſuis ſperare poſſe, ſi effectu ipſo tam intrepido animo ſimilia ſacrificia offerrent. Et hoc eſt, quod hodiedum adhuc obtinet Diabolus. *Dæmoniis immolare cenſentur filias parentes illi*, inquit Lorinus, *qui malè educant: libidini exponunt, vel etiam proſtituunt.* Sed quomodo fieri poteſt, ut ipſæ Matres tantas ſtrages ſiccis oculis ſpectare queant, quas calidiſſimis lacrymis deflere deberent? Nulla alia cauſa eſt, quàm propriæ ſpes utilitatis. Sacrificant idolis Chanaam, hoc eſt, negotiationis. *Sculptilibus Chanaam.* Hæc dotem ſperat, illa munera exſpectat, alia affinitatem contrahendam credit, & ſic alacriter ſacrificant. Propria utilitas valde potens eſt ad lacrymas, etiam ob mortem chariſſimorum vel proximè conjunctorum cohibendas,

modò

modò ſperatum à nefando iſto ſacrificio ſequatur lucrum, parum refert. Moriantur, re ipsâ non una ſed centum animæ, quis hoc curat? Quid ſi etiam absque omni ſpe lucri quædam Matres permitterent, ut tam crudâ morte filiæ earum ab impudicitia interimantur? Attamen quoties hoc fieri ſolet? Quid cauſæ fuiſſet putatis, cur antiquæ Ægypti Matres ne quidem lacrymas funderent! cùm intelligebant, quemdam filiorum ſuorum in Nili littore à Crocodilo deprehenſum, & abſorptum fuiſſe? Ecce cauſam, quia cùm nimirum ſtultæ illæ matres occultam quandam his ſerpentibus crederent ineſſe divinitatem, putabant conſequenter etiam tanquam favores recipiendas eſſe interneciones, quæ à Diis proficiſcebantur. Neſcio, an ſatis me explicem. Nonnunquam quidam adoleſcentes Crocodilis ſunt monſtroſiores, petulantes ſunt, impudentes, effrenati, neque DEUM in Eccleſia, neque Majores ſuos domi verentur. Nihilominus, ſi quis talis ſubinde accedat ſolemnitatem publicam, etiam mater amore ipſius capitur, videtúrque in illo aliquid humano majus præ aliis regionis illius adoleſcentibus cognoſcere; quare quibuscunque etiam adverſantibus vult, ut domum ſuam intret, & licèt non ignoret, aut ignorare non poſſit, quam ſtragem adhuc innocenti inferat filiæ, nihilominus oculos non habet plangendi tanquam ſtragem, ſed potiùs animum habet, tanquam de magna gratia ſibi applaudendi. Sed relinquamus iſta, ad quæ neſcio, quâ indignatione abreptus ſum, quaſi hæc eſſent improbabilia, cùm tamen ſint veriſſima.

XVI. Chariſſimi mei, quid dicitis de hac mortis ſpecie, quam hucusque vobis demonſtravi, in cujus comparatione mors naturalis & infernus umbræ dici poſſunt? Erítne igitur poſſibile, ut vos ipſimet nulla neceſſitate coacti, ſed mera ex delectatione hanc velitis ſubire mortem? Non, ut grave aliquod imminens evitetis malum, ſed quia alteri quid indecens negare non vultis. Non, ut magnum aliquod ſubſtantiale, & permanens acquiratis bonum; ſed propter fumum aliquem lucri aut voluptatis, aut honoris, qui in momento evaneſcit? Quis unquam Lupus, aut Leo, quæ unquam Tigris, aut quæ unquam alia ſylveſtris fera inventa eſt, tam cruoris avida, ut ad ſitim reſtinguendam in ſeipſam deſæviêrit? Mementote, quæſo, cùm jam ad peccandum in procinctu eſtis, mementote, inquam, & intra vos dicitote: ſi pecco, occido animam meam; vitâ enim privo tam Divinâ, quàm eſſe ulla poſſit, vita, inquam, gratiæ, mortémque illi infero tam horribilem, quàm incurrere unquam & usquam poſſit, quæ eſt mors culpæ. Quomodo eſt poſſibile, ut in talem me præcipitem deſperationem? Mihíque ipſemet plus mali adferam, quàm totus Infernus in perniciem meam conjurans adferre queat?

XVII. Quòd ſi jam peccato conſenſiſtis, támque infelicem animæ veſtræ necem adſciviſtis, aliud facere

re non possum, quàm solùm illis Ec-
Eccl. 38. clesiastici verbis vos admonere: *Fili,*
16. *in mortuum produc lacrymas.* Abundantes quæso elicite lacrymas, ut tam magnam defleatis mortem, Sanctus Augustinus dicebat, neminem debere sine pœnitentia & lacrymis ex hoc Mundo abire. Nihilominus, si innocentes estis, ab his lacrymis vos eximo, sed mortis animæ à vobis plus sæpè illatæ Rei estis, pro quo justiores servatis lacrymas? *In mortuum produc lacrymas:* Has igitur producite; in hunc enim finem eæ à DEO vobis datæ sunt, ut stragem animæ vestræ peccato illatam deploretis. Sed non sufficiat vobis parum tantummodo flere; paucæ enim guttæ huic funeri non sunt proportionatæ. *Fac luctum secundùm meritum ejus.* Mortem animæ deplorate, quemadmodum vitæ illius perditæ meritum deposcit; quòd si Angeli sufficientes pro hoc planctu non habent oculos, nunc tam amarè pro vobis flentes, saltem imposterum vitam Gratiæ majori curâ custodite.
Agonizare pro anima tua, & usque Ecc.
ad mortem certa pro justitia. Si ne- 33
cesse esset, pro animæ vitâ salvandâ vitam corporis exponere, hanc etiam hilari animo profundite. Beata Mors, quæ vitæ immortalis esset principium; Attamen rarus erit casus, ut, ne peccatis, mori cogamini. Quamobrem viriliter pro conservanda animæ vitâ pugnate, quam nemo ulla vi vobis eripere potest. Si ea perdatur, vos estis, qui tentationi cedentes illam occiditis. Et vos illam velletis occidere, & quod videtur incredibile, etiam apertis illam occidere oculis? O quàm meliùs foret natum non esse, quàm ad mortem antiquo nihilo pejorem, sibi ipsi adsciscendam natum esse! *Bo-* Ma.
num erat ei, si natus non fuisset homo 26.
ille.



DISCURSUS XII.

Peccatum hominem etiam temporanea infelicitate Miserum facit.

I. Nihil infelicius est muliere viduâ; vix orbata est marito, statim quasi vitis, quæ fulcro privata in terram prolabitur, à quovis proculcatur Alius litem illi intentat, alius reddendis rationibus illam terret; hic exactionibus illam premit; ille fingit credita; alius alio modo illam vexat, affligit & minatur, hæc omnia patitur, quia deest, qui illam defendat. *Venite & non* Sap.
parcamus viduæ. O misera peccatoris 10.
anima! tu es illa derelicta vidua, tuo de-

destituta fulcro quod est DEUS. Verùm viduitas tua exiguam meretur compassionem; non enim naturæ necessitas, sed voluntatis tuæ malitia in æstimabilis conjugii tui nexum rupit. At vix ab excellenti hoc Sponso tuo separata es, quocum per gratiam unita eras, jam omnes contra te insurgunt, *dicen-*
76. *tes! DEUS dereliquit eum, persequimi-*
ni & comprehendite eum, quia non est, qui eripiat. Saltem ad malum tuum oculos aperito, & si non tristaris de Sponso perdito, saltem maximum damnum tibi cordi sit, quòd à tam fatali di-
n. vortio in te redundat. *Scito, & vide, quia malum & amarum est, reliquisse te Dominum DEUM tuum.* Quis scit, an non hoc minùs sublime, sed tamen magis sensibile motivum ad vos ab amore iniquitatis absterrendos vim habiturum sit.

II. David Propheta explicans damna, quæ peccator à malitia sua recipit, aliqua nobis tanquam vestem à qua circumdatur, & foris tegitur, quædam tanquam aquam nobis pro- ponit, quæ usque ad viscera intus pe-
08. netrat: *inducit maledictionem sicut vestimentum, & intravit sicut aqua in interiora ejus.* Quo vult significare, hominem ab aliquibus peccati effectibus in bonis externis affligi, quæ vestibus comparantur, & in totidem mala convertuntur. Ab aliis intrinsecè in bonis interioribus homini propriis, id est, vitam rationalem concernentibus cruciari, quæ aquæ comparantur, à qua non solùm vestes hominis in eam immersi tin-
14p. guntur, sed etiam interiora omnia
10. penetrantur.

I.

III. Incipiamus à primo, faciamúsque quasi fasciculum ex omnibus bonis externis, sanitatis, opum, honoris, dignitatis: ajo, hæc omnia à peccato eripi. Pro confirmatione hujus, quod dixi, quæro ex vobis, quis est, qui omnia hæc mala nunc dominantia in Mundum invexit? Profectò nemo alius, præter primi hominis, id est, Adami, peccatum. *DEUS fecit ho-* Eccle. 7.
minem rectum, & ipse se infinitis mi- 30.
scuit quæstionibus. DEUS fecit hominem Dominum sui ipsius, & Dominum omnium reliquarum creaturarum, ipse verò tam stultus rebellando contra DEUM, pacificam suam earum possessionem amittens millenis se intricavit libitis, quibus pro recuperanda illa subjacet. Si ergo Peccatum à principio fuit nefarius ille hostis, qui Mundum in exordio suo tam fœdè depopulatus est, séque quasi in fronte innumerabilium calamitatum exercitus collocat, quibus affligitur; eritne difficile vobis judicare, consequenter ab ipsomet peccato omnia mala in privatas familias vestras introduci posse; Jam scitis, quodvis peccatum actuale eosdem proportione quadam in peccatore operari effectus, quos originale in genere humano produxit, quod jam sæpiùs dixi. Ideóque sicut pec- S. Thom.
catum originale non solùm animæ 2 2 q.
damnum intulit, eam privando gra- 164. ar.
tiâ, sed etiam corpori, mori illud, 1. 2.
morbis, laboribus, doloribus & paupertati subjiciens, sic peccata actualia non solùm in bonis spiritualibus, sed

ſed etiam corpus in temporalibus affligunt.

IV. Hæc eſt igitur veriſſima omnium miſeriarum noſtrarum origo; licèt homines tam turbidi hujus Nili fontes nolint inquirere, qui tanto calamitatum gurgite terram noſtram inundat. Nos malorum noſtrorum cauſam modò huic, modò illi imputamus; vicinis, qui nos oderunt; conſanguineis, qui nobis invident; Dominis, qui inſidias nobis tendunt; Dæmoni, qui nos perſequitur; & quando aliud dicere non occurrit, incuſamus fortunam, quæ unquam extitit, nec unquam alibi, quàm in ſtultorum cerebro extabit. At omnium calamitatum noſtrarum cauſa non eſt aliud, quàm peccatum. *Juſtitia elevat Gentem*, DEUS eſt, qui loquitur, *miſeros autem populos facit peccatum.* Quando in aliquo Templo, in quo propter ſolennitatem magnus eſt hominum concurſus, trudimini, & vix non ab hominum multitudine obruemini, ei qui vobis vicinior eſt, indignamini, ſed non absque injuriâ. Non enim vicinus ille vos trudit, & premit, ſed à remotioribus ille impellitur & truditur, ut & ipſi locum habeant. Ipſe aliter facere non poteſt, trudit, quia truditur, pellit, quia pellitur. Ita & nos immeritò de calamitatibus noſtris dolemus, & querimur. Egeſtas, lites, calumniæ, contumeliæ, morbi, bella, grandines, annonæ caritas, peſtis non premunt; quia illæ quoque ab indomabilis iniquitatis noſtræ impetu contra nos concitantur. *Miſeros facit Populos peccatum.* Iſta maledicta peccata impellunt tam gravia contra nos mala, quemadmodum alias Respublicas Regna & Monarchias everterunt, an putatis, illis eſſe difficile privatam aliquam domum proſternere? At ignari peccatores interim primæ omnium malorum ſuorum originis non recordantur. Chariſſimi, introducite pietatem, & religionem in domos veſtras, ſimúlque omnia bona introducturi eſtis; ejicite iniquitatem, omniáque ſimul mala ejecturi eſtis. *Juſtitia elevat Gentem, miſeros autem facit Populos peccatum.*

Prov. 14. 34.

V. Nicephorus refert in ſua hiſtoria, Phocam Imperatorem cùm videret, ſummo omnibus ſe eſſe odio, ut vitæ ſuæ conſuleret, Palatium ſuum velut caſtrum muniviſſe, & quibuslibet inſultibus inexpugnabile reddidiſſe. Verùm dum erigerentur muri, magnóque fervore deſtinatis vallis & foſſis perficerentur, nocte concubiâ vox hæc terribilis à mari allapſa eſt: Ceſſa, ceſſa ab opere, quod meditaris, Imperator: *Si vel ad cœlos muros educas, intus cùm ſit malum, urbs captu facilis eſt.* Atque ita factum eſt. Eodem quippe die, quo fabrica eſt abſoluta, capitur Imperator, vitáque & Regno exuitur; propriis doctus calamitatibus, non alium magis cavendum eſſe hoſtem, quàm peccatum, utpote generale totius Univerſi excidium.

VI. Verùm hic obſervare oportet pro majori tantæ veritatis intelligentiâ, non ſemper peccatum admiſſum imme-

immediatè suam sequi pœnam. Imò licèt pœna sit umbra culpæ, non tamen in hoc naturam umbræ imitatur; quia communiter longiùs distat à cor-
14. pore, à quo producitur, *Signâsti quasi in sacculo delicta mea*: inquit Sanctus Job. DEUS non semper numeratâ solvit pecuniâ, sed plurima in librum creditorum refert. Peccata singula in saccum reponit, mensuráque completâ, de omnibus deinde pœnas sumit. Quòd si enim in omnibus aliis operibus suis, Divina providentia non solùm pondus, numerum & mensuram
11. servat, juxta illud: *Omnia in mensurâ & numero & pondere disposuisti*; quis audebit affirmare id ab ea in puniendo non etiam observari? Sanctus Augustinus hanc velut indubitatam tenet veritatem, vúltque tam in plurimis Scripturæ locis à DEO ipso doceri, præsertim tunc, quando Abrahamo pro posteris suis promisit Palæstinam, ita tamen, ut non citiùs eâ potirentur, quàm Amorrhæi (completo peccatorum suorum numero) post quadringentos annos tam opulentâ regione spoliari mere-
15. rentur. *Necdum enim completa sunt iniquitates Amorrhæorum.* Quod adhuc clariùs ostendit Christus in Evangelio, dum excidium Hierosolymitanum prædixit, subjunxitque non quasi præciperet, sed quòd permitteret: *Et*
3. *vos implete mensuram Patrum vestro-*
3. *rum.* Quasi diceret, tantummodò complete peccata, quæ adhuc desunt peccatorum numero in avis vestris, ut ultimum attingant terminum, quem vindex DEI Justitia expectat. Neque ideò numerus iste semper est æqualis. Sed DEUS nonnullos statim in peccati admissi principio, alios in medio cursu, alios ne media quidem scelerum abominandorum completa parte castigat. Et hoc ipsum de pœnis publicis dicendum est. Aliquando longissimo tempore DEUS civitatem quandam, populum, Provinciam exspectat, nonnunquam etiam in perversitatis initio peccantes arrepto flagello percutit, quomodocunque res accidat, seriùs sive citiùs pœna sumatur, nihilominus semper peccatum illius causa est, sive prolongetur, sive veloci aut lento passu infligatur. Non statim quia perforata est navis, submergitur. sed postquam aquâ repleta est, fundum petit: nihilominùs propter foramen, quod in carina patet, submergitur. *Miseros facit Populos peccatum.* Quamobrem si Prophetam interrogaveritis, quid sit Divina Justitia, respondebit, esse virgam oculis refertam, ut super peccatores vigilet, omnésque illorum iniquitates numeret, minutímque modum, tempus & pœnæ mensuram observet. *Virgam vigilan-* Jerem.
tem ego video. Stolidi peccatores sibi 1. 13.
persuadent, DEUM dormire, nec quia tardat, unquàm punire; sed exspectent solummodo, certò enim veniet. *Si moram fecerit, exspecta il-* Habac.
lum, quia veniens veniet, & non tar- 2. 3.
dabit. Quod si aliquando tardet, tantò graviùs ejus adventus sentietur. Sagittarius quando diutiùs tensum tenet arcum, tantò animosiùs, deinde excutit sagittam.

VII. Interim vel inter ſtellas calamitatum noſtrarum origo indagatur. In cœlo ajunt, eſſe domum mortis, conſtellationeſque benignas à malignis diſtingui. O ſtultos homines, qui non DEO, ſed potiùs aliis deceptioribus credunt, aut ſaltem deceptis! Ecce veriſſimam Theologiam. Stella maligna eſt peccatum. *Cecidit de cœlo ſtella magna, ardens quaſi facula*, inquit S. Joannes, *& nomen ſtellæ dicitur Abſinthium.* Aptiſſimè iniquitas vocatur ſtella abſinthii, ut nobis ſignificetur, ſtellam tam horrendam in aëre accenſam, ſuam habet originem, aut ut meliùs dicam, ſuas radices hic in terra, è cujus vaporibus in altum ſublatis illa formatur; non ideò tamen quidquam de ſtella, præter ſolam apparentiam, non aliter ac cometa, retinet, cùm ſit aliquid pœnæ tam temporalis, quàm æternæ refertiſſima. Quare ſi me interrogetis; ecquando tandem tribulatio domum veſtram ſit invaſura? Reſpondebo, quamprimum præfixa peccatorum veſtrorum menſura completa fuerit. Poſtquam Carolus VII. Rex Franciæ Regnum ſuum à ſubjectione Angliæ Regis liberavit, Centurio Anglicanus navim conſcendens in patriam rediturus, per ludibrium à Gallo quodam interrogatus, quando rediturus eſſet? prudenter reſpondit: quando peccata veſtra noſtris erunt majora. Quòd ſi ex me quæſieritis, quando afflictio, jam premens domum veſtram, ſit migratura, omnéſque ſecum infirmitates, diſcordias, diſſenſiones, támque pertinaces contentiones ablatura, & ego dicam, quando peccatum inde migrabit? *Miſeros facit populos peccatum.* Chriſtus Dominus interrogatus à Sancta Brigritta, an unquam Chriſtiani loca Sancta à Saracenis occupata, ſint recepturi? reſpondit, tunc ea recuperanda, quando Saracenorum peccata erunt peccatis Chriſtianorum graviora. Ita profectò ſe res habet. Attamen homines hoc ſibi non perſuadent, putántque peccatum tanquam catellum Melitenſem in ſinu fovendum eſſe, cùm in veritate ſit Monſtroſus Draco, terram innumeris devaſtans ſtragibus.

VIII. Sed quid neceſſe eſt, ut pluribus hanc veritatem demonſtrare coner, cujus claritas paſſim in Scripturis Divinis elucet? Hæc enim omnium tam publicarum, quàm privatarum calamitatum cauſa, communiter peccato in ſacro Codice imputatur. Siccitates, ſterilitates, annonæ difficultates, non à malevola Saturni conſtellatione, ut quidam ſibi imaginantur, nec à malefico Meduſæ capite, ſed ab obſtinata peccatorum malitia proficiſcuntur. *Poſuit terram fructiferam in ſanguinem à malitia inhabitantium in ea.* Pſ. Vera igitur Regnorum ruinæ cauſa, diſſentionúmque, & devaſtationum Provinciarum, inde ſequentium, non in quinto cœlo quærenda eſt, nec illarum auctor Mars incuſari debet, qui culpâ vacat; in terris illa inter injuſtitias, à quibus hodie tantopere pervertuntur tribunalia, indaganda eſt; inter irreverentias, quæ adeò in Templis increbeſcunt, inter invidias, quæ Aulas pervertunt, inter nimia onera, quibus pauperes ubique

?. 2. que opprimuntur. *Regnum à gente in gentem transfertur propter injustitias, & injurias, & contumelias, & diver-* ch. *sos dolos.* Si Populus Christianus *in via* 1. *DEI ambulâsset, habitâsset utique in pace sempiternâ.* Sic quæ similiter plurimorum immaturæ mortis est causa: Impietas illorum est, inquit Salomon: *Timor Domini apponit dies & anni im-* 7. *piorum breviabuntur.* Sanctus Tobias Senior montem congerens omnium calamitatum, ignominiarum, decisionum, oppressionum, devastationum, & internecionum, exiliorúmque totum hunc miseriarum cumulum peccato tanquam unico auctori attribuit. 5. *Quoniam non obedivimus præceptis tuis, ideò traditi sumus in direptionem & captivitatem & mortem, & in fabulam & in improperium omnibus nationibus, in quibus dispersisti nos.* Quid jam desideratis amplius? Solùm vigesimum octavum caput Deuteronomii legite, invenietisque DEUM tot sagittis statuisse persequi hoc peccati monstrum, quot possibilia sunt in hoc Mundo mala. Si audire nolueris vocem Domini DEI tui, inquit Moyses, ut custodias & facias mandata omnia ejus, percutiet te Dominus, morbis, fame & egestate, ardore & æstu, aëre corrupto, & rubigine. Tradet te Dominus corruentem ante hostes tuos in derelictionem, & contemptum. Maledictus eris in civitate, maledictus in agro, maledictum horreum tuum, maledictæ reliquiæ tuæ, maledicta uxor tua, maledicti filii tui, &c. Omnes istæ maledictiones venient super te, conterent, unguibúsque apprehensum tenebunt, donec instar tot tigridum te dilanient. *Et venient super te omnes maledictiones* Deut. 28. 45. *istæ, & persequentes apprehendent te, donec intereas.*

IX. Quid dicitis ad hæc, Charissimi, aut si non vos, quid pro vobis dicturi sunt increduli? Dicent, hæc esse verba comminatoria, quibus DEUS tantùm simpliciter nos terrere, non verò punire velit? Sed hoc cum veritate affirmari non potest, cùm DEUS loquatur de rebus præteritis, de suppliciis jam sumptis, de stragibus jam editis, quorum causam ait esse peccata ab hominibus commissa, quemadmodùm ostendit, & adhuc in centenis Scripturæ locis ostenderem, si per tempus liceret. Dicent fortassis; minas has esse, quibus antiquæ legis, quæ timoris & servitutis erat Lex, cultores DEUS terruerit: Legem novam gratiæ & amoris esse. Neque etiam hoc asserere licet, siquidem Christus ipse in Evangelio suo, antequam infirmos sanaret, prius ordinariè illis peccata sua condonabat. Sic à peccatis prius Pa- Luc. 5. ralyticum è lecto dimissum absolvit, 18. aliúmque famosum illum triginta annis languentem. *Vade noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Et Sanctus Paulus Apostolus primus Evangelii interpres clarissimè protestatur, morborum incurabilium, funerúmque immaturorum causas, quæ Corinthii experiebantur, illorum fuisse sacrilegia, quibus multi illorum indignè Sacram Eucharistiam sumebant. *Ideò inter vos multi infirmi* 1. Cor. 11. *& imbecilles, & dormiunt multi.* Et 30. adhuc verbis magis generalibus ad

Romanos ſcribendo, ita loquitur. *Tribulatio & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primum & Græci. Gloria autem, & honor, pax omni operanti bonum, Judæo primum & Græco.* Ubi advertere debetis, eum Iſraëlitas in uno alteróve capite Gentilibus pejores judicâſſe; in adverſitatibus illos pejores judicavit, ſi erant culpabiles; peccabant enim magis ſcienter, ideóque graviùs (ſalvâ quoad cætera proportione) quemadmodum jam delinquuntur Chriſtiani. Pejores quoque judicavit in conſolationibus; quia ipſis erant factæ promiſſiones; alii verò in pœnis illorum ſuccedere debebant. Quodſi ita ſe res habet, quid dicturi ſunt infideles ad hunc meum loquendi modum? Dicent, ſi DEUS olim in puniendo peccato tanto uſus fuerit rigore, cur jam ab eo abſtinet? Metuo, ne iſti ad defendendum mendacium blaſphemiam proferant, & perinde, ac DEUS non amplius tantopere averſetur peccatum; aut quòd regimen hujus Mundi, adminiſtrationémque pertæſus, tandem laxârit habenas, ita ut, quo quisque velit modo, vivat.
Eccl. 7. 1. *Noli facere mala, & non te apprehendent*, inquit Eccleſiaſticus: *diſcede ab iniquo, & deficient mala abs te.* Si non fuerint inter nos peccata, neque etiam pœnæ erunt.

X. Quàm igitur omninò inſenſati ſunt illi Chriſtiani, qui ut bonum propoſitum aſſequantur, malè facere, tanquam medium putant, neceſſe eſſe! Quàm delirant illi, qui lucris iniquis ſuas cogitant augere facultates! quàm longè aberrant à recta ratione mulieres illæ, quæ impudicis commerciis familiam ſe putant ſuſtentaturas! Hoc eſt cum ſtultis venenatis unguentis velle mederi vulneribus. Audite rem, quæ non ita pridem accidit, ex quâ hæc veritas manifeſtè demonſtratur. Maritus quidam re omni familiari decoctâ, poſt mortem viduæ uxori, præter filiam elegantioris formæ, nullam aliam hæreditatem reliquerat. Cum hac convenit Mater propoſitâ illi quodam die utriusque vivendi, & veſtiendi inopia, aliud non ſupereſſe remedium, quàm hominem quærere, qui ſumptus neceſſarios ſuppeditet. Ad hanc Matris propoſitionem tam mente capta fuit filia, ut Matri aſſentiretur. Quare infelix Mulier filiam ſuam pellicem viro nobili dedit, hac ſpe fretâ, fore ut is utramque aleret, filiæque, ubi aliquando ſuam libidinem explêſſet, congruenti dote provideret. At videte manifeſtam DEI punitionem. Nobilis oblationem acceptat, jámque filiâ, in poteſtate ſuâ poſitâ, ajebat, operâ Matris ſe nullatenus indigere, itáque domo ſua illam ejecit. Quare miſera has inter anguſtias deſperans proſtitutis mulieribus ſe aggregavit, & poſt aliquod tempus, quaſi in ipſo nefarii quæſtûs actu ſubitaneâ morte extinguitur. En Matrem jam perditam corpore, & animâ. Non multò felicior fuit filia. Hæc poſtquam aliquot annis in concubinatu vixiſſet, famulo domeſtico, ſed ſine dote, ab Hero uxor data eſt, atque

ita

ita execrandi commercii sui abominationem adulterio auxit. Interea Eques ille infirmatur, vidénsque se ad extrema deductum, miseram ad lectum vocat, eámque sic alloquitur: Audi cùm perditionis tuæ causa fuerim, saltem in extremis meis rebus tuis consulam. Vade, accipe hanc clavem, eáque illam cistam aperito, & ex ea tantum pecuniæ, quantum tibi placet aut pro dono, aut pro dote, aut pro mercede obsequii mihi præstiti accipito. Macté animo: adest tandem aliquando tempus, quo fœmina iniquitate obstetricante opulentis facultatibus potitur. Ita vos existimatis; verùm audite jam eventum. Accedit misera cistam, sed jam à consanguineis effractam invenit, qui ut fieri solet, magis de moribundi facultatibus, quàm de personâ soliciti, magnam hæreditatis partem, cum tota reposita pecunia vasísque argenteis jam subduxerant animâ interim ipsius omni destitutâ in Diaboli potestate derelictâ. Hoc ipsum facinus tantum effecit, ut miser Eques, ubi illud cognovit, ante tempus diem suum obiêrit; In majorem enim adactus desperationem anticipato in se inferni pœnas sensit, quas paulò pòst subire incœpit. Et ecce, vix mortuus fœminæ apparet eíque disertè ait: Ego damnatus sum: Maxima est, quam patior, pœna, plùs tamen duo præcipuè peccata me cruciant. Primum est, quòd illi datâ operâ matrimonio te junxerim, qui te sustentare non poterat; ita ut nunquam è manibus meis elabi posses. Alterum est, quod meâ culpâ, cùm esses honesta virgo infame facta sis prostibulum. His dictis, disparuit; an autem saltem aliquo cum fructu animæ illius miseræ, ignoro. Hoc scio, eam non multò pòst tempore propter consuetum fucandi, & comendi excessum ingenti capitis dolore prostratam fuisse, eóque consumptam in juventutis flore paleæ incubantem exspirâsse, octo prolibus ostiatim stipem colligentibus post se relictis. En igitur pulchrum illud lucrum, quod peccato acquiritur: ecce divitias, quæ ipsius favore colliguntur; En levamen, quod familiæ præstatur! Si filia hæc misera, illámque mater multò miserior, DEO confisæ fuissent, & primo loco (sicut ille præcepit) & regnum cœlorum, illiúsque justitiam nec non gratiam ad hanc impetrandam quæsivissent, opportunam illis DEUS opem attulisset, & præter Animæ innocentiam etiam corporis sustentationem procurâsset, quemadmodum plurimæ ipsis multò sapientiores experiuntur; ut omnes agnoscant, veram utilitatem & profectum ex timore DEI colligi debere: *ut videant omnes, quia bonum est obsequi Sancto DEO.* Eccl. 49. 12. Verùm quia non confidentes DEO, eóque contempto, impraevaricatione mandatorum ipsius proventus suos stabilire voluerunt, idem evenit illis, quod Hebræis; qui, cùm, ut rempublicam jamjam cadentem servarent, Christum interfecissent, utrumque perdiderunt. Culpâ suâ perdidere Messiam, & in pœnam eidem culpæ

 debi-

debitam Regnum amiserunt. *Temporalia perdere timuerunt, Regnum DEI non cogitaverunt, & sic utrumque amiserunt.* Inquit Sanctus Augustinus.

XI. Video nihilominus nonneminem inter vos movere caput, & intra se mussitare: De hoc quod his, quorum meministi evenit, non dispute: attamen hisce temporibus nemo feliciùs vivit, quàm qui pejus. Sum, inquit ille, homo inops, & quia vaco rebus meis, omnes me persequuntur: insolens ille, quia cunctis facessit negotium, ab omnibus etiam respicitur. Sum, inquit illa, mulier honesta, & licèt dies noctésque laboribus impendam, nihilominus cum rabida fame, non amore jejunii, sed necessitate coacta, luctari cogor: econtra illa maleferiata, viciniæ totius scandalum, non solùm necessariis abundans, & viro & familiæ de mediis ad vitam sustentandam providet, sed etiam cognatorum plurimos nutrit. O blasphemias, nescio an mendaces magis, an sacrilegas! Sacrilegas dico, quia ipsam Divinam feriunt providentiam; mendaces sunt, quia peccatum felicitatis authorem præsupponunt. Ad hoc duo repono responsa, quæ bene apprehendatis velim, cùm hodierno Discursui plurimum addant momenti.

XII. Primò itaque absolutè nego, verum esse, eum, qui malè agit, semper, prosperâ uti fortunâ, aliàs enim ordine inverso tota sacra Scriptura legenda esset, quæ continuò attestatur contrarium; semperque nobis prædicat Calamitates esse sagittas in solâ & unicâ peccati officinâ excusas. *Mors*, Eccl. 39. inquit Spiritus Sanctus. *Sanguis, contentio, oppressiones, fames & contritio & flagella super iniquos creata sunt.* Non quòd similibus flagellis etiam quandóque Justi non percutiantur; sed quòd aut non tam sæpè, aut tantùm per accidens percutiantur, id est, quia inter malos habitant, quemadmodum grana tritici inter zizania maturescunt; verùm non ex primariâ intentione puniuntur, quasi propter illos hæc mala Mundus subire cogatur. Sæpè etiam turres, & consecrata DEO templa à fulmine impetuntur. Sed an non sæpius illæ ipsæ nubes, è quibus coagulatur, horrendo fragore diffringuntur, dissipantúrque? Quod si turris aut templum, aliquod fulmine tangatur, omnes stupent attonitíque hærent, eò quòd rariùs hoc fieri soleat. At quando nubes, è quâ formatur fulmen, dirumpitur, nemo miratur, cùm naturæ sit conveniens. Idem prorsus contingit in casu nostro. Si Justus aliquis adversis exercetur, nemo non intelligit, id præter ordinariam contingere legem; At si impius illa sustinere cogitur, nemo compatitur, non nesciens justum esse, ut quæ quis malè commisit, justè luat. *Impietas impii erit super eum.* An non Ezech. 18. advertitis, DEUM, ut peccatum omnium adversitatum frontem demonstraret, admirabilem quandam sæpius peccatum inter & pœnam voluisse proportionem esse, sicut est inter causam, & effectum? Non ignoratis totum mundum universali conspurcatum fuisse impuritate. *Omnis quippe* Gen. *caro*

caro corruperat viam suam: Ecce igitur ad universalem hanc generis humani immunditiam eluendam, universalissimam quoque DEUS misit ablutionem. Post tam horribile supplicium quinque civitates adhuc audent non solùm contra pudicitiam, verùm etiam modis naturæ omninò contrariis luxuriâ suâ DEI iram in se provocare. Et ecce supra illas ignis è cœlo delabitur, & ad impios hósce naturæ profanatores, ipsum elementum naturam mutat, non ab inferioribus ad superiora, sed à superioribus ad ima descendens. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ obedientiæ se subtrahunt Græci, Spiritum Sanctum in cœlis, Romanúmque Pontificem JEsu Christi in terris vicarium negantes. Et ecce ipsa Sancti Spiritûs festiva luce Constantinopolim expugnant Turcæ, indignæque servitutis compedibus constringunt superbos illos, qui debitæ veritatis subjectioni se opposuerant. Sed hæc aliáque plura proportionis exempla, quæ pœnam inter & culpam adduci possent, plùs quàm unius auditorum meorum superant capacitatem. Quare talia adferamus, quæ omnes intelligunt. An non communis est apud vos paræmia, farina diaboli tota in furfures abit? An non quotidiano in sermone dicere soletis, & à malè partis propriam substantiam devorari? Non dubito, plures à vobis mihi posse recenseri casus (quales fortè alicui è vobis contigêre) ut ex lucris injusto titulo acquisitis multi non aliud retulerunt, quàm quod columba ex aquilinis plumis sibi innexis, hoc est, suiipsius ruinam. Quot audivistis, & novistis ab aliis ferro interemptos, qui priùs alios occiderant? *Qui gladio ferit, gladio peribit.* *Albert. Ap. Alde. Ora. te. 1. l. 1.* Quid communius in omnium versatur ore hoc celebri dicto? An non etiam vos ipsi dicere soletis, uxorem furis non semper lætam exhibere frontem? fraudem deceptoris plùs nocere deceptori quàm decepto; stultos hilaria instituere, sed sapientes iidem gaudere; prædâ alterius unguibus ereptâ nunquam impunè vesci raptorem. Sed quid hujusmodi significare volunt paræmiæ? Significant similia sæpissimè accidere; non enim in hoc fundantur proverbia, quòd solùm semel, aut iterum fieri solet, sed in iis, quæ sæpiùs contingunt. *Proverbium, probatum verbum.* Et in veritate quot vos ipsis novistis familias, quæ aut propter falsum juramentum præstitum, aut propter fraudulentam litis contestationem, aut propter pia legata non adimpleta, ad incitas redactæ sunt? & quot prostitutæ vitæ mulierculas post juventutis annos in vitiorum cœno transactos, vidistis tanquam uvas à torculari expressas, tandem in fimo putrefactas esse? Hæc & similia oculis vestris intuemini, summámque cum Divinæ providentiæ admiratione etiam aliis recensetis. At nihilominus tam cæci estis, ut dicere non erubescatis, *propter acquirenda bona oportet facere mala.* Certi Populi in Lybia olim tam erant stolidi, ut inter se non contraherent matrimonia, sed omnibus communes essent mulieres. Quare ut refert Aristoteles,

Pol. l. 2. c. 12. les, ut filios unius ab alterius filiis dignoscerent, formam inspiciebant, & secundùm faciem, quam variè in hoc aut illo observabant, illi, cui similiores erant, eos assignabant. Quòd si imposterum adhuc aliquis adeò mente captus inveniretur, qui sibi persuaderi non sinat, pœnam pro Patre suo habere peccatum, unus alteriúsve formam invicem conferat, & ex similitudine ingenti, quam statim inter illas agnoscet, sententiam ferat.

XIII. Nunc alterum magis infallibile, & illimitatum do responsum. Fateor, in hoc Mundo sæpè prosperâ malos, & adversâ bonos uti fortunâ. Sed quid inde infertis? Putatísne forsan impios propter commissa à se mala abundare bonis, Justósque ob bona, quæ operati sunt, tot malis exerceri? O quantum hallucinamini! Hæc est immensa DEI bonitas, inquit S. Augustinus, hæc est infinita ejus Justitia. Non vult vel unicam actionem bonam suo carere præmio, nec ullam actionem relinqui sine pœna. Quoniam verò, vix ullus est tam sceleratus, qui non aliquando parum aliquid boni operetur, ideo parum illud boni felicitate temporali in malis hominibus repertum præmio afficit; nec non etiam parum illud mali, quod in bonis apparet, adversitate temporali castigat. *Fili*, respondebat ab alto Abrahamus Epu-

Luc. 16. 25. loni, *Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala.* Num bene intellexistis? non illi dixit, *accepisti*, sed dixit, *recepisti*. Quasi nec epulo in vita sua aliquid boni; quo fruitus est, habere debuisset, neque Lazarus illo affligi malo, si non aliquod bonum opus in Epulone remunerari, ut iniquitatem aliquam in Lazaro punire DEUS voluisset. *Ecce enim dum dicitur: recepisti bona in vita tua, indicatur & Dives iste boni aliquid habuisse, ex quo in hac vita bona receperit*, (quemadmodum doctè expendit S. Gregorius) *rursúmque dum de Lazaro dicitur, quia recepit mala, profectò monstratur, & Lazarus habuisse malum aliquod, quod purgaretur.* Verissimum est, Turcas etiam temporibus nostris multorum Regnorum ruinis suum auxisse Imperium; verùm etiam adhuc diebus nostris infensissimi sunt deliciarum, ebrietatis, & adulteriorum hostes. Hoc est illud bonum, quod tantâ victoriarum copiâ DEUS temporaliter remunerari voluit; eodem modo, quo, ut sentit Sanctus Augustinus, majoribus etiam victoriis, majorem olim Romanorum sobrietatem, justitiam & fidelitatem primis illis temporibus remuneratus est. Sic impudica illa mulier, vir ille iniquus quandoque aliquod bonum opus faciat, pauperibus promptam largiuntur eleemosynam; aliquas recitant preces; diem Sabbathi colunt Jejunio, & si non aliud faciunt, saltem diebus festivis comparent in Ecclesia. Et hoc est illud bonum, quod DEUS suo non vult privari præmio, secundùm illud: *seminanti justitiam merces fidelis.* Et Prov. 11. quia bonum est apparens non reale (cùm in gratia factum non sit) apparente & non solida illud prosperitate,

rependit, qualis est mendax hujus mundi felicitas. Cúmque non ignoret, miseros hósce in igne æterno tandem arsuros, ut debitis suis in vita absque timore ullo contractis absque remissione ulla satisfaciant, ideo parum hoc solatii anticipato illis concedit, antequam fatalis illa dies tanti luctus principium adveniat. Non nego igitur, peccatores hoc præsenti tempore frui bonis, sed non tanquam peccatores, aut propter peccatum illis fruuntur, propter quod solum pœnas dant, aut daturi sunt; gestiunt, sed velut latro jam ad restim condemnatus. Videmus primarios urbis è nobilitate Viros illi servire, consolari, confortare, lautam præparare cœnam, nec sine magno suo labore per vias publicas ad supplicii locum comitari; illum etiam medium velut Dominum circumdare. An hoc ideo honoris illi & solatii exhibent, quia homicida est? Quia sanguinem fudit? Quia in viis publicis alios expilavit? Quia viatoribus terrori fuit? minimè profectò: hoc Christiana charitate impulsi faciunt, quià proximus illorum est. Quare tanquam homini serviunt, & assistunt, & tanquam latro in furcam agetur, inque quatuor partes infame corpus secabitur. Eodem modo sceleratum illum aut facinorosam istam Divina Misericordia consolatur, confortat & honorat, non quasi tales, sed velut creaturas suas, non propter malum illud, quod operati sunt, sed propter parum illud boni, quod inter hæc mala tantisper fecerant, dum interim justitia tanquam Divina honoris furibus jam in inferno supplicium præparavit. Quid nunc igitur dicitis? an propter boni alicujus lucrum oportet facere malum? an nescitis, quàm absona, & mendax sit hæc propositio, quia si DEUS etiam boni operis umbram in malis hominibus præmio afficit, quantò magis opera verè bona remunerabitur? Semper oportet abstinere à malo, si enim DEUS tantopere leviores culpas punit in justis, quantas non exiget pœnas ab impiis ob tot & tam enormia illorum flagitia; De cætero receptissima est Sancti Thomæ Doctrina, quâ hoc primum punctum absolvo: DEUS tot Justis bona confert temporalia, quotquot novit illis ad ultimum finem, id est animarum suarum salutem consequendam esse proficua. *Tantum dat DEUS viris justis de bonis temporalibus, quantum eis expediet ad perveniendum ad vitam æternam.* Quæ doctrina illi Sancti Davidis oraculo est conformissima, ubi inquit, *Timentes Dominum, non minuentur omni bono*; non dixit, *omni re*, sed dixit, *omni bono*, quidquid enim DEUS Justo alicui ultra salutis suæ utilitatem conferret, non simpliciter illi bonum sed malum esset. Si illi utile esset, à DEO non negaretur; præsertim si modo debito peteretur, cùm jure merito non tantùm in futurâ, sed etiam in præsenti vitâ, bonis omne bonum, malis omne malum debeatur. *Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est & futuræ.* Et quemadmodum illi

S. Thom. 1. 2. q. 114. a. 10.

Tim. 4. 7.

illi, quem DEUS amat, non plùs confert boni, quàm quantùm ei ad ultimum finem consequendum necessarium est, sic etiam non plus permittit, illi evenire mali. Omnia dat ad mensuram, sicut Medicus præbet medicinam; nulli plus offert, quàm necessitas requirat. At cum impiis aliter se res habet. His mala in pœnam infliguntur; quod si ita est, etiam sine mensura immitti possunt, cùm nunquam tanta sint in terris mala, quibus majora non meteatur peccatum. Quo posito, quid vobis videtur? An non, ut bene vobis sit, magis prodest esse justos, quàm impios?

S. Thom. 2. 2. q. 87. a. 7. & 8.

S. Thom. 1. p q. 114 ar. 10. ad 3.

XIV. Ecce igitur, an non verum est, peccatum esse furem illum qui quovis tempore omnibus nos privat extrinsecis naturæ bonis. Sed posito, quòd etiam omnia illa nobis relinqueret, quid prodesset, dum nobis aufert intrinseca? At hæc illa ipsa sunt, quibus potissimum nos privat, auferendo, id quod adeò proprium est hominis, id est, juxta rationem, & non secundùm passiones vivere. Non est pulchra nuptiarum solennitas, licèt domus sit pulchra, pulchrum convivium, pulchrum famulitium, pulcher apparatus, pulchræ vestes & gemmarum ornatus, ubi Sponsa fuerit deformis; deest enim, quod est optimum in pulchritudine. Eodem modo, licèt peccator sit nobilis, dives, honore & authoritate conspicuus, sanus, milléque abundet deliciis, si interea titione nigriorem, asino viliorem, ipsísque bestiis magis bestialem animam habeat, quâ ratione felix dici potest? Jam lumine rationis peccatum consideremus. Verum bonum, verus honor, verum aurum est illud, quod infragibilibus caducorum corporum nostrorum vasis portamus. *Habemus thesaurum in vasis fictilibus.* Juxta rationem vivere, secundùm honestatis dictamina actiones suas moderari; alteri non facere, quod sibi quis ab alio fieri nollet, hic est ille thesaurus in nobis absconditus. Quid igitur prodest vas esse auro gemmisque celatum, multísque conspicuum, si thesaurus, qui erat inclusus, ablatus fuerit? *Primum malum hominis est: esse malum:* inquit S. Joannes Chrysostomus. Etiamsi DEUS impios non puniat, imò etiam beneficiis afficiat, miserabiles tamen sunt, dum sunt peccatores; quemadmodum miserabilis est infirmus, etiamsi à Medico nihil patiatur, sed in molli & florido lecto foveatur. *Etiamsi non secet Medicus, æger ægrotat,* inquit idem Sanctus Pater. An scire vultis, quis post peccatum sit hominis status? Est quasi bestia, imò omnibus pejor bestiis. In pluribus Scripturæ locis à Spiritu Sancto nunc hujus, nunc alterius species vocatur bestia; ut demonstret; Peccatorem non simplicem aliquam esse bestiam, sed monstrum ex omnibus bestialitatibus inter alias divisis, compositum. A Sanctis Marco & Luca in Evangelio Peccatores ob veneni sui malignitatem viperarum vocantur genimina. *Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere à venturâ irâ.*

2. Co[r.] 7.

Tom[.] serm[.] jejun[.]

Ma[tth.] 8. 7

irâ? Apud Jeremiam non generosi, sed ob impudicitiam & adulteria, equi appellantur effæminati. *Equi amatores, & emissarii facti sunt, unusquisque*
m. *ad uxorem proximi sui hinniebat.* Apud Ezechiëlem dicuntur Scorpiones, quia velut impostores obliquè incedunt, dúmque videntur amplexu suo nos vel-
h. le stringere, necem adferunt. *Increduli, & subversores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas.* Christus ore proprio Herodem nominat vulpem, illisque,
13. qui de eo sibi loquebantur, dixit: *ite, & dicite vulpi illi.* Sanctus David generaliter loquendo humanum genus in duas distinguit classes, Hominésque in unam, in alteram jumenta dividit. *Homines, & jumenta salvabis Domine: Homines id est eos, qui ratio-*
5.7. *ne utuntur* (sic hoc loco inquit Bellarminus) *jumenta id est eos, qui instar jumentorum solo sensu & appetitu ducuntur.*

XV. Nunquam dicendi finem facerem, si omnia minutim, quæ pro hoc argumento faciunt, adferre vellem, demonstraréque, peccatorem secundùm rationem non viventem, ne quidem esse hominem, imò sicut asserui, ipsismet bestiis pejorem. Et hoc ob duas causas. Prima est, quia bestiæ in operationibus suis non peccant, nec remorsui conscientiæ, nec pœnæ subjectæ sunt. Unde Sanctus Phocas Martyr audiens Trajanum Imperatorem, de se quæstum esse, quòd quæsitus, ut Religionis Christianæ Mysteria eum doceret, responderit, se nolle *Margaritas ante porcos projicere,* subjecit, utinam vos idololatræ, aliud non essetis, quâm bestiæ! Non essetis tam mali, sicut estis, nec supra capita vestra justitiæ Divinæ gladius libratus esset, quam ne quidem vel semel porci ad iram exstimulârunt, toties à vobis provocatam. Ita refert Sanctus Antonius. Altera causa est, quia quod in homine est vitium, in bestiis est virtus. Taurus non est bonus, qui non est audax. Bonus non est canis, qui non est iracundus; nec bonus est equus, qui non est edax. Vos ipsi, ut in foro bestias majori pretio vendatis, emptoribus eos deprædicatis à robusto ore; adeóque nos persuasos esse ostenditis, id quod in naturâ superiore est vitium, in inferiore virtutem esse. Quamobrem bestiæ sunt minùs bestiæ, dum bestialiter operantur; econtra dum peccat homo, pejor est bestiâ, bestialiter enim operando, malè operatur. Unde absolutè non meretur nomen hominis, sed cum addito: *homo jumentum, homo serpens, homo equus.* Et sic de reliquis dicere licebit. Propter hanc causam, ut Propheta bonos distinguat à perversis, bonos bis homines nominat: *homo, homo de domo Israël.* Quasi vellet significare hominem volo, qui homo sit, & non animali pejor. An nescitis, quoties DEUS permiserit peccatores, sub monstrosis etiam formis comparere? quare autem id permisit? ideò permisit, ut externo illo bestiali aspectu interna illa animæ monstrositas multò major significaretur. Inter alias plures singu-

Hist. part. 1 *tit.* 7. *c.* 3. *De div.nom. c.* 4.

Ezech. 14. 4.

singularem aliquam metamorphosin auscultate.

XVI. Diocletiani Imperatoris temporibus Rege Tiridate Armeniam occupante, ad partes illas Sancta quædam Virgo, Ripsime dicta, refugit, quæ ab eodem Diocletiano ubivis quærebatur, ut illi fidem & virginitatem, binos Mundo tunc raros & novos raperet thesauros. At Sancta puella in Scyllam incidit, dum charibdim fugit. Tiridates admirabilis illius pulcritudinis amore captus, qui Ripsimis puritatem defendere debebat, eandem deprædari aggressus est. Verùm quia nullis eam blanditiis, ut desideriis suis annueret, trahere potuit, amore in odium mutato Sanctam Puellam trucidari jussit. Non multos post dies totâ aulâ venationi insistente. Ecce, in medio cursu, ex improviso Rex Tiridates porci figurâ induitur, ita ut omnium oculos Porcus ille conspiceretur. Et quod pejus est, externæ porci Metamorphosi jungebatur continuò etiam ferocia & sævitia, ut quasi furiis infernalibus agitatus, dentibus suis propriam carnem rabiosè dilaceraret, devoraretque. Sciendum autem est, hunc ipsum Regem aliud enorme admisisse scelus, Aulicorum nempe suorum quemdam, cui Gregorius nomen erat, in specum subterraneam serpentibus, omnique animalium venenatorum genere plenam conjecisse, eam ob causam, quòd Christi fidem nunquam negare voluerit. Jámque Soror Tiridatis, Cusaroduta dicta, ob fratris miseriam extremè afflicta, hæc verba ex ore viri sole splendidioris, per somnium audit: Gregorium ex illo serpentum cubili extrahite, Tiridatésque liber erit. Fides visioni huic non alia quàm somnio adhibebatur, credebant enim omnes, Gregorium non tantùm mortuum; sed omnino à rabidis bestiis corrosum. Nihilominus nonnulli magnâ cum difficultate ad explorandam veritatem missi, Gregorium non solùm vivum, sed etiam hilarem invenerunt, & extractum tam ferali specu ad Regiam deduxerunt. Rex cum tota Aula sua extra muros Viro Sancto obviam processit, prostratúsque in terram quà grunitibus, quà gestibus porcinis, prout potuit, humillimè misericordiam implorabat. Verùm Vir Sanctus priusquam pro liberatione adeò insigni apud DEUM intercederet, voluit, ut in honorem Sanctæ Ripsimis, aliarúmque triginta trium ipsius Sociarum Martyrio affectarum, earúmque Lipsanorum cultum, Templum exstrueretur. Pro qua fabrica Rex ipsemet operam suam impendens, onera portavit, lapides porexit terrámque eruit manibus & pedibus, qui soli hucusque priori postquam saxaginta dies jejunâsset, cum omni populo suo à sancto Gregorio Baptizatus fuit, integrámque hominis formam recepit.

Sim. Met. apud Sur. 30. Sept.

XVII. Nostísne jam, quæ lascivium inter & hunc Regem adeò deformatum sit differentia? Ego non aliam quàm istam invenio. Rex Tiridates bis


bis porcus erat porcus intus, & porcus extra; intus porcus erat propter luxuriam, extra propter apparentiam. Lascivi semel tantùm porci sunt. Intus porci sunt, & velut porci, qui nihil aliud agunt, quàm quòd à capite usque ad pedes se defœdent, lavari se putant, inquit Sanctus Petrus, dúmque in spurcitis suis & sordibus natant, in ambrosio mari sibi vagari videntur. *Sus lota in volutabro luti.* Adeóque quemadmodum difficile esset persuadere porco, eum mundatum non esse, *sus lota*, in medio sordium suarum, *in volutabro luti*, aut permovere, ut invideat mari pontico suam ab hac fœditate immunitatem; Ita difficile, imò difficiliùs est homini sensuali persuadere, ut in luxuriæ sordibus felicem se non æstimet, aut miserum non credat illum, qui tales spurcitias cane pejus & angue fugit. O quantus igitur est horum sordidorum animalium numerus; certè quandoque tantus est, ut integras urbes in haras convertant, in quibus vix pauculos palmos à sordibus mundos reperias. Pessimum est, quòd tam lascivi, quàm quicunque scelerati ad vitium adimplendum mente & manibus abutantur, tanquam malarum artium artificibus simul & instrumentis *Homo separatus à Lege & Justitia est pessimum omnium animalium, quia habet arma rationis ad explendas concupiscentias & sævitias, quæ non habent alia animalia.* Non immeritò igitur Latro est peccatum, sed latro pessimus dum homini rectum rationis usum tollit, illique perversum relinquit, & ut ampliùs ipse noceat, non omnino intellectu privat, sed tantum illi relinquit, quantum sufficit ad pejus operandum, quàm ipsæmet bestiæ ratione carentes. *Sapientes sunt, ut faciant mala, bene autem facere nesciêrunt.* Jerem. 4. 22.

XVIII. Ast heu! Peccatores præsentibus fallacium bonorum deliciis immersi non considerant mala adhuc in hac vita ipsis impendentia. Nec intrinsecis nec extrinsecis terrentur afflictionibus, & licèt plusquam semel à dura DEI virga se percuti sentiant, non tamen inde moventur, potiùs quidvis aliud, quàm Justitiam Divinam certarum pœnarum suarum credere volunt authorem; & quia flagella negare non possunt, flagellantis manum se nôsse diffitentur. *Negaverunt Dominum, & dixerunt non est ipse.* Jerem. 5. 12.

XIX. Charissimi, non ita vos! sed consilium Domini, quod pro utilitate vestrâ vobis suggerit, sequamini: *Fili, non semines in sulcis injustitiæ, & non metes ea septuplum.* Eccl. 7. 3. Quid arbitrandi, quid sit legem DEI violare? est in agro peccati, infortunia & afflictiones seminare. Injuriæ illæ, quibus DEUM afficitis, authoritatem ipsius contemnentes, amicitiam ipsius offendentes, obedientiámque debitam excutientes, sulci sunt, quibus infelicem sementem committitis. Verum quidem est, non semper quamprimum pœnam infligi; sed quid refert? Suo tempore pœnas dabitis. Non statim, cùm semen terræ mandatur, messis colligitur, sed expectatur

 tur

tur, donec ad maturitatem excreverit, *metes ea*: interdum pœna comes est culpæ, quemadmodum rebelles in cœlo Angeli experti sunt, qui vix seditione inceptâ, statim ad orcum præcipitati fuêre. Quandoque peccatum comparatur vocali Echo, quæ promptè pro-
Is. 59. 12. vocantis ruinæ respondet: *Peccata nostra responderunt nobis.* Aliàs communiùs pœna claudo sequitur pede. Quandoque culpa similis est sementi, quæ suo tempore maturescit, & deinde in funestis dolorum & angustiarum ab ipsa productarum fructibus colligitur.
Job. 4. 8. *Vidi eos, qui seminant dolores, metunt eos, flante DEO periisse.* Quare nolite
2. Reg. 14. peccato unquam fidere, neque dicatis, *hoc solum admittam, & de eo subinde me coram Sacerdote reum agam.* Quis scit an non propter hoc solum DEUS te sit puniturus, & fortè subitò? Quis unquam putâsset unicum solum & tam leve Davidis peccatum, quale erat simplex quædam vanitas, illico septuagies mille hominum internecione tantam toti Regno stragem illaturum, & tamen re ipsa intulit. Et licèt DEUS propter solum hoc peccatum hominem non statim puniat, certi estote, impunè hoc illi non futurum. *Qui in* Ec.
uno peccaverit, multa bona perdet. Inquit Ecclesiastes. Non semper una vice omnia perdet, sed perditurus est suo tempore. *Multa bona perdet.* Quare ne seminemus in sulcis iniquitatis, statuamúsque in sulcis Justitiæ & in benedictione, id est, in meritorum abundantia à bonorum operum copiâ progerminatorum sementem nostram abscondere, atque ita digni efficiemur, ut quondam pro fructu benedictionem illam, hoc est præmiorum æternorum abundantiam colligamus. *Qui seminat de benedictio-* 2.
nibus, de benedictionibus 3.
& metet.



DISCURSUS XIII.

Ex bonorum Operum jacturâ ostenditur, quàm grande malum sit Peccatum.

I. INnter pœnas Pharaoni à DEO inflictas nulla adeò illius fregit pertinaciam, quàm cædes primogenitorum. Cor illud contumax flagella obduruerant, sicut sub commeantibus pedibus protritum obdurescit cænum.

Quare licèt nunc virgas in serpentes mutari, nunc aquam in sanguinem converti, jam ex improviso diem obtenebrescere, jam aërem muscis, & culicibus densari, terram ranis & locustis obtegi, cœlum fulminibus, grandine, & tempestatibus reboare viderit, nihilominus DEI mandato contumaciùs, quàm unquam restitit, tantis jam ante afflictionibus ad-

admonitum. Sed quamprimum primogenitum ſuum, & cum illo omnes totius Regni primogenitos interfectos conſpexit, non tantùm ceſſit, ſed ad majorem veræ ſolicitudinis ſuæ demonſtrationem de nocte ſurgens Moyſen accerſivit, juſsitque, ut nullâ interpoſitâ morâ cum toto populo ex Ægypto migraret, quemadmodum à DEO in mandatis habebat. *Surgite, & egredimini à populo meo, & immolate Domino, ſicut dicitis, & abeuntes benedicite mihi.* Quis novit, an non ſimile quid his contingat temporibus? Multa hucuſque damna propoſui peccatoribus. Quaſi Legatus DEI, plurima & efficacia attuli motiva, ut etiam ipſi DEI Domini ſui obedientiæ ſe ſubjicerent. At fortè nihilominus plures quàm unus DEO parere reculant! minisque contemptis & flagellis induruerunt. Quare ſpero hodierno die bello, illos inter & DEUM hucuſque geſto, finem impoſitum iri, ſi crudelem illam ſtragem, quam primogenitis illorum infert peccatum, ante oculos poſuero; id eſt, bonorum operum jacturam demonſtravero, quæ primum inter animæ partus ſibi locum vendicant; quemadmodum inter naturæ operationes Primogeniti præferuntur. Dupliciter malignitatem ſuam perniciosam contra bona opera exerit peccatum. Inquinat opera bona à peccatore ante lapſum facta, & poſt lapſum facienda, atque adeò de utraque malignitate graviſſimâ ſeparatim loqui oportebit. Ut verò primam bene apprehendatis, neceſſe eſt, ut primò attentè penetretis, de quo jam ſæpiùs mentionem feci, quàm ingens ſit boni operis pretium in DEI gratia facti.

I.

II. Res non erit difficilis, ubi oculos veſtros tam in principalem talium operum originem, quàm in earundem terminum conjeceritis. Quodvis opus bonum principium ſuum à meritis Chriſti deducit, ideóque quemadmodum aqua viva, quæ per precioſas auri fodinas tranſit, æſtimationem & ſalubritatem obtinet incomparabilem, ſic opera bona Chriſtiani hominis in DEI gratia viventis, per vulnera Redemptoris gradientia, quaſi per venam cœleſtem, ab illis valorem ſuum & pretium inæſtimabile mutuantur. Et quòd ita ſit, quomodo de talibus operibus loquatur DEUS, audite. *Vulnerâſti cor meum Soror mea Sponſa in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui.* Cant. 4. 9. Loquitur hic Dominus cum fideli anima ſua, quæ ob gratiam ſanctificantem quaſi ſoror illi conjungitur, & per quam filia ipſius adoptiva conſtituitur. Huic tali animæ tenerrimi amoris ſui ſignificatione dicit: tu vulnerâſti cor meum uno oculorum tuorum, & uno crine colli tui. Per oculos opera grandia pro DEO facta intelliguntur, nec adeò mirum eſt, hiſce intimum DEI cor vulnerari. Inter omnia ſenſuum inſtrumenta nullum charius eſt oculo, & quaſi anima corporis dici poteſt, *Quod mens in animo eſt, id oculus in corpore*: Acutiſſimè inquit Philo. *L. de munif. opif.* Sed quod eodem modo à capillorum aliquo cor vulneretur, quibus exiles præ animæ actiones ſignificantur, res eſt admirationis & ſtuporis pleniſſima.

At

At scitisne, unde etiam illarum derivetur pretium? à Christi meritis procedit. Tam oculus, quam capilli principium suum habent à Capite, quod est Salvator noster, & à Capite quoque conservantur. Quis igitur mirabitur, tam acceptas esse DEO actiones illas, quæ ab ipsis procedunt, tantámque amabili sua sympathiâ illis vim inesse, ut Cor DEI vulnerare queant? Verum quidem est, à quibusdam illud magis, ab aliis minùs vulnerari, sed tamen ab omnibus vulneratur. *Vulnerâsti cor meum soror mea Sponsa in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui.*

III. Atque hoc eò magis, quòd bona opera à JESU Christo, non solùm tanquam à causa meritorum suorum efficiente, sed etiam tanquam à causa exemplari proveniunt. Explico. Quid rei putatis esse opus bonum? Est actio secundùm Divinum Redemptoris exemplar producta. *Donec formetur Christus in vobis.* Quare quid unquam explicare poterit, quantum illarum valor coram DEO augeatur? Benedictionem illam, quam Jacobus vestibus filii minoris, qualis ipse erat, non obtinuisset, quamprimum in habitu fratris majoris comparuit, reportavit; ad cujus odoris fragrantiam Pater totus amoris suavitate liquefactus, quidquid bonorum in terris & è cœlis voluit; illi concessit. Idem accidit in re nostra. Opera bona secundùm Christi vitam formata sunt, quemadmodum vestes pro mensura corporis conficiuntur, ideóque talem odoris cœlestis fragrantiam exhalant, ut anima coram DEO tali amictu induta vix compareat, quin Pater æternus operum, laborum Filii sui pro nobis Incarnati reminiscens, illi ipsi animæ amplissimam impertiatur benedictionem, velut Redemptoris sui sorori, ipsiúsque vestimentis amictæ, *Induimini Dominum JEsum Christum.* Quare grandia summorum Monarcharum facinora, ùt sunt, ducere exercitus, debellare urbes, rebelles subjugare, Populis bene præesse, talia, inquam, facinora, licèt egregia, cum operibus etiam minimis ab animabus DEO fidelibus peractis comparare velle, est prorsus idem, ac si quis formicarum studia & labores cùm inventionibus & machinis Architecti, arte sua celeberrimi, conferret. Imò adhuc multò minùs esset, quippe inter Architecti & Formicarum laborem est aliqua saltem proportio; quia hic, & ille in eodem naturæ ordine comprehenduntur; inter Justorum autem & grandium Monarcharum actiones distantia reperitur infinita; cùm hæ sint operationes humanæ, illæ ordine quodam superiore, quasi Divino emineant. Hæ secundùm humanæ mentis ideam productæ sunt; illæ juxta exemplar vitæ Hominis & DEI perfectæ sunt. Et in veritate, hoc ex capite in die judicii, hoc est, in die veritatis, quævis opera in statu gratiæ facta infinities plùs valebunt, plurísque ab omnibus æstimabuntur, quàm quotquot Heroum facinora hucusque Historiographi posteritati scriptis suis commendârunt.

Cant. 4. 9. [margin, partly cut]
Gal. 4. 19.
Rom. [margin, cut off]

IV. Et ecce alteram causam propter

pter quam tanti pretii sunt bona opera, id est, terminum, ad quem nos deducunt. Appositissimè à S. Bernardo talia opera jam pridem dicta sunt *semina æternitatis.* Quia quemadmodum, qui acutum cerneret, & magnitudinem trunci, & ramorum vastitatem, & frondum multiplicitatem, & florum pulchritudinem, & fructuum ubertatem, nec non totius arboris gloriam, omnia sigillatim, in semine, quasi virtualiter contenta cognoscere; sic si anima perfectè esset illuminata, cujuscunque boni operis amplitudinem, beatæque æternitatis, cujus illud est semen, gaudium ineffabile cognosceret. *Qui seminat in Spiritu, de Spiritu metet vitam æternam.* Hoc non sufficit, Charissimi, ut ingentium illarum divitiarum, quæ rectè agendo acquiruntur, amore capiamini? Quid quæso minùs propter amorem DEI præstari potest; quàm pauperi aquæ potum porrigere? modica tamen hæc aqua tam pretiosa est coram oculis DEI, ut intra se immensum sempiternæ dulcedinis pelagus contineat. O igitur inæstimabile vel unius boni operis pretium! O gloriam! O potentiam! An non revera stulti dicendi sunt, qui tanto cum labore caducis inhiant divitiis (quibus, ne quidem quando volunt, frui possunt) de thesauro autem infinito acquirendo, in bono contento, minimè soliciti sunt, qui tamen semper in eorum maneret potestate & arbitrio? Simplex quædam rustici filia, cùm arte singulari tenerrima duxisset è colo fila, glomum eorundem Imperatrici, Henrici quarti conjugi obtulit, quod donum tantopere isti Dominæ placuit, ut pauperculæ tantum telluris pro remuneratione dederit, quantum fili sui circumferentia comprehendere potuit. Pretiosum profectò hoc erat filum. Sed quæ est illius cum bono opere etiam minimo comparatio: Filum illud ex natura sua talem non merebatur remunerationem; & quamvis etiam promeritum fuisset, remuneratio nihilominus tota erat terrestris. Sed quilibet actus bonus, gratiæ sanctificantis virtute, intrinsecè tale in se continet pretium, ut respectu illius cœlum ipsum, id est interminabilis, & immensa ipsiusmet DEI possessio, non sit meræ duntaxat liberalitatis donum, sed quædam etiam Justitiæ retributio. *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex.* Ita loquebatur olim Apostolus, & eodem modo cum ipso omnes Justi loqui possunt.

V. Considerate jam inexplicabilem peccati malignitatem! unicum peccatum omne hoc bonorum operum meritum destruit & annihilat, omne vitæ æternæ germen exsiccat, pejúsque est, quavis malefica grandine, dum omnes hos vitæ fructus penitus aufert. *Si averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem, &c. omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur.* Vix ulla tam sæva est tempestas, quæ non aliquas in viribus uvas intactas relinquat. Sed peccatum omnia bona pessundat, nec uni parcit. Quoniam verò hoc punctum tanti est momenti, fusiùs aliquantò explicare me oportet. S. Franciscus Xaverius præcedenti sæculo

Theatr. tit. Grat.

S. Thom. 1. 2. q. 114. a. 3. 2. Trin. 4. 8.

S. Thom. 3. p. q. 89. a. 4.

Ezech. 18. 14.

R. P. Segneri Christ. Instr. Tom. II. X

culo huic Mundo natus fuit, ut primitivorum Apoſtolorum miracula & merita, jam longo tempore deficientia, oculis noſtris proponeret, Decennio illo non toto, quo in Indiis moratus eſt, tam magna pro DEI gloria operatus eſt, ut fama ſit, plures ab illo ad DEUM animas eſſe converſas, quàm Lutherus, Calvinus, Carolſtadius, Zwinglius, aliique ſimiles moderni hæreſiarchæ, monſtra ad Eccleſiæ perniciem nata, perverterint. Primus ille plurimis Populis & Regionibus, eò usque incognitis, Chriſti fidem annunciavit; inter quas ſola Japonia eſt tam vaſta, ut ſexaginta ſex Regna comprehendat. Nemo hucusque Ædium ſacrarum, ab ipſo ædificatarum, templorúmque profanorum ab eodem dirutorum numerum ſcriptis conſignavit, ſed facillimè ex iis, quæ nota ſunt, colligere licèt; nam plus quàm quadraginta millia idolorum ipſius manu comminuta, & plus quàm duodecies centena hominum millia ab ipſo baptizata ſunt. Quâ de cauſa ſæpiùs omnino viribus fatiſcens vix amplius conſueta Baptiſmi conferendi verba pronuntiare, nec brachium, quo aquam infunderet, ſuſtinere potuit. Satis eſt ſcire, ſacrum Romanæ curiæ Senatum referre; tot centena hominum millia ab ipſo ad Chriſti fidem traducta eſſe, quot nemo unquam converterit. Unde etiam (quemadmodum ſummus Pontifex in Canonizationis ipſius bulla adjungit) vidit prædicationibus ſuis Animas Chriſto partas, quaſi ſtellas in cœlo & quaſi arenas in littore maris multiplicatas eſſe. Tam uberes hujus meſſis fructus laboribus tanto cum fervore ſeminatis reſponderunt, ut ſolis itineribus, quæ propter animarum ſalutem confecit, juxta nonnullorum computum, quinquies tota terra luſtrari poſſit. Hæc tamen, & multò plura, quæ adferre poſſem, Sanctus Vir intra decem ſolummodo annorum ſpatium, ſicut audîſtis, quibus in Indiis moratus eſt, peregit. Cogitate jam, ſi centum annis in illis regionibus habitâſſet, quantò plura tanto tempore operatus fuiſſet, & ſi ſuperatis centum annis, ſexcentis, ſeptingentis, imò nongentis annis, quot Adamus, & plures ante diluvium vixerunt, pro Chriſti gloriâ laborâſſet, fateri nos oportet, hunc Mundum, quantus quantus eſt, nimis anguſtum illius zelo campum futurum fuiſſe. Quare omnes vitæ ejus hiſtoriæ, ſi typis mandatæ eſſent, cùm tot & tantis comparatæ facinoribus poſterorum memoriâ digniſſimis omnes illæ tunc, inquam, defectuoſæ & mancæ viderentur. Nunc hæc omnia cogitationibus veſtris quaſi in faſciculum colligite; fingite Sanctum aliquem, qualis erat iſte, poſt omnia hæc opera pro DEO facta peccato mortali, ſolo etiam deſiderio, ſoláque delectatione conſentire. Peccatum hoc mortale tam peſtiferum eſt, ut uno quaſi ictu omnia illa bona opera interimat; unde ſi illa anima ante peccatum tam locuples, ſubitò poſt peccatum moreretur, totus ille meritorum cumulus, totus, inquam, nihil ei omnino ad ſalutem conſequendam prodeſſet. *Omnes juſtitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur.* Supponamus prætere a, virum adeò Sanctum, qualem vobis

Tom. Boz. de ſign. Eccleſ.

bis descripsi, ab æterno servisse DEO, summo cum ardore illum amâsse, summo cum rigore carnem suam illius causâ afflixisse, omnes proventus suos in perpetuas pauperum eleemosynas expendisse, quotidianis, & perpetuis Sacrificiis DEUM placâsse, supplices ad eum preces fudisse, æternisque hymnis & canticis Nomen ejus celebrâsse; quicunque talia fecisset, profectò infinitum, saltem quoad tempus meritorum cumulum acquisivisset, ideóque infinita quoque ipsi merces in cœlesti gloria deberent. Hic tamen ipse si peccatum unum vel sola cogitatione admitteret, momento meritorum illorum infinitorum, & mercedis infinitæ jacturam faceret, eorúmque locò ad pœnas ac supplicia infinita in ima inferni abysso damnaretur.

VI. Quid ad hæc Charissimi? An aliud argumentum adhuc desideratis, quo unius solius peccati gravitatem intelligatis, cùm tanta sit ejus malignitas, ut tanta bona pessundet? Ecce immensum prœmiorum pondus in immensum pœnarum cumulum tam subitò commutatum, sub quo gemunt gigantes illi infernales, qui DEO bellum indicere ausi sunt. Attendite igitur, & considerate, quantum illud sit, quod peccando perdidistis! Scio, meritorum vestrorum summam non esse infinitam, quam possibilem esse suprâ supposuimus, sed potius censum esse valde exiguum, propter parum illud boni, quod plerique, tempus mille ineptiis impendere soliti, peragunt, quo quovis momento thesaurum sibi cœlestem comparare possent. At nihilominus exeunte an multo numeratis, vos observâsse jejunia, plurima DEO obtulisse munera, plurima fudisse preces, plurimásque pauperibus eleemosynas impertitos fuisse: Rei Divinæ sæpiùs interestis, Sermones Sacros frequentatis; sæpiùs etiam comparetis in Ecclesiis, & nisi desperatæ sitis conscientiæ, ad minimum aliquoties per annum peccatis expiati sacrosanctæ Eucharistiæ mensæ accumbitis. Quòd si igitur omnis bona actio: tanti, ùt dictum est, ex seipsa est meriti, etsi ideo etiam, quòd in cœlis merces ei debeatur, tantò est pretiosior, fateri oportet; Magnum in fine anni thesaurum vos acquirere, & consequenter postmodum peccando inexplicabilem facere jacturam, dum peccatum illud, quasi ventus pestilens, omnem quamprimum fructum ipsa adhuc in herba arefacit, ac pessundat.

VII. Verum est, pœnitentibus sincerè & in DEI gratiam redeuntibus bonorum operum ante peccatum acquisita ex mera DEI bonitate merita revivilcere, quemadmodum olim per Prophetas promisit. *Reddam vobis annos, quos comedit locusta, bruchus, & rubigo, & eruca.* Sed duo hîc ad rem nostram advertere necesse est. Primum est, nonnullorum Theologorum esse sententiam, gratiam in quovis Sacramento, ut ipsi loquuntur, *ex opere operato* obtentam, semel peccato mor-

Joël 2. 25.

V. Vasquez. 22. *to.* 2. *de spe.* 221. *c.* 7. *n.* 55.

mortali perditam, nunquam reddi amplius quocunque meliori modo DEI gratiam nobis reconciliemus. Quod ſi verum eſt, videte obſecro, quàm lacrymabilem theſauri jacturam facit miſer peccator, quandocunque DEI legem prævaricando ſe nihil perdere exiſtimat. Recordamini illius, quod dixi, quanti unus ſolus gratiæ gradus valeat; conſiderate quoque quàm pretioſum ſit flumen illud auriferum, cujus minimæ arenulæ tanti æſtimantur. Alterum obſervatu dignum eſt quod ſequitur. Si DEUS peccatori pœnitenti omnia merita ob perduellionem culpæ ablata reſtituit, hac libertate Miſericordiæ ſuæ viſcera oſtendit, qui pœnitentiam illius deſideravit. Verùm hoc non impedit, quò minùs tantæ perduellionis malitia perinde ſit deteſtanda; non ſolùm enim meretur, ut omnia illi bonorum operum merita auferantur, ſed etiam, ut nunquam reſtituantur.

v. Suar. opuſc. de reviſc. merit. ſect. 3. n. 9. &c.

XIII. O quàm amaris igitur lacrymis hanc jacturam deploraret, quicunque mentis oculos bene illuminatos haberet! Davidi & militibus ejus civitatem Siceleg paulò antè ab Amalecitis everſam, & in cineres converſam intrantibus, dum domum ſuarum ruinam, ſqualorem, ſolitudinem, nec non tenerrimarum prolium ſuarum, mulierúmque necem intuerentur, ac flerent, flentibus tandem lacrymæ defecerunt. *Planxerunt*, inquit Scriptura, *donec deficerent in eis lacrymæ.* Conſiderate igitur, quantum fleret, qui terribiliorem hanc devaſtationem, quam adfert peccatum, cognoſceret; Verùm ita ſe res habet, quævis alia res amariùs, quàm bonorum operum jactura deploratur. Craſſus flevit, pullásque induit veſtes ob murænam fluviatilem, quæ in piſcina illius adeò famosâ morte ſublata eſt. Et Chriſtiani noſtri quandoque non erubeſcunt, equi, aut canis interitum deplorare, dum interea ſiccis oculis tantorum audiunt jacturam meritorum, quam anima ipſorum patiatur, quaſi nec flocci æſtimanda eſſent.

3. Reg. 30. 4.

II.

IX. Sed quid jàm dicemus de bonis illis operibus, quæ in peccati mortalis ſtatu fiunt, quod eſt alterum malorum à me propoſitorum vobis explicandum? Hæc jactura adhuc magis eſt deploranda, quia nunquam reparari poteſt. Peccatum eſt velut turbo, â quo non tantùm maturi decutiuntur fructus, ſed ipſamet arbor radicitus evellitur. *Omnia eradicans genimina.* Ideóque omnia opera facta ab anima peccato inquinata, opera ſunt mortua, infructuoſa, ingrata, nec unquam DEO accepta, ſicut eadem opera in gratia producta. Tartarorum Princeps nunquam acceptat decimas è grege fulmine percuſſo; ita quoque facit DEUS; Decimas & Victimas ab Abele oblatas ſibi oſtendit placere, quia ab innocuâ cauſa prodiêre. *Reſpexit Dominus ad Abel & munera ejus.* Caini autem munera non accipit; cùm ſint Decimæ è cauſa fulmine peccati percuſſa, & etiamnum Invidiæ fumum redolentia: *Ad Cain verò & munera ejus non reſpexit.* Imò non tantùm non benigno acceptat vultu, ſed averſionis & horroris loquitur terminis, quaſi moleſtum ſibi odorem adferrent. *Incenſum abominatio eſt mihi, laboravi l.*

s. 7 / 5. / 89. *Joi* *Ge* *Iſ. Æi*

boravi ſuſtinens. Si Leo aliquod animal mordeat, caro illa fit tam fœtida, ut à nullo alio animali devorari poſſit. Fuge peccatum, monet Spiritus S. per
12. Eccleſiaſticum, quia, *dentes Leonis, dentes ejus, interficientes animas hominum.* Aſpicite quæſo, quàm ferus ſit hic Leo! non tantùm corpora, ſed etiam animas interfecit. Quod ſi ita eſt, quis mirabitur totum illud, quod à talibus proficiſcitur animabus, coram DEO fœdere, à maximi Leonis dentibus dilaceratæ ſunt, dentibus ſcilicet non crudelibus tantùm, ſed peſtilentiſſimis.

X. Quòd ſi ad amuſſim Theologicam, nunquam dicere licèt, opera bona in ſtatu peccati facta diſplicere DEO; ſed ſolùm Peccatorem diſplicere; certum ſaltem eſt, iſtorum operum ob peccatum & peccatoris abominationem apud Juſtitiam Divin. non haberi rationem; quare quantumcunque illorum augeatur numerus, omnia meræ ſunt Nullæ, quas dicimus, quæ ſe ſolis ſummam nullam conſtituunt. Propter hanc cauſam ore proprio ſterilem vocavit Regem Iechoniam, quamvis octo ipſi eſſent filii. Hæc dicit Dominus: *ſcribe virum iſtum ſterilem.* Ratio autem fuit, quia è tot filiis nullum in regno poſt ſe ſucceſſorem habuit, ſed omnes ſimul in captivitate Babylonica obiêre, quo DEUS nobis ſignificare voluit, impios licèt eleemoſynarum elargitionibus, ſuſceptis jejuniis, peregrinationibus ſacris, fuſis orationibus, templorúmque viſitationibus, numeroſarum prolium id eſt bonorum operum Patres efficiantur, nihilominus coram oculis DEI tanquam ſteriles & infœcundos comparere; nullus enim tot illorum partuum, licèt laudabilium, unquam in cœlis meritorum, & gloriæ coronâ redimitus triumphabit.

XI. Quod ſi ita ſe res habet, dicent nonnulli, ergo peccato inquinatis nihil prodeſt ampliùs quidquam operari boni; non jejunandum porrò ipſis, ſaltem cùm præceptum non urget; diebus non feriatis Miſſæ Sacrificio intereſſe; recitare roſarium, ſolitáque ùt antè domi preces perſolvere irritus labor eſt. Quàm inepta eſt hæc conſequentia! Opera bona in peccato facta non poſſunt promereri cœlum, ergo illa intermittamus? nolite ſic argumentari, ſed dicite: abjiciamus peccatum, Confeſſione illud expiemus, nec in Paſchale tempus, ſed neque in hodiernum veſperum pœnitentiam differamus. Hoc, ſi ſapienter loqui vultis, inferendum eſſet. Inſuper ad voces, quibus uſus ſum, advertite. Dixi videlicet, opera bona in peccato facta non prodeſſe pro cœlo lucrando; at non dixi unquam, omnino nihil prodeſſe: quod ſi in manibus veſtris nummus aureus frangatur, quid facitis? An bina illa auri fruſta projicitis? profectò tam ſtulti non eſtis, ſed ea aurifabro fertis, ut aliquod inde lucrum referatis. Attamen aureus nummus diffractus non valet? Verum eſt, non valet, quemadmodum moneta ad emendum, & mutuandum, valet tamen, ut metallum. Eodem modo ſe habent bona opera. Si ad acquirendum cœlum non valent, valent tamen ad minora alia bona ac-

quirenda: quare nunquam intermitti debent, imò illorum intermiſſio ſummæ quandoque calamitatis cauſa poſſet eſſe. Contigit aliquoties, ingentia flumina per apertos campos impetuosè irruentia tamdiu objectis linteis cohibita fuiſſe, donec rupti aggeres reparati fuerint, antequam totam Regionem inundarent. Quemadmodum igitur exiguum lintei fruſtum ſaltem per aliquot tempus ſufficiens fuit ad formidandam aquarum inundationem avertendam, ſic opera aliqua bona à peccatoribus facta, licèt in ſeipſis parva & exigua, interdum Divinæ Juſtitiæ furorem inhibere potuerunt, ita ut non diſperderentur, priusquam reſipiſcentes pœnitentiam egiſſent.

S. Thom. 3. p. q. 19. a. 6.

In Anal. 1525. n. 69.

XI. Caſum in rem noſtram audite mirandum. Venetiis pro concione dicebat frater Matthæus de Baſcio ſacri Patrum Capucinorum Ordinis Author, qui extraordinariæ Zeli ſui efficaciæ, & vitæ exemplum, & mira adjungens opera, difficile dictu eſt, quàm ſublimem nominis exiſtimationem apud omnes acquiſiverit. Inter alios quidam Legum Doctor, ut DEI Famuli colloquio propiùs frueretur, & apud eum aliquod obtineret meritum, quodam mane Virum ſanctum ad prandium ſecum ſumendum invitavit; qui invitationem acceptavit, ſed, ut majus commodum illi deferret, utì intelligetis. Habebat hic Doctor domi ſuæ ſimiam, adeò lepidam, ut totum viciniam recrearet. Inſternebat illa menſam, mappulas applicabat, vitra mundabat, debitíſque locis magnâ cum induſtriâ fercula diſponebat, ita, ut nullus architriclinus meliùs facere potuiſſet. Accedebat huic diligentiæ mira benevolentia, quam Domino ſuo exhibebat; redeunti domum, ut primum advertit adventum, fores aperiebat, manu ſua pileum, & pallium auferebat, calceos exuebat, crepidáſque porrigebat, his aliiſque agendi modis non tantum beſtiarum conditionem, ſed etiam ipſos ephebos ſcitiſſimos ſuperare videbatur. Audiens igitur frater Matthæus res hujusmodi ſtupendas, inquit, advocate illam, deſidero enim illam videre. Verùm ſimia, quæ oderat conſpectum Viri ſancti ſubire, ſub lectica ſe abſconderat, unde magno cum labore quæri debuit; nec ſatis fuit repertam eſſe, quippe obſtinatiſſima, nec blanditiis nec vi ſuo illo ex angulo extrahit potuit. Tunc DEI famulus ſuaviter apprehensâ Doctoris manu, vis, inquit, tibi dicam, quæ ſit illa comis ſimia, quam domi foves? Diabolus eſt in perſona, eamus ſolummodo, proprio ore id eum fateri cogam. Itaque cubiculum intrant, ſtatímque frater Matthæus Diabolo imperat, edicat, quiſnam ſit, & quem ob finem hoc ſub ſchemate comparens, ad tam vilia ſe demiſerit obſequia? Ergo ingenti cum rabie reſpondet coactus, ſum Diabolus ex Inferno; nec alia de cauſa huc veni, quàm, ut Animam ipſius, plurimis titulis jam longo tempore mihi debitam, mecum auferrem. Quare igitur, quærit Vir ſanctus intra tot annos, quibus hic moraris, illam

ſam non ſuſtuliſti? Quia, ſubjungit Dæmon, quovis veſperi, antequam decumberet, devotas quasdam DEO, Divæque Virgini preces perſolvebat, quas ſi vel ſemel intermiſiſſet, permiſſa mihi à DEO fuerat poteſtas, eum ſopitum ſuffocandi, mecúmque in Orcum abripiendi. Cogitate, quantus omnes, hunc ſermonem audientes, invaſerit pavor. Verùm frater Matthæus interea omnes & præſertim Dominum Domûs animavit, Dæmonémque illinc abire coëgit. Deinde prædictum Doctorem attonitum, & ſtupefactum permovit, ut, quæ mediis injuſtis in periculoſa ſua profeſſione acquiſiverat, legatis, & eleëmoſynas erogandis abundanter reſtitueret.

XIII. Conſiderate jam, an bona opera etiam actuali culpâ contaminato proſint? Quò deveniſſet infelicis Doctoris hujus anima, ſi tam ſtolidè, ut aliqui ſolent, diſcurriſſet: DEUS odio me habet, cur aliquid boni agam, cùm mihi nihil proſit ampliùs? An non videtis boni aliquid facere, ſemper bonum & laudabile fuiſſe? Quare ubi Apoſtolus dicit: *Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* S. Thomas docet, ſic intelligendum eſſe, quod *non prodeſt ad Regnum cœlorum obtinendum*, ùt ſuprà dictum eſt, non quòd ad alia impetranda non proſit. Imò alio in loco ex profeſſo docet, opera bona in ſtatu peccati facta, generaliter ad tria aſſequenda, valde utilia eſſe: *ad temporalium conſecutionem, ad diſpoſitionem ad gratiam, ad aſſuetudinem bonorum operum.* Quia verò, valde cupio, vos hunc errorem dedocere, tria hæc paucis explicabo.

XIV. Primò igitur bona opera proſunt ad bona temporalia à DEO impetranda. *Ad temporalium conſecutionem.* Propter has, quas recitatis preces, dum eſtis in peccato, propter illa jejunia, propter hanc charitatem pauperi exhibitam, propter hanc corporis afflictionem, propter illam Miſſæ Sacrificii auditionem, licèt DEUS cœlum vobis non ſit donaturus (hæc & ſimilia enim opera Divinâ gratiâ carentibus nihil merentur) nihilominus multa in terris bona concedet. Veſtram conſervabit ſanitatem, augebit bona fortunæ, veſtram nominis tuebitur æſtimationem, familiam locupletabit, periculoſam agris veſtris imminentem avertet tempeſtatem, litem, quâ ad incitas redigi poteratis, pluréſque perſecutiones & adverſitates diſturbabit; nec non alia vobis procurabit beneficia, quæ nonnunquam tanti facitis, ut illa ipſimet æternæ ſaluti veſtræ præferatis. S. Auguſtinus aſſerit, penes antiquos Romanos, pro virtutum ſuarum moralium remuneratione, totius Mundi tunc cogniti fuiſſe imperium: non quòd in rigore loquendo, opera peccatoris verè poſſint mereri prœmium: minimè inquit S. Thomas, ſed quia DEUS ita erga illa ſe gerit, quomodo faceret, ſi aliquo modo eſſent meritoria. Atque adeò: *non merentur propriè & ex condigno.* Quod eſt meritum in dignitate recipientis gratiam fundatum, *ſed ſimilitudinariè & ex congruo*, quod

S. Thom. ſupp. q. 14. ar. 46. in c.

quod eſt meritum in decentia gratiam exhibentis fundatum. Tantopere DEUS amat virtutem, ut etiam imaginem ejus præmio afficere delectetur, eodem ferè modo, quo pater aliquis intimè amans filium ſuum, exanimem ejus
3. Reg. 2. effigiem in tela depictam diligit. Hoc modo videns DEUS humiliatum Achab, cilicio & cinere coopertum intentata flagella inhibuit; licèt enim illum magis capite, quàm corde humiliatum viderit, nihilominus, inquit S. Gregorius, oſtendere voluit, quàm grata ſibi verè dolentium pœnitentia, cùm etiam apparente tantopere delectetur. *Penſandum eſt, quomodo ei grata ſit ſpontanea afflictio, pro culpis in eis, qui placuerint; ſi hæc ad tempus placuit, & in eis qui diſplicebant.* Hoc tamen adhuc minimum eſt.

XV. Secundò talia opera utilia ſunt, ut ad gratiam ſaltem remotè diſponamur. *Ad diſpoſitionem ad gratiam.* Baptiſmus Sancti Joannis non conferebat gratiam, ſed ad recipiendam peccatores diſponebat; & hoc ſatis erat, ut magnam de illo æſtimationem conciperent. Eodem modo ſe habent devotionis opera à peccatoribus facta. Quamobrem illa magni facere oportet, nec intermittere; licèt enim ſint veluti Baptiſmus, quo ſola lavantur corpora, nec niſi exterius aliquod contineant bonum; nihilominus media ſunt, quæ prodeſſe poſſunt, ut tandem etiam animæ abluantur. Ideò Salvator noſter in Evangelio cuidam Scribarum ſiniſtrâ cum intentione interroganti, nihilominus ſapienter loquenti reſpondit; *Non es longè à Regno DEI.* Laudando enim tantùm charitatem erga proximum, licèt eam non exhibuerit, ad eandem diſponebatur, propiúſque ad eam accedebat. Obſervate, quid face adhuc fumante fiat: fumus hic non eſt flamma, eſt tamen valde idonea diſpoſitio ad eam concipiendam; unde ſicut faciliùs eſt, facem paulò antè extinctam, quàm jam penè frigidam accendere, ita faciliùs eſt, ut peccator, qui bonis ſtudet operibus, quàm qui ab illis abſtinet, ad meliorem frugem deducatur. Proderunt hæc opera, ut tales audiatis Miſſionarios, à quibus convertamini, ut zeloſum inveniatis Confeſſarium; ut pium aliquem legatis librum; ut bonum aliquod videatis exemplum; ut bonam auſcultetis exhortationem, ut alia ſimilia vobis occurrant media, quibus illius aurigante gratia in viam rectam revertamini. *Ad diſpoſitionem ad gratiam.*

Marc. 12.

XVI. Denique, quod ego maximi facio, opera in peccato facta proſunt, ut quis aſſueſiat ſemper ad benè operandum. *Ajo aſſuetudinem bonorum operum.* Verum eſt, clavem ceream non aperire oſtium, ſed exemplar præbet, ſecundùm quod alia ex ferro, quæ aperiat, fabricari poſſit. Eleemoſynæ igitur, orationes, peregrinationes, pœnitentiæ, omniáque alia, quæ peccatores faciunt opera bona, valde proſunt; proſunt enim, ut forma quædam rudis, juxta quam ipſa opera deinde faciliùs, ſed alio valore, à peccatoribus jam pœnitentibus

tibus peraguntur. Quemadmodum igitur non inutiles habentur asseres, trochleæ, funes, quibus semel pro ædificio erigendo usus est architectus, licèt eo jam absoluto, nulla ampliùs talium instrumentorum habetur ratio, sic nunquam inutilia æstimanda sunt opera bona, quæ facitis, licèt status ille, in quo ea facitis, nihil pro ædificio in cœlis stabiliendo conducat. Sensim honestam ducere vitam assuefietis, ita ut facilius supra materiale hoc bonorum operum fundamentum, non solùm bonarum, sed permanentium actionum ædificium exstruatis.

XVII. Quamobrem posthac nolite solitas; ideo quia in peccato estis, devotiones intermittere; potiùs curandum vobis erit, ut hoc misero derelicto statu in DEI gratiam redeatis. Considerate, quæso, quantum perdatis boni, dum tot Christianorum operum, per totum annum factorum, perditis meritum. Quanta est hæc stultitia, totâ Quadragesimâ jejunare, nec tamen nisi in fine ejusdem Confessione peccata sua expiare? Lauretum, Assisium in Alverniam, aut ad alia pia loca peregrinationem suscipere, & in fine itineris Sacerdoti peccata sua manifestare? integram frequentare Missionem, multis pœnitentiæ tam privatim quàm publicè incumbere operibus, interim ad ultimum usque diem gratiam sacra exomologesi recipiendam differre? an non hoc est supra spinas seminare? *Novate vobis novale, & nolite serere super spinas*, bene dixero cum Jeremia. Priùs colatur ager, deinde seminetur, & non priùs seminetur, deinde colatur. Notissimum est hoc agricolarum axioma. Sed quantò fideliùs terrenas observatis, tantò minus ad regulas attenditis cœlestes, *Novate*, igitur, *novate vobis novale.*

XVIII. Renovate ergo, Charissimi, desertum cordis vestri solum, multò jam tempore incultum. At quomodo renovabitis? Terra fructificando jam exhausta, nulla re magis fœcunda redditur, quàm ignem illi admovendo. Hanc & vos observate methodum. Mortis approperantis aliquantisper recordemini, quæ fortè non multò post in cineres vos rediget, ah! quàm libenter in illa hora pro bono aliquo opere totum Mundum, si vester esset, daretis! at in potestate vestra non erit ampliùs, illud impetrare. Nihilominus nunc vos ipsi inimici vestri, aut nihil boni facitis, aut si fecistis, nihil æstimatis, sed voluntariè prodigitis, desperatéque stultâ hac confidentiâ peccatis, illud tam incertâ, quàm malè intellectâ à vobis Confessione recuperatum iri? Certi & securi estote, à cineribus vestris assiduâ meditatione ponderatis, desiderata fœcunditate agros vestros locupletandos. Sed longè majorem adhuc vigorem ignis accensus producet, si attentè rogum illum infernalem consideraveritis, ad quem etiam vos tanquam infœcundæ arbores condemnabimini; si post tot vitæ annos in eum finem, ut bonos & salubres feratis fructus, vobis concessos, solis foliis onustos solo Christiani

ſtiani nomine, non factis locupletes mors demeſſuerit. *Novate vobis novale.*

XIX. Conſiderate denique omne ex hac culturâ commodum in veſtram cedere utilitatem. *Novate vobis.* DEUS profectò nullius rei patietur jacturam, ſi in fine vitæ veſtræ terram veſtram, terram reprobam maledicto cogetur ſubjicere; nec ideo Cœlites luctum induent, ſi vos in Orcum præcipites datos eſſe viderint. *Si ſapiens fueris, tibimetipſi eris, ſi autem illuſor, ſolus portabis malum.* Si nunc ſapiatis, vitam veſtram præſentem in bonis operibus accumulandis impendetis, totúmque lucrum veſtrum erit, quo in futurum frui uti eſtis. Quòd ſi econtra toti voluptatibus addicti peccatis bona opera corruperitis, ſoli malum veſtrum portabitis, eò quòd ſub perditorum aliquando recuperandorum fiduciâ vos ipſos ſtultè deceperitis.

Prov. 9. 12.


XX. *Novate vobis novale, & nolite ſerere ſuper ſpinas.* Agricola quicunque ſupra ſpinas ſeminat, tria perdit, ſemen, laborem, & tempus. Horum trium quoque vos jacturam faciatis, ſed eò magis deplorandam; quòd immortalitatis ſemen, qualia ſunt opera bona, perdatis; perdatis laborem, cujus merces debet eſſe DEUS ipſemet; *Ego merces tua magnanimis.* Tempus, quod feliciſſimæ æternitatis fuiſſet principium, ſi illud bene impendiſſetis.

Gen.

XXI. Non ita agite, chariſſimi. Nolite ſerere ſuper ſpinas, ſed *novate vobis novale,* peccata veſtra ſincerè confitemini, & quamprimùm fieri poteſt, gloriam DEI recuperate, ut in tali ſtatu continuantes, deinde magno cum gaudio opera ſancta ſeminetis, eâ ſpe freti, majori cum lætitia ſuo tempore à vobis colligenda. Pro ultima interim concluſione diſcite, quàm grande malum ſit peccatum, quod quamdiu in cordibus veſtris deliteſcit, non poteſt æternæ vitæ fructus in vobis germinare; & ſi jam multi germinâſſe conſpiciantur, adeò tota ipſorum virtus mortificatur à peccatis, ut licèt in ſe boni ſint, non tamen ad ſalutem æternam ſufficiant; cùm peſtifera in vobis prædominans indiſpoſitio eos omnino ſuffocârit.



DISCUR-



DISCURSUS XIV.

Peccatum tam prosperitates quàm adversitates in materiam damnationis convertit.

I. PRincipium & Finis mirabilis illius telæ, quam Divina Providentia, ut loquitur Propheta, in omnium Nationum regimine oritur, in alio denique non consistit, quàm in rebus prosperis, & adversis, quas pro sapientissima intentione sua, quotidie inter homines dispertitur. Et quamvis magnum hoc opus, instar pretiosæ tapetis dum texitur, nihil aliud videatur esse, quam filiorum sibi oppositorum commixtio; nihilominus ubi finito labore in conspectu totius Mundi, in extremo illo die explicabitur, tam pulchrum, & venerandum comparebit, ut futurum sit, ut etiam ipsi dæmones cum sequacibus suis reprobis intra se artificium admittentur, neque, licèt tanto damno suo adeò decorum sit, & amore dignum, ore blasphemo hiscere audiant. *Omnis iniquitas oppilabit os suum.* Peccatum igitur hic quoque demonstrat, quid sit in se, hoc est, perturbatio Universi: pulchrum enim illius ordinem invertit, Divinisque decretis sese opponens, pro temeritate sua totam supernaturalis hujus regiminis symmetriam confundit. *Quæ perfecisti, destruxerunt.* Quare ex hac quoque notâ pro confusionis monstro agnoscemus, visuri, totum Divinæ Providentiæ esse contrarium; dum à fine suo Prosperitates, & Adversitates temporales pariter, ad salutem nostram à DEO ordinatas, avertit.

II. Incipiamus à Prosperitate. Solentissimum, quod unquam Diaboli lingua effutiit, mendacium fuit illud, quando Salvatorem nostrum in deserto tentans, ante oculos ipsius omnium in Mundo regnorum ideam, magnitudinem & gloriam proposuit, adjunxitque se illorum Dominum esse, & pro voluntate sua, cui vellet, ea posse distribuere; quare omnia se illi daturum, si procidens tanquam supremum se adoraret. *Tibi dabo potestatem hanc universam, & gloriam illorum, quia cui volo, do illa.* Et quamvis grande hoc mendacium coram Divinâ veritate minus apparentiæ veritatis & credibilitatis haberet, quàm Cometa in conspectu Solis, non ideò tamen mendax ille despondit animum, sed subsequentibus sæculis per Ministros suos denuo tentavit aleam. Sic Sancti Epiphanii testimonio nobis constat, quosdam Hereticos suis temporibus docuisse: divitias non aliunde quàm à Diabolo provenire. Ipsi quoque Manichæi simili erroris spiritu fascinati, Dominum DEI absolutissimi dividentes, medietatem Dæmoni

Margin notes: ...06. ; ...4. ; Luc. 4. 6.

moni assignabunt, docentes, DEUM rerum invisibilium esse Principem, Dæmonem visibilibus præesse. Hujus ergo esse, velut talis, pro arbitrio suo bona hujus mundi sensibilia distribuere. Intolerabile mendacium, tam ratione, quàm fide explosum, & convictum. Ratione scilicet, quia DEUS omnium bonorum est origo; quare nullum bonum inveniri potest, quod ab ipso non proficiscatur, & ipsius non sit. Fide verò mendacium hoc destruitur, quia plus, quàm in millenis locis Scriptura Sacra asserit, DEUM omnium totius mundi bonorum esse Dominum, eáque modò promittere, modò concedere, nunc auferre, prout illi placet. *Cuncta, quæ in cælo sunt, & in terra, tua sunt, &c. Tu dominaris omnium.* Non igitur prosperitates temporales Dæmon elargitur, qui in Regno suo non habet nisi ignem: multò minùs Casu distribuuntur, qui non aliud habet esse, quàm in stultorum opinione. Verissimus omnium Dominus & dispensator est DEUS, quia illas dividens sapientissimo, quod in omnibus propriis operibus suis adhibet, utitur consilio; id est, ad gloriam suam & utilitatem nostram. Et hoc est, quod ad benè intelligendum, quàm grande sit illud malum, quod peccato infertur, præmittendum est, dum se utrique directè opponit.

Paral. 29. 11.

III. Primò igitur DEUS pro gloria sua bona temporalia distribuit (sive illa sint divitiæ, sive honores, sive sanitas, sive vita, sive aliud quodcunque bonum) ut ita absolutum, quod ipsi in omnia supradicta bona debetur dominium ostendat. Ita pro omnibus Sancta Samuelis Prophetæ Mater confessa est, in solenni suâ gratiarum actione. *Dominus pauperem facit, & ditat, humiliat, & sublevat.* Sed ob quam causam? Audite illam: *Domini enim sunt cardines terræ.* DEUS unum divitem facit, alterum pauperem; hunc grandem, illum miserum; ut sciamus ipsum, ab uno ad alterum Mundi terminum esse Dominum. *Domini enim sunt card nes terræ.* Et ecce responsum! quoties immeritò querimini, causám quæ, quam petere non deberetis, inquiritis: quare DEUS vos pauperes, alios divites nasci voluerit? Cur vobis sanitatem deneget, aliis verò robustam concedat? Hoc ideo fecit, quia Dominus est, & quia sic illi facere placuit. Pergite modò instare querelis vestris, si audetis; quasi vos magis domini deberetis esse rerum vestrarum, eáque donare, quibus vultis, quàm DEUS sit, ut sua aliis pro arbitrio largiatur.

IV. Verùm DEUS Pater tam vehementer suas amat creaturas, ut semper gloriam suam illarúmque utilitatem conjungat. Ideóque præter finem, in bonorum sensibilium divisione Dominum se ostendendi, eodem quoque tempore nos adjuvare intendit, ut bonos nos faciat. Duplex stipendiorum genus militibus persolvi solebat: unum durante bello, alterum post victoriam dabatur. Durante bello stipendium illis datur, ut honestè vivere, & vestiri possint. Post

1. Reg. 2. 7. (partially cut off in right margin)

Post victoriam amplior conferebatur merces, qualis erat illa, quâ Romani præsertim olim milites præmiare sollebant, devictorum facultates illis distribuendo. Idem agere nobiscum solet liberalis DEUS, qui donando non recipiendo ditatur. *DEUS dives in misericordia.* Præter hanc superabundantem & plenissimam mercedem in cœlo nobis reservatam, quâ victores donabimur, alia in hoc Mundo datur, dum fidelibus suis, quasi militibus uni magis, alteri minus copiosum, prout utilitas nostra requirit, stipendium distribuit, ita ut ex unâ parte vires bellandi suppeditentur, ex altera victoriæ impedimenta removeantur.

V. Neque tantùm particulari alicujus, sed potiùs bono communi movetur, DEUS ad hunc aut istum locupletandum. Ideo multis largitur divitas, ut miseriam pauperum sublevent. Fontes, quos natura in montium produxit cacuminibus, non ideo scaturiunt, ut soli montes illis fruantur; sed ut postquam satis humectati sunt, reliquias in vallium utilitatem undas derivent. Sic omnino res se habet cum facultatibus; à DEO liberali manu in domo quadam congregatis: has enim non ideo dedit huic familiæ, ut in ea stagnent & putrefiant, sed ut in commodum eorum, qui, in humiliore statu vivunt, descendant. *Dives & pauper obviaverunt sibi: utriusque operator est Dominus.* Dives & pauper in Mundi gubernatione sibi obviant; diviti enim mandatum est, ut abundantiâ suâ indigentis necessitati subveniat, quemadmodum filius primogenitus in mandatis habet, ut fratrum suorum minorum curam gerat; pauperi verò præceptum est, gratum se erga divitem exhibere, & ut salvetur, preces pro eo ad DEUM fundere. Ita inquit Sanctus Augustinus: *Pauperis est orare, & divitis erogare.* Et propter hanc causam DEUS voluit in mundo paupertatem esse & divitias. *Utriusque operator est Dominus,* ut pulcherrimus ordo inde resultaret. Robertus Rex Franciæ quotidie mille alebat Pauperes, cúmque esset in itinere, equis & curribus post illum vehebantur, ne unquam illi deessent. An non verè plus erat hic Rex? utique, erat enim primogenitus, qui majoratu, ut appellant, suo ad mentem Patris cœlestis, à quo illum acceperat, usus est, ideóque mirum non est, in ejusdem familiâ Franciæ coronam eleemosynis stabilitam, ipsi verò æternam in cœlis collatam esse.

Serm. 25. de Verb. Dom.

Ribaden. de Urin. Christ. l. 2. c. 10.

VI. In summa, id quod DEUS nobis benefaciendo prætendit, est, ut bene operando nos gratos exhibeamus; ita ut qui in recipiendis beneficiis primi sunt, sint similiter primi in obsequiis deferendis. Hanc ob causam rotas curruum vestrorum inungitis, ut faciliùs moveantur. Ita quoque facit DEUS. *Dedit illis regiones gentium & labores populorum possederunt,* inquit Psalmista, *ut custodiant justificationes ejus, & legem ejus requirant.* Si tota illa non inungeretur, per viam strideret: eodem modo, si homo ille non leniùs tractaretur à

Ps. 104. 44.

DEO, recalcitraturus prævidetur, in furorem agendus, omniáque lamentis & lacrymis impleturus; quare ad omnes hujusmodi perturbationes evitandas, ei bona impertitur. Quòd si iis abutatur minimè sequitur, DEUM non semper ea animo illum juvandi concessisse.

S. Thom. 2 q. 126. a. 1. ad. 3.

VII. Hæ sunt altissimæ providentiæ intentiones, quas habet DEUS, dum temporalia nobis confert beneficia. Considerate quæso, quàm sint illæ amabiles & justæ! sed tantò horribilius est peccatum, quòd has intentationes perturbat, & à fine suo avertit, dùm id contra DEUM vult pugnare, quod pro majore illius gloriâ servire deberet, utque quod nobis prodesse deberet, nos ipsos impugnet. Atque ita imprimis, qui libero, quod supra Mundum universum ipsi competit, Dominio DEI se opponit, facit, ut negatæ præeminentiæ, favores & fortunæ præeminentiæ, favores & fortunæ bona in contemptum ipsius usurpentur. Adam & Eva, licèt vix DEI manu plasmati, & ab illo vitæ spiritu, quem Creator in faciem illorum inspiraverat, adhuc, ut ita dicam, calidi, cùm viderent se in medio Paradisi terrestris positos, cùm soliciti esse debuissent, quomodo gratos se Benefactori suo exhiberent, tantùm cogitârunt, quomodo bonum sibi prohibitum, bonum illud vilissimum, assequerentur, hoc est, ut pomo interdicto vescerentur. At O quàm multi improbi filii, pessimi illius instinctûs hæredes, quotidie primis parentibus nostris succedunt! Nascitur hic in domo rebus omnibus abundante, natat, ut ita loquar, in deliciis; omnes sibi conditione pares facultatibus superat; attamen his omnibus non acquiescit; inhiat miseræ viduæ illius agello, quia illi arridet; illi colliculo, isti prato, huic infelicis pupilli vineæ, quia propiùs suæ adjacet; ideóque auxilii specie matri, viduæ, aut filio pupillo aliquantum pecuniæ mutuum dat; sed intra breve tempus à summa mutuo præstita illiúsque censibus tota parva hæc substantia devoratur, alterique accrescit. Alius quidam pater-familias numerosam domi alit prolem, & ex omnibus ineptissimum & magis discolum vult initiari Sacris, licèt ne quidem inter milites adlegi mereatur. Sed hoc parum est. Postquam hic ipse filius scandalosâ vitâ suâ vestes, & Sacerdotalem dignitatem contemptui exponit, nihilominus vult illum Animarum suscipere curam; tantúmque commendationibus, muneribus, emptisque favoribus efficit, ut quasi vi in vocantem Ecclesiam intrudat. Quæro jam ergo, credúntne tales Patres facultates & filios à DEO sibi datos, aut non credunt; si non credunt, eradamus nomina illorum à baptizatorum codice; non enim digni sunt, qui vel inter Turcas locum habeant, utpote qui DEUM omnis prosperitatis suæ authorem cognoscunt; si credunt, quæ detestabilior est ingratitudo, quàm ea, quæ DEUS ipsi largè concessit, vel DEI in gratiis impendere?

VIII. Nihilominus hæc est communis plurimorum Christianorum &

pol-

politica consuetudo, novos velle acquirere proventus, acquisitósque novâ Benefactoris sui offensâ stabilire. Incredibile videtur, fieri potuisse, quod tamen Sacra Biblia in Jeroboamo contigisse affirmant; cui cùm DEUS per manus Prophetæ Ahiæ decem Israëlitici populi tribus tradidisset, vix cæptâ possessione, duobus idolis publicæ adorationi expositis sibi Regnum firmare statuit, ut Populum ab Hierosolyma adeunda averteret: quo tam frequenter commeare non posse existimabat, uti lex præcipiebat, quin pristinam ad antiquam Regem Roboamum inclinationem reciperet. Incredibilis, inquam, videtur tanta in illo impudentia, postquam DEUS ei promiserat, se regnanti perpetuò opem laturam, si fidelis maneret, quemadmodum jam imperium adeptus expertus fuerat. At nihilominus, quod nobis videtur incredibile, id quotidie oculis nostris à tot Patribus-familias incautis, à tot falsis Notariis, & à tot fraudulentis Mercatoribus fieri videmus, qui DEI legem transgrediendo sua conservare, & augere volunt, nec non ejus locò maledictum lucrum, quasi idolum suum adorare. *Incrassatus, impinguatus, dilatatus dereliquit DEUM factorem suum.* Gratiis Divinis indurescunt, quemadmodum radiis solaribus aqua marina in salem mutata induratur.

IX. Quòd si deinde DEUS, ut ad meliorem reducantur frugem, aliquorum bonorum, ob quæ tam insolentes facti sunt, subtractione paternè illos castigat; si litem illis inten li permittat, si consilia evertat; si grandine agros illorum devastet; ecce quàm diabolicæ statim audiuntur maledictiones, & blasphemiæ, potiùs ocul s in exiguum illud, quod illis ablatum est, quàm in plurimum illud, quod relictum est, convertentium, aut illius solùm temporis recordantium, quo eodem bono gavisi sunt, non ejus, quo jam non ampliùs fruuntur. Audite, quàm longè aliter Viri sancti loquantur. Sanctus Ambrosius fratre suo tam dilecto more sibi erepto; recordatione temporis, quo simul vixerant, se consolabatur. *Lætandum mihi magìs est, quòd fratrem talem habuerim, quàm dolendum, quòd amiserim. Illud enim munus, hoc debitum est.* (Or. in obitu Satyr.) Annon obsequium tibi præstat amicus ille, qui per diem integrum equum tibi concedit, licèt vesperi eundem à te repetat? Et cur, si hominis erga vos merita cognoscitis, DEI quoque vobis collata beneficia grato animo non recolitis; quando postquam pluribus annis uxorem, maritum, filios, facultates reliquit, tandem morte, aut infirmitate, aut paupertate immissâ, nomine suo, quod suum est, repetit? (Ibid.) *Qui posuit pignus, recepit.* Quis lusores illos æquo animo tolerare potest, qui postquam tot continuis vicerunt lusibus, ob primum, quem perdunt, irascuntur, chartas dilacerant, mensámque evertunt? Omnino similes sunt his omnes illi, qui bonorum à DEO perceptorum obliti, illorúmque, quibus adhuc fruuntur, ob exiguum illud, quo privati sunt,

Sacri-

ſacrilegis dictis Divinum Numen invadunt, illúdque pejus, & durius habent, quàm ſervos ſuos. Servo quippe abeunti pro tempore illo, quo domi operam ſuam collocavit, merces porrigitur; at omnium beneficiorum à DEO perceptorum uſque ad hanc diem nulla habetur ratio, ſi non eadem pergat impertiri. Et ecce quomodo primam DEI intentionem pervertat peccatum, qui ideo proſpera concedit hominibus, ut gloriam ab illis recipiat, eósque eodem tempore in ſe bonos efficiat.

X. Quoad alteram DEI intentionem, ut ditatos à ſe, erga alios etiam efficiat beneficos, hæc ipſa quoque quotidie adhuc pejus à peccato depravatur. *Quæ perfeciſti, deſtruxerunt.* Pſal. 1. 10. 4. Quomodo enim tales illos eſſe vultis, qui quò plùs habent, eò adhuc plùs habere deſiderant, nec modum ponunt inſatiabili ſuæ cupiditati habendi & congregandi? *Non eſt finis acquiſitionis eorum.* Res videtur mirabilis, mollia nobilis alicujus viri viſcera ſæpiùs in duriſſima ſaxa lapideſcere, ſaxa quæ ferro reſiſtunt; adeò difficile eſt, illa in fruſta comminuere. Cauſam hujus deſideratis; ecce! Nimius calor in renibus prædominans, adeò illa accendit, ut quaſi naturam illorum mutaverit. Vos nonnunquam obſtupeſcitis, videntes aliquos in præſtando aliis obſequio tam duros eſſe, ita ut ne quidem oblato pignore flectantur, tam duros eſſe in erogandâ indigentibus eleemoſyna, ut eos quaſi hoſtes ſuos intueantur. Et unde, quæritis, tam dura hic accepit viſcera, ut potiùs lapidea, quàm carnea videantur? Pater ipſius Vir erat charitate pleniſſimus, & quod habebat, ſuum non credebat, tam promptus erat ad opem indigentibus ferendam. Imò hic Nobilis olim non erat talis, ab aliquo tempore ita mutatus eſt. Nolite hoc mirari. Peccatum, ab illo tempore, de quo vos loquimini, illum occupans, tam inſolitum amoris erga pecuniam calorem accendit, ut non tantùm viſcera, ſed etiam cor ipſum in lapidem obriguerit. Hinc ex acquiſitis nihil depromit, aut ſi quid elargiatur, id quod à DEO accepit, in contemptum illius expendit.

XI. Adverto, duobus modis DEUM de impiis à ſe locupletatis conqueri. Primò quidem, quòd ex auro idolum ſibi conflârint: Secundò, quòd ex auro dona idolo obtulerint; duobus quippe modis abutuntur illi amplioribus facultatibus ſuis, quas præ cæteris largiore manu illis DEUS donavit; aut enim immoderato affectu pecuniam ſuam, quaſi ultimus eorum eſſet finis, adamant, (quod eſt illam graviſſimo cum peccato tanquam idolum colere) aut eam pro fovendo peccato impendunt, quod idem eſt, ac ſi idolo ſacrificarent; quippe pecuniâ falſos ſibi comparant teſtes; pecuniâ miſeros opprimunt, pecuniâ infamia alunt commercia, verbo pecuniâ proportionata omnibus vitiis ſuis comparant paſcua, pauperes verò ſemper vacuos dimittunt. Eſto, etiam parum aliquid in eleemoſynam errogent, illud tamen videntur

tur ex ipsis venis eruere; tam parcè & libenter manum aperiunt. Quare observare licet, pauperes ad eleemosynas largiendas faciliores esse, quàm divites. *Homo indigens misericors est.*
†. Non solùm quia miseriis aliorum magis compatiuntur, quasi qui in se ampliùs eas experiuntur, sed etiam quia minore affectu feruntur in illa, quæ pauperibus erogant. Et quod hoc sit veritati consentaneum, casum audite admirandum.

XII. Certus quidam lapicida, cui nomen erat Eulogius, tam benignus erat erga pauperes, ut labore manuum suarum miserè vivens, quidquid sibi reliquum habebat, pauperibus erogaret. Tanta viri charitas adeò placuit Sancto cuidam Eremicolæ, Daniëli dicto, ut instantissimè DEUM rogârit, pauperem hunc opificem locupletaret: existimans eum, quòd in fortuna infra mediocrem tenui tam esset liberalis, ubi ad pinguiorem sortem evectus fuisset, liberalissimum futurum. Minimè verò, (inquit Angelus Domini Daniëli apparens) non est illi bonum, ut dives fiat. Verùm hæc monitio non potuit Daniëlem à desiderio suo avertere; quare imprudenti Zelo actus, coram Tribunali Divino pro Elogio sponsionem fecit, promittens eum tam pro se, quàm pro aliis divitias bene impensurum. Quamobrem DEUS fecit, ut Eulogius, dum excavat lapidem, magnam in eo auri vim inveniret; cujus cùm jam esset Dominus, prima illius cura fuit, pauperum jam pene obliti, quomodo inter Justini Senioris Imperatoris Aulicos locum obtineret; quod, dum animum illius muneribus corrupit, adeò dextrè assecutus est, ut magno exercitui generalis Archistrategus pro remuneratione præficeretur. In quo dignitatis gradu, cùm tantum morum licentiâ, quantum officii præeminentiâ superaret milites, incepit deprædari Templa, spoliare Monasteria, vitámque omnibus sceleribus plenam ducere. Et ecce nocte quadam, dum Daniël orationi vacabat, miser Eulogius ad Tribunal Divinum trahitur cum immenso grandium criminum suorum indice, propter quæ tanquam fidejussor etiam ille ipse Daniël accersitur; qui stupore plenus inconsideratum Zelum suum deplorans & detestans denuo DEUM rogat, Eulogium ad antiquam paupertatem suam reducere dignetur, séque tam periculosâ utrique sponsione absolvat. Tantam habuit hæc oratio efficaciam, ut quamprimum effectum sortita sit. Eulogius siquidem facta cum Hippatio & Pompejo conjuratione contra Justinianum Justini successorem cum complicibus detectus fuit. Quare omnibus privatus facultatibus non sine magna difficultate fugâ se eripiens, ad antiquum lapicidæ opificium reversus, totus vultu mutatus & incognitus labore manuum, ut antè vitam suam sustentavit, DEúmque, cujus oblitus fuerat, de novo veneratus, iterum eleemosynis erogandis se impendit, quas in rapinas commutaverat. Perpendite quæso hoc in casu variis documentis plenissimo, an non præ omnibus verissimum sit, quod dixi, hoc

est pauperes multò libentiùs, quàm ipsos divites eleemosynas elargiri, quarum viscera ab avaritia, invidia & libidine penitus indurantur, statutúsque in conferendis ipsis à DEO beneficiis ordo pervertitur. Quamobrem maxima bona à DEO recepta illi ipsi in maximum malum convertunt; Unde fieri solet, ut aut prosperitate excidant, aut quod pejus est, ut prosperis abusi, se ipsos Animásque suas perdant; quemadmodum loquitur sapiens. *Prosperitas stultorum perdet illos.* Sicut matres,
Prov. 1. 32. quæ proles suas nutricibus alendas committunt, se ipsas nonnunquam nimiâ illâ lactis copiâ inficiunt; quod utilissimè in propriorum filiorum sustentationem derivare poterant.

II.

XIII. At non minora damna infert peccatum, dum tam tribulationes, quàm prosperitates à fine suo avertit. Imprimis verò, cùm de tribulationibus mihi dicendum sit, necesse est, ut à sensuum judicio ad rationis; nec solius rationis, sed ad rationis fide fundatæ & roboratæ tribunal provocem; supponite igitur, duas in homine esse mali qualitates; unum vocatur malum culpæ, alterum malum pœnæ.
S. Thom. 1. p. q. 38. a. 3. Quod attinet ad primum culpæ malum, non aliunde quàm à perversa voluntate nostra trahere potest originem; sed malum pœnæ totum à DEO provenit, quemadmodum ille ipse per Prophetam declarat: *Si erit*
Amos. 3. 6. *malum in civitate, quod Dominus non fecerit*; ideo Jobus (quemadmodum
In Ps. 31. valde bene expendit Sanctus Augustinus,) in tribulationibus suis non dixit: Dominus dedit, Diabolus abstulit, sit Nomen Domini benedictum: instruens nos, in omnibus adversitatibus nostris (licèt non tantùm ab hominibus, persecutoribus nostris, sed etiam à Diaboli rabie immissis) semper DEI voluntatem eas præcipientem recognoscendam esse, illique tanquam malum pœnæ attribuendas, & non adversariis nostris, qui non aliud in illis sibi proprium vendicant, quàm malum culpæ. Et quia hoc magni momenti punctum est, adhuc meliùs obviâ quadam similitudine explicabo.

XIV. Fingite vobiscum hominem juratum, & infensissimum Lictorum hostem; fingite quoque ob crimen commissum hunc jubente judice in carcerem conjici, quæstionibúsque subjici. In hoc casu Lictores hostes ipsius ligatum in custodiam compingunt; ab ipsis pluribus vincitur compedibus in carceris ergastulo, extractúsque equuleo appenditur; Omnia autem hæc ex vindicta & nequitia sua faciunt. Nihilominus neque captivitas, neque tormenta à mala apparitorum voluntate dici possunt provenire, sed solùm à recta Judicis voluntate justitiam amante proveniunt. Ita & nobiscum res se habet. Hic adversarius noster injustè nos accusat, iniquam intendit litem, aliquem cognatorum nostrorum trucidat. Illud odium, quo omnes hi eventus effectui dantur, est hominis hujus perversi, qui nobis malè vult; sed omnes illi eventus à DEO sunt, qui instar Judicis

Adversariis nostris tanquam ministris ad æquissimam justitiam suam exhibendam utitur.

XV. Stabilita hac summi momenti veritate pro solatio in quibusvis adversitatibus nostris capiendo, dico, DEUM affligendo nos non aliud intendere, quàm quod aurifaber, cùm aurum mittit in ignem; vult nimirum illud excoquere, à terræ fæcibus di-
m. scernere, splendorémque augere. Ita
. DEUS, inquit Sanctus Thomas, adver-
7. sitatibus aut à vitiis purgare animam,
4. aut virtutibus illustrare intendit. Pri-
q. mò intendit eam à vitiis mundare. An
• enim ignoratis, quid sint afflictiones illæ, quas sæpenumerò tantoperè exaggeratis; ut sunt, magnum æs alienum, paupertas, persecutiones, lites; afflicta valetudo, aliáque similia? Sunt quoddam speculum, in quo vult DEUS, ut peccati absurditatem contemplemini, quo quasi Basiliscus se ipsum intuendo in vobis perimatur. Nec hoc contentus insuper vult DEUS, ut hac occasione ad vosmetipsos redeuntes dicatis: hæc meriti sumus: *Nos quidem justè, nam digna factis recipimus.* Hanc quam à filia mea modò refero ignominiam, meritus sum, tum quia curam illius, sicut debebam, non habui cùm quia adhuc adolescens aliarum filiarum honori non peperci. Fieri itaque solet, ut tale speculum non solùm iniquitatis nostræ objecta proponendi, sed etiam ad intuendam illam oculos aperiendi vim habeat, quare Sanctus Gregorius dicebat: *Oculos, quas culpa claudit, pœna aperit.*

XVI. Æquum quidem est, ut à creaturis tractetur homo, quemadmodum ipse tractavit DEUM, ut ingratum animum nostrum cognoscamus, & tandem aliquando ad saniorem mentem redeamus. An non etiam vos ipsi, ubi quendam filiorum vestrorum videtis prodigum, strictiùs illum habetis, ut damno suo parsimoniam addiscat; nec toleratis, ut quisquam domesticorum pecuniam ei subministret, ne ansam habeat illam dilapidandi. Ita nobiscum summâ cum providentiâ & misericordiâ facit DEUS, dum non solùm tribulationibus præterita punit peccata, sed etiam quæ adhuc committi possent, avertit. Omnis cordium nostrorum impuritas ab immoderato erga bona præsentia amore enascitur. Necesse est igitur hæc nobis auferri bona, ut purificemur, cùm concupiscentiæ flamma non aptiùs, quàm linguorum, quibus alitur, subtractione extingui possit. Advertens Pavo sociam suam ob nimium prolium amorem vix aliud unquam facturam, quam ovis incubituram, & ad maciem, imò ad mortem usque defecturam, ut illa excludat: quid facit? omnia confringit. Quot Patres & Matres propriarum negligunt curam Animarum, ut filiis non solùm de necessariis, sed de superfluis provideant; non tantùm, ut in præsentibus succurrant indigentiis, sed etiam in possibilibus, quas fortè nunquam patientur. Non toties Sacrosancto Missæ officio assistunt, quoties possent assistere; non toties frequentant Sacramenta, neque mane, neque ve-

 speri

ſperi ob negotiorum multitudinem & familiæ alendæ difficultatem ad DEUM, preces fundunt. Diſperdam igitur, inquit DEUS, hæc ova, quæ tanto cum generantium detrimento, & exiguo filiorúmque commodo foventur; moríque præcipit, ut chariſſimos in medio ætatis flore abripiat. Sic illi aufert uxori maritum, ut amorem, qui totus in miſelli hominis ſinu repoſitus eſt, in DEUM convertat. Dum igitur in hac illáve domo audiuntur lamenta, DEUS ſurdas præbet aures, non quòd non audiat aut non compatiatur, ſed quia recto & Divino amore nos amando non lacrymas noſtras, ſed utilitatem noſtram reſpicit.

XVII. Medici tradunt, infanti ploranti non quamprimum ſiſtendas eſſe lacrymas, quia lacrymæ ſanitati proſunt, quibus à nimio humore per oculorum canales caput purificatur, An igitur vos vultis, ut ad primam in tribulationibus veſtris lacrymam ab oculis veſtris decidentem, idem quamprimum audiatis à DEO, quod afflictæ illi ob mortem Unigeniti Matri
Luc. 7. 13. viduæ Chriſtus dixit: *Noli flere.* Dicturus eſt id ſuo tempore: ſi patientes fueritis, propriis manibus exterget oculorum veſtrorum lacrymas, ubi cœlo vos tranſcribet. Sed cœlo nondum maturi eſtis. Plorate igitur nunc; hæ enim lacrymæ proſunt animæ veſtræ ſanitati, quæ ab immoderatis affectibus tribulatione purgatur. Væ autem vobis, ſi DEUS vos non ſinat plangere! Væ vobis, ſi vobis omnia è voto ſuccedant! peſſimum hoc eſt pro anima ſignum, nunquam domi ſuæ afflictionem ſentire. *Væ vobis divitibus, qui habetis conſolationem veſtram.* Luc. 6. Væ! Væ! quòd ſi in prato ligatum conſpiciatis equum, ſtatim dicere ſoletis: Hic equus non caret Domino, ſi verò dies noctéſque hunc equum abſque freno vagari videatis, meritò dicitis: hic equus eſt primò occupantis, aut certè quamprimum lupo in prædam cedet. Quid cogitatis? Vincula, quæ nos ſtringunt, nec in omni ſenſualitatis prato pro arbitrio noſtro diſcurrere permittunt, optima ſunt indicia. Indicia ſunt, nos eſſe DEI, illúmque quaſi Dominum noſtri curam gerere, cuſtodiréque. Ubi econtrario pro libidine noſtrâ vagamur, ſignum eſt, nos à DEO deſertos, lupóque infernali in cibum relictos eſſe. Paupertas nobis utilis eſt, ut damnationem evitemus, in quam facultatum abundantiâ præcipitaremur. Ignominia prodeſt, ut indomitæ ſuperbiæ noſtræ frænum imponatur. Infirmitas inconſideratis noſtris auſibus vires adimit; omnis denique adverſitas prodeſt, ut cognoſcamus à DEO nos amari. Et ecce quàm verum ſit igne tribulationis nos purgari, ideóque ut talem timendum non eſſe. *Quid times ignem,* inquit Sanctus Auguſtinus, *qui tibi ſordes tollet?* Dei Bar c.

XVIII. Quòd ſi aurum noſtrum tali ſcoriâ permixtum non fuerit, hoc caſu tribulatio non quidem ad purgandum ab illo terram, ſed ad novum fulgorem addendum proderit. Jac. *Patientia opus perfectum habet*, inquit Sanctus Jacobus Apoſtolus. Patientia ulti-

ultimam perfectioni Christianæ manum addit, quæ terrestrium fæcium abjectâ immunditie, in adversitate novum perfectæ virtutis splendorm acquirit. Ratio est, quia una eodémque tempore afflictio duo nobis confert beneficia; dum nos à nobis ipsis avellit, DEóque conjungit, & nos à nobis ipsis avertit, & proprium amorem consumit, quemadmodum febris dolorem pellit, & consumit. *Infirmitas gravis sobriam facit animam.* Aliàs nos ipsos amantes, quamdiu in præsenti vitâ sub apparentis felicitatis umbrâ requiescere possemus, nunquam ad patriam nostram cœlestem transire cogitaremus, fixísque ex hac Jordanis parte accomodis sedibus, cùm stolidis ternis illis Israëlitis tribubus, terræ promissæ possessioni renunciaremus. Certum est, si quis quorundam Christianorum corda penetrare posset; clarissimè cognosceret, quòd si per omnem æternitatem præsentibus frui possent commoditatibus, licèt nonnunquam sordidis & fœdis, quæque millenis malis scatent, nihilominus æternæ in cœlis felicitati renunciarent, in hac miseriarum valle manere mallent. Necesse est igitur, ut suo tempore tribulationibus nos concutiat, & à lacte isto, mundi mamillis magis dulcibus, quàm salutaribus, amaritudinem aspergendo avellat. *Infirmitas gravis sobriam facit animam.*

XIX. Hac ipsâ tribulatione DEO conjungimur, qui ordinariè nunquam arctiùs nos suo pectori astringit, quàm quando rigidiùs nos percutit: An non videtis, quid faber agat, dum candens tractat ferrum? unâ manu illud tenet, alterâ percutit. Et hoc ipsum Zelosus DEI famulus Joannes de Avila inter dolores suos petebat â DEO; Domine DEUS, inquiebat, unâ manu teneto, alterâ percutito. Hanc petitionem dicit à Sancto Davide, qui pulcherrimis illis verbis DEUM alloquitur: *Firmetur* Ps. 88.
manus tua, & exaltetur dextera tua. 14.
firmetur manus tua, dicere volebat, firmum me teneas sinistrâ, *& exaltetur dextera tua*, significare volebat, eleves dexteram tuam, quantum tibi placuerit, eáque me percutias. Tunc Anima majori cum fiducia & fervore preces ad DEUM fundit, quo majori premitur necessitate. Illi ipsi, qui mari tranquillo DEI ampliùs non sunt memores, quamprimum venti insurgunt & tempestates, ad illum recurrunt, concipiunt vota, plurimáque promittunt, humiliter agnoscentes, se viribus suis nihil præstare posse. *Domine* Matth.
salva nos perimus. Quare ex hoc 8. 25.
etiam capite bonum aliquod, non malum vocari debet, quia non solùm à DEO provenit, sed pariter ad DEUM reducit. Profectò hæc ipsa tribulatio tam potens ad DEUM revertendi est medium, ut Isaias Propheta unicum medium ipsam dicere non dubitârit. *Tantummodo sola vexatio in-* Is. 28.
tellectum dabit auditui. Non ideo 19.
quòd DEUS alia non habeat media, sed quia hoc in praxi per se ipsum est validius, mirabilémque etiam aliis addit efficaciam. Quanto jam tempore cor puellæ istius alloquitur, ut à peri-

periculoso consortio eam avertat, ut ab immodesto vestitu, aspectibus, colloquiis, risibus abstineat; nihilominus Misera DEUM monentem non audit; Quid ergo cum hac surdâ facit? in lectum illam conjicit, & cum sanitate illam vivacitatem, illúmque vigorem aufert, quo non minùs in propriam suam, quàm aliorum ruinam utebatur. Unde in afflictione sua fateri cogitur superba, se prosperitatis tempore non aliter vixisse, quàm quasi ne quidem DEUM nosceret. Accipiter jam satur, quamvis sublimis in aëre Dominum se fistulâ revocantem audiat, simulat se non audire, pergítque in aëris illis vagari campis; at ubi fama premitur, ad primum Domini signum descendit, oculos sibi tegi, pedésque vinciri sinit. Audite me igitur, si quis est inter vos, qui Divinis resistit inspirationibus (audite me inquam.) Unum ex duobus vobiscum fieri permittet DEUS; aut vos opportunæ tribulationis igne è lethargo excitabit, aut etiam rigidiùs vos puniendo, à quacunque tribulatione vos
Ps. 9. 25. eximet. *Secundùm multitudinem iræ suæ non quæret.* Quemadmodum Medicus non priùs infirmum cessat invisere, quàm ubi de redendâ illi sanitate desperat, séque oleum & operam perdere advertit.

XX. Sed ad propositum nostrum redeamus. Negari non potest, charitatem esse aurum, Tribulationem esse fornacem, in qua illud excoquatur, purificetur. Sed quid de Christianis illis dicemus, qui tribulatione pejores fiunt? jure merito dicere possumus, illos esse impii Regis Achabi fratres, qui tanquam venenatus bufo sub lapidum acervo toxicum suum auget. *Tempore angustiæ suæ auxit con-* 2. 28
temptum in Dominum. Ab igne illo, quo purificari deberent, adhuc magis sordescunt, & eo, quo magis DEO uniendi forent, magis avelluntur. Quid animabus igitur adeò rebellibus faciet DEUS? à se tanquam ineptas intentioni suæ, quâ Cœlo eas destinaverat, projiciet. *Argentum reprobum* Je. 6.
vocate eos, quia Dominus projiciet illos. Contremiscamus, Charissimi, ad horrendes hásce minas. Væ illi, qui tribulationibus à DEO missis ad meliorem vitæ frugem non redit! Væ multò magis illi, qui pejor fit, & pro gratiarum actione contra DEUM murmurat, linguámque non in laudes, sed in blasphemias exsolvit! Ego mihi persuadeo, non posse in miseriori statu inveniri Animam, quàm quæ à DEO adversitatibus correpta, dum peccatis suis irasci deberet, contra judicem se corrigentem insurgit. Talem Animam jam semiperditam arbitror. *Argentum reprobum vocatis eos.* Ego mihi imaginor, eam jam in Orci stare atrio, forésque illius pulsare, ut in eorum admittatur consortium, qui à DEO flagellari, ùt inquit Sanctus Joannes, non ad pœnitentiam, sed ad blasphemias se vertunt. *Blasphemaverunt DEUM cœli præ doloribus,* Ap. 16.
& non egerunt pœnitentiam ex operibus suis.

XXI. Quare in adversitatibus nostris, Charissimi, iniquitates nostras agnoscamus, recordemúrque nos pec-

cando debita contraxisse; &c, si contraximus, cur lamentamur igitur, si illorum solutionem à nobis exigat DEUS? *Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei.* Si voluntati nostræ contra DEI voluntatem satisfecimus, an non æquum est, ut contra voluntatem nostram suæ satisfaciat DEUS? ita profectò res se habet. Quare tam in die prosperitatis, quàm in nocte tribulationis benedicamus DEUM, quia utraque in utilitatem nostram ab eodem Domino producta est. *Tuus est dies, & tua est nox.* Humiliter rogemus DEUM, aut ut ab afflictione nos liberet, aut patientiam nobis tribuat; quæ ut plurimum magis nobis prodest, quàm si ab eâdem liberaremur. Sursum deorsúmque invertatur Mundus, inquiebat Tertullianus, perdatur sanitas, ruat nominis æstimatio, fiat bonorum jactura, tota pereat familia, modò patientiam retineam. *Totum sæculum pereat, dummodo patientiam lucrifaciam.*

XXII. Interim considerate obsecro, quàm validum peccata detestandi motivum nobis hodie proponatur. Perpendite, quomodo cunctis Divinæ providentiæ decretis se opponat homo impatiens, seu prosperis illum, seu adversis prosequatur. Eò proterviæ ducuntur peccatores, ut DEUS eos salvandi medium non inveniat. Beneficiis insolentiores, pœnis procaciores redduntur; quicunque sive secundus, sive adversus in mari ipsorum aspiret ventus, neutro utuntur, ut ad littus appellant, sed magis recedunt. Nemo quidem, verissimum est, repentè fit pessimus, sed tandem continuâ malè agendi libidine habitus contrahitur. Quamobrem Charissimi, qui titubare cœpit, quamprimùm pedem retrahat, antequam faucium tenus sordibus mergatur; quod si vires illi desint, clamet ad Dominum, manúsque cooperando extendat, & elata voce dicat: *Salvum me fac DEUS, quoniam infixus sum in limo profundi.* Psal. 38. 1. Aliàs enim immunditia illius fiet intolerabilis & execranda, ita ut non solùm Divina patientia, sed etiam omnipotentia eam detestetur. *Immunditia tua execrabilis, quia mundare te volui, & non es mundata à sordibus tuis.* Ezech. 24. 13.

XXIII. Duos agricolæ, quibus terram fœcundam reddant, habent modos aut fimo; aut igne eam impinguant, terra igitur, quæ nec uno nec altero modo fœcunda redditur, est terra maledicta. Talis quoque erit Anima illa, quæ nec Divinis beneficiis nec afflictionibus provocata fructum profert. Terra est, quæ, ùt inquit Apostolus, nihil aliud quàm maledictionem exspectare potest, erit *Maledictio proxima.* Hebr. 6. Tunc autem maledictio illa eam obruet, quando judicaturus & puniturus eam, quam in illa videt sterilitatem, horribilem æternæ desolationis proferet sententiam. *Nunquam ex te fructus nascatur in æternum.* A qua Matth. DEUS misericors nos liberet. Vos 21. 19. autem, videte, quid tam adversitatis quàm prosperitatis tempore faciendum vobis sit, ut utroque in statu fini salutis vestræ, quam DEUS in vobis, mediis licèt differentibus intendit, æquali animi conatu respondeatis.

DISCUR-



DISCURSUS XV.

Ex pœnâ Angelorum peccati mortalis gravitas ostenditur.

I. FUlmina paucorum periculo, sed omnium terrore ex aëre decidunt, *paucorum periculo, omnium metu*, dicebat Seneca. Verùm non idem effectus est illorum, quæ de cœlo vibrantur. Hæc, quæ funestissima sunt fulmina, Divinæ Justitiæ manu excussa, hæc inquam vice versâ non sine plurimorum strage, & nullius quasi cum terrore cadere videntur. Quantumvis creaturæ innumerabiles quotidie ab ipsis in horribilissimum præcipitentur barathrum, nihilominus tantum non efficiunt, ut ab hominibus timeantur, qui in talium conspectu tempestatum, ipsis bestiis stolidiores & insensibiliores, pergunt ùt antè, in quibus desideriis
Isa. 64. 15. suis indulgere. *Ecce tu irratus es, & peccavimus.* Quid ampliùs dici potest? dum DEUS strictum manu gerens gladium, ne tot reos percutiat, clamat, cavete, cavete; imò dum campos stragibus, internecionibus, & cadaveribus replet; illi nihilominus, qui superstites manent, pejori pergunt peccare audaciâ, quàm illi peccaverint, quos ante pedes suos interfectos intuentur. Charissimi, excutiamus tandem perniciosam hanc animarum nostrarum stupiditatem. Ego ut me & vos excitem, terribilissimam, quæ unquam è cœlo decidit, tempestatem ante oculos vestros proponam, tempestatem scilicet; qua Angeli è cœlo præcipites acti & eam ob causam è firmamenti stellis in nigerrimos infernorum carbones mutati sunt. Vos quo decet horrore tam horrendam metamorphosin obstupescite. Sed ut quodam ordine in hac materiâ procedam, primò causæ funestissimæ originem, deinde defensionem, ac denique perduellium horum olim Angelorum, nunc diabolorum, causâ cadentium condemnationem videbimus.

I.

II. Inter omnes creaturas primi creati sunt Angeli, qui pro habitatione cœlum supremum, quod à nobis empyreum vocatur, nacti sunt, in quo licèt non quamprimum ad DEUM clarè intuendum elevati fuerint (debebant enim aliquo modo tam sublimem mereri beatitudinem) nihilominus in proxima, quâ magnum hoc gaudium intrarent, ac dispositione positi erant, non secus ac aulici præ aliis charissimi, qui licèt nondum in conspectum Supremi Domini sui sint admissi, in vicina nihilominus, quam vocant, anticamerâ morantur, ut quamprimum Principis intuitu frui possint,

. 1. possint. Natura illorum purè fuit spi-
61. ritualis absque ullius materiæ corruptibilis permixtione, ideóque erant immortales, indivisibiles, nec sensuum debilitati, sicut nos in operando subjecti, ad omnes scientias quamprimum sine libris, absque studio & speculatione discendas mente præditi erant vivacissimâ, voluntas quoque illis erat extraordinariâ pollens gratiâ, quâ absque labore ultimum finem suum consequi possent.

III. In tali rerum statu vix videretur credibile, nisi fides non doceret, tantam tam sapientiam & illuminatarum, tótque beneficiis à DEO exornatarum creaturarum multitudinem, paulò antè ab ipso productarum, potuisse DEI imperium detrectare. Attamen tam feroci támque formidabili tumultu DEO se opposuerunt, ut locum pacis in certaminis campum mutârint. *Factum est prælium magnum in cœlo.*

IV. Nec quod tanti hujus belli fuerit motivum speciale, exactè sciri potest; certum est fuisse superbiam, quâ DEI imperio se subjicere recusârunt. Verùm unde tam malesana provenerit superbia, adhuc manet sub dubio. S. Bonaventura Angelorum rebellium prævaricationem secundùm hos tres gradus considerat; hoc est principium illius, progressum, & finem; affirmátque, peccatum illorum à præsumptione initium cœpisse; quamprimum se tam pulchros adverterunt, magnum quid sibi visi sunt, haud aliter ac vana quæpiam mulier, nescio quid sibi de se pollicetur, dum plurimas ante speculum horas se poliendo consumit; à præsumptione in progressu suo peccatum degeneravit in ambitionem, dum illi ad multò altiora, quàm quæ conditioni eorum conveniebant, aspirare cæperunt, quemadmodum Propheta his verbis insinuat. *Elevatum est cor tuum in decore tuo:* *Ezech. 28. 27.* sive quòd se ipsos beatitudinis suæ finem constituere intenderint, visionem beatificam potiùs suo, quàm DEI bono desiderantes, quod idem erat, ac si non debita illam intentione peterent; sive quòd ante tempus talem voluerint beatitudinem, volentes contra decretum DEI prius esse comprehensores, quàm violatores. Quod erat illam tempore non debito obtinere velle. *Scot. 2. dist. 6. q. 2.* Sive quòd naturæ viribus à se ipsis illam se posse impetrare sibi arrogaverint, ita, ut Gratiæ auxilio non indigerent. Id quod erat modo non debito illam assequi velle. Denique hoc peccatum in ultimo termino suo horribilissimâ animi contra DEUM aversione completum est: cognoscebant enim arrogantia consilia sua à DEO disturbatum iri. Et in hac aversione omni cum voluntatis suæ libertate obstinatum obfirmârunt animum, quemadmodum polypus omnibus brachiis suis scopulo adhæret. Unde omnino à DEO separati sunt, supremíque illius Monarchæ gratiam, in qua creati erant, perdiderunt. *S. Thom. 1. p. q. 42. a. 3.*

V. Hoc si verum est, considerate, quantopere quodvis etiam parvum mali initium timendum sit, cùm nullus error tam exiguus sit in principio, qui non progressu maximus fieri pos-

ſit. Quid mali eſt parva ſuperbia, dicunt nonnunquam aliquæ mulieres? Quid mali eſt comptiorem aliis, ſpectabiliorem, animoſiorémque videri? Quid mali eſt ampliùs, præ aliis velle amari? Quærite ex Diabolo, ſtatim ille vobis reſpondebit, quid mali ſit. Quietam in piſcina aquam aſpicite, in quam ubi lapillum projeceritis, nihil aliud in principio, quàm parvulum exſurgere circulum videbitis. Sed primum illum ſecundus jam major ſequitur, ſecundum tertius adhuc major excipit, nec circulorum finis eſt, donec tota turbetur aqua. Unde intelligere licet, motus etiam minimos peccati formidandos eſſe; in parva enim mole, quemadmodum in ſemine, vaſtiſſimi continentur effectus. Amor ſui ipſius in DEI contemptum deſinit. Atque adeò veriſſimum videtis eſſe pulchrum illud S. Auguſtini dictum, à duobus amoribus duas fundatas eſſe civitates: *Duo amores duas fecerunt civitates. Civitatem DEI, amor DEI, usque ad contemptum ſui: civitatem Diaboli, amor ſui, usque ad contemptum DEI.* Illud in Angelis bonis, hoc iniquis adimpletum fuit.

S. Aug. de civ. DEI l. 14. c ult. Scot. 2. diſt. 6. q. 2.

VI. Alii Doctores ſuperbiæ Angelorum aliud addunt motivum, ſcilicet ſuperbiæ acceſſiſſe invidiam. Volunt enim Lucifero revelatum fuiſſe & omnibus aliis Angelis, fore ut aliquando ab æterno Verbo caro humana aſſumatur; quare ſacroſanctam illam Humanitatem ab omnibus creaturis adorandam eſſe, eámque primum in cœleſti gloria locum ad dextram Altiſſimi ſedendo occupaturam: Lucifer tantæ invidens ſorti pro ſemetipſo ſupremam hanc, ambitione excæcatus, deſideravit excellentiam, exiſtimans Angelicam id mereri naturam, ut humanæ præferatur. Quamobrem ſecum ſtatuit, nolle ſe humanitati illi adeò exaltatæ ſe ſubjicere, & ſub apparente hoc colore, quo DEUM potiùs Angeli, quàm hominis naturam aſſumere debuiſſe propoſuit, perduellionem hanc tertiæ è quovis choro Angelorum parti perſuaſit, qui toti prærogativarum contemplationi, quibus ſupra humanam naturam pollebant intenti, nolebant, ducis ſui exemplo inducti, Verbo incarnato debitam exhibere ſubmiſſionem, ſed ſolâ injuriæ, quam ſibi fieri putabant, meditatione mentem occupabant. Et hoc fortè tum Chriſtus ſignificare voluit, quando loquens Judæis dixit, velle eos Cacodæmonis adimplere deſideria, qui à principio homicida fuit. Dæmon enim vix creatus unionem cum Verbo Divino, Chriſti invidit humanitati, & in corde, Domini ſui homicida factus eſt; quod denique deſiderium in Judæorum animos transfudit, ut in morte Chriſti illud opere adimplerent.

Junck. l. 7. de ang c. 18. n. 13. Catha. in c. 2. Ep. 2. div Pet.

S. I. de vi via S. C tra Zel liv S. I fer de vei S. I. 64 ad Jo Ri in S.

VII. Hoc ſummarium eſt accuſationis, à Doctoribus contra Angelorum peccatum propoſitæ, quod à Juſtitia Divina, primùm in judicium vocatum, & in quod prima ipſius ſententia lata eſt. Verùm antequam funeſtam illam executionis ſententiam audiamus, non ægrè feretis, ſi ſecundo loco hujus cauſæ Patronum egero, excuſationéſque propoſuero, quæ

coram DEO rebellium suorum prævaricationem minuant, veniáque dignam videri efficiant Hujus verò instituti mei finis erit, ut cum coram Divino Tribunali, licèt clementissimo, omnes defensiones nullius momenti, & ponderis esse videritis, infinitam peccati mortalis malitiam, extremum, quo à DEO hoc nostrum punitur, rigorem addiscatis. Itáque fiet, quemadmodum ad propositum nostrum S. Gregorius loquitur, ut *ruina majorem sit minorum cautela.*

II.

VIII. Negari non potest, grandem Angelorum seditiolorum fuisse inobedientiam. Attamen plures videntur esse causæ, tam quæ delinquentes, quàm quæ delictum excusent, & ob quas pœna impediatur, aut saltem mitigetur. Si delinquentes consideremus, ad pœnam illorum imminuendam, primò se offert sublimissima Naturæ istorum nobilitas. Rex aliquis in æstimatione hominum pluris fit, quam integra populi multitudo: unde meritò dicebat David: *Tu unus pro decem millibus computaris Domine DEUS.* Nihilominus, quoad naturam, quodvis vilissimum mancipium Regi par est. Cogitate jam quantum tam eminentis naturæ nobilitas valeat in uno solo Angelo; cùm omnes homines simul juncti omnibus artibus suis, scientiis & viribus illi comparari non
9. valeant. Quâ de causa Angeli à Jobo vocantur Filii DEI, ob magnam quam
0. habent cum illo naturæ suæ similitudinem, omnino spiritualem: ipsi in rerum creatione omnium fuêre primi: *Ipse est principium viarum DEI;* ipsi pleni intelligentiâ, ad omne bonum affecti, omni decore illustres, omnibus gemmis, quæ in vestiario Paradisi, ut ita dicam, esse poterant, ornati erant. *Plenus sapientiâ & perfectus decore; omnis lapis pretiosus operimentum tuum.* *Ezech. 28. 12. & 13.* Personæ igitur dignitas videtur debuisse à DEO illis impetrare, aut veniam, aut aliquam compositionem & indulgentiam. Abbiatar Sacerdoti noluit Salomon auferre vitam, licèt læsæ Majestatis reo, sed contentus fuit Sacerdotio illum privare. Videtur igitur satis DEO esse debuisse, illis perduelles hósce spoliari prærogativis, quibus inflati elevabantur, solúmque de tanto dignitatis gradu dejicere, at non suppliciis æternis in eos animadvertere. Inter homines quoque leges mitiùs jubent punire nobiles, quàm plebejos, liberos quàm servos, milites, quàm reliquum vulgus. Ipsi etiam artium, non tantùm Liberalium, sed etiam Mechanicarum peritiæ tantus habetur honos, ut omnium Populorum linguis hodiedum commune hoc celebretur effatum, *quòd Excellens in arte non debeat mori*, nec quamvis sceleris alicujus reus sit, ad mortem damnandus est, si summoperè aliquâ scientiâ præcellat. *L. decurionem l. Honor. l. incredibile de pœnis & l. capital. §. non omnes ff. de pœnit.* Imò hic usus magis minúsque, pro majore aut minore delinquentis dignitate puniendi, ansam videtur olim ab ipsomet DEO in lege antiquâ accepisse. Observate, ajebat, animal immundum in quot & quale vas incidat. Si vas fuerit ligneum, lavetur & vesperi mundum erit; si verò vas fuerit fictile, *Levit. 14.*

frangatur quamprimum. Quare si homo, qui vas est de terra, confringatur, & ob scelerum sordes, quibus infectus est, igni adjudicetur, bene habet. At si eâdem iniquitate contaminatus fuerit Angelus, vas electum non de Cypresso aut cedro, sed ex auro, an non major illius deberet haberi ratio, ut potius mundaretur, quàm frangeretur?

IX. Accedit, quòd hic non de uno Angelo solo, sed de innumeris agatur. In quavis perduellione, quâ ratione in reos fertur sententia? Primò ejusdem puniuntur capita, deinde reliqui tumultuosi quæstioni subjiciuntur; non verò omnis populus, licèt culpabilis, internecioni datur. *Delictorum Patrocinium est, turba delinquentium.* Hinc est, quòd militiæ Duces, Exercitu imperium detrectante, non omnes simul milites, sed ad summum decimum quemque morti addicant, secundùm usitatam olim militiæ Romanæ consuetudinem. Itaque præcipuorum hujus rebellionis condemnatione videtur Divinæ Justitiæ satisfieri potuisse, aut, si justo illius rigori hoc non suffecisset, magnæ adeò multitudinis decimo quoque sublato capite reconciliari debuisse. Dum autem de multitudine verba facio, vellem bene à vobis intelligi. S. Dionysius Areopagita sentit, tam immensum esse Angelorum numerum, ut debilium mentium nostrarum capacitatem omninò superet. Potuit autem ille hoc optimè nôsse, cùm fuerit S. Pauli Discipulus, illius nimirum Apostoli, qui, ùt notum est, in tertium usque cœlum raptus fuit, & Paradisi arcana audivit. S. Thomas S. Dionysii auctoritati simul & rationi innixus affirmat (sicut jam alibi significavi) omnes substantias materiales ab Angelis numero incomparabiliter superari. Unde infertur hósce Spiritus in majori numero concreatos fuisse, quàm cœli stellas, imò quàm maris arenas, verbo, quemadmodum inferiora hujus terræ corpora à Superioribus sphærarum cœlestium corporibus mole vincuntur, ita inferiores creaturas ab Angelis multitudine superari. Ex hoc igitur innumerabili exercitu tertia pars defecit. Unde etiam, si tam magna multitudo ex solis plebeiis & infimis populis constitisset, an non videtur habenda fuisse illorum ratio? quomodo igitur hæc non habeatur, cùm Principum, eorúmque non terrestrium sed cœlestium hæc sit multitudo?

V. Suet in Octav. in Cajo. & Cal.

De cœlest. Hier. c. 9.

X. Quid dicemus deinde, si præter nobilium istorum delinquentium dignitatem delicti qualitatem consideraverimus? Erat peccatum cogitationis, & licèt, ut tale, fuerit ausus quidam contra Divinam Majestatem, effectu tamen caruit. Et demus etiam, peccatum fuisse gravissimum, ùt revera fuit, unicum nihilominus & solum fuit. Leges etiam inter culpabilem in idem crimen recidentem, & rerum, qui prima vice delinquit, differentiam statuunt. Quare igitur Divina bonitas, tam aliàs benigna in creaturas suas, hujus rationis pondere non movetur?

L. c. tal. Gra tor. ff. pœn.

XI. Insuper hanc culpam nullius pœnæ

pœnæ exemplum præcesserat, quo illius enormitas manifestè ostensa fuisset. Rigidius puniatur necesse est, qui post admonitionem peccat, quàm, qui ante illam peccavit. *Magis punitur, qui admonitus.* Quapropter si homines tot animarum condemnatione admoniti non cessant, DEI leges infringere, æquum est, ut acerbissimas quoque in Inferno luant pœnas. Verùm an non existimatis, ob talem causam minora Angelis deberi supplicia?

XII. Ob has considerationes hucusque allatas, nostro judicio, vel integra tam nobilibus creaturis primi & solius delicti sui debebat concedi venia vel magna ex parte promeritum diminuere oportebat suppliurn, vel saltem differri. Hoc punctum bene notetis velim, omni enim ponderatione dignissimum est. Verum est, quòd culpam sequatur pœna; sed sequitur pede claudo, ùt trito fertur adagio. Et hic modus est, quo etiam Divina Justitia in foro suo uti solet. Antequam DEUS Pharaonis perfidiam morte puniret, denis memorabilibus Ægypti plagis illum præmonuit; antequam etiam has ipsas infligeret, sæpiùs editis à Moyse minis eum DEUS terreri voluit, ut vindictæ fulmen minarum tonitru præcederet.

XIII. Imò dubitare non licet, sententiæ etiam jam latæ rectitudinem ab executionis quapiam dilatione commendari. Quemadmodum enim venti uno & vehementi impetu insurgentes, semper tempestatem excitant, sic rigidæ executiones, quæ moram non ferunt, potiùs ab impetu, quàm à ratione videntur esse imperatæ. Bene quidem scio, talia præjudicia non habere locum in justitia Divina, quæ sive differat, sive accederet supplicium, semper infinitâ cum sapientia operatur. Sed etiam me non latet, DEUM mentium nostrarum capacitati in operando se accommodare. Unde aliàs homines puniturus tam opportunis uti voluit mediis, ne illis scandali aut oblocutionis, licèt injustæ, occasionem præberet. Sic distulit pœnas sumere ab Hebræis in deserto, ne Ægyptii contra Divinam suam providentiam murmurarent. *Nec dicant Ægyptii, calidè eduxit eos, ut interficeret in montibus;* Exod. 32. 12. quo modo nostri judicii debilitati Justitiam suam attemperabat.

XIV. Præterea, si DEUS Angelorum rebellium castigationem distulisset, spatio pœnitendi ipsis concesso, quâ putatis vehementiâ audaciam suam detestati fuissent? Plurimorum opinio est, id eos facere potuisse, si DEUS illis gratiam suam non negâsset, factur6sque fuisse, si non idem culpæ & vitæ terminis ipsis præfixus fuisset. Quamobrem quos *Sect. in* doloris sensu tunc superbiam suam *2. dist.* deplorâssent? Quâ cum humilitate *7. q. 1.* petiîssent veniam? quos laudis, a- *Less. de* dorationis, amoris actus per omnia *perf.* sæcula frequentâssent? Leges jubent *div. l. 13.* *c. 4.* fœminæ gravidæ ob fœtum ab illa *L. prægnantis* in lucem edendum pœnas differri. *ff. de* Eodem modo in bonorum istorum *pœnis.* operum gratiam, quibus gravida erat mens angelica, etiam saltem

executio condemnationis videtur differri debuisse.

XV. Idque eò ampliùs, quòd ad obsequii illius, quod pœnitentiâ suâ Angeli DEO exhibuissent, tanquam lucri cessantis motiva, accedebant damni emergentis periculo, ob ruinam illorum, quos in contumacia perstituri secum tracturi erant. Reges hujus terræ nonnunquam refractarium toleravêre clientem, ne irritatus gravius ipsis malum adferret, aut ne aperto marte malecontentorum antesignanus eos impugnaret, aut cum hostibus externis fœdus iniret. Ideóque cùm prævideret DEUS, ab his rebellibus, si pro meritis suis punirentur, ad ultimam desperationem deductis implacabile contra Divinam Majestatem bellum suscitatum iri, hominem ad defectionem suam attrahendum, totúmque Mundum idololatriâ, impietate, & sceleribus implendum; nec solùm innumerbiles animas æternæ internecioni dandas, sed etiam ipsum unigenitum DEI Filium humanâ vestitum carne inauditis doloribus, ignominoso patibulo & morte turpissima afficiendum esse; cùm hæc inquam omnia præviderit DEUS, videbatur non inconvenienter debuisse pœnam illorum differre, spatiúmque & auxilia ad pœnitendum concedere.

III.

XVI. Talem homines ferrent sententiam, si magnæ hujus causæ patroni electi fuissent. Verùm non ita suprema DEI æquitas judicavit, qui in hoc casu etiam demonstrare voluit, profundissimam esse judiciorum suorum abyssum. *Judicia tua abyssus multa.* Ps. DEUS perfectissimè tam pulchrarum creaturarum nobilitatem comprehendit, quas manibus suis formavit, immensum illarum comprehendit numerum, novit unicam illarum esse culpam, novítque esse sine exemplo & effectu: vidit illas tanquam liberas de peccato pœnitentes incomparabili obsequio potuisse damnum resarcire; Divina nihilominus Justitia unâ eadémque sententiâ, tanquam turbine omnes simul involutas in infimam abyssum præcipitavit, quamprimum eas in ipso superbiæ actu deprehendit, nec pœnitentiæ tempus reliquit. *Videbam Satanam, sicut fulgur de cœlo cadentem,* Luc. 1 inquit Christus. Fulmen quamprimum intra nubes accenditur, statim decidit, & cùm sursum ascendere deberet, sicut aliàs ignis natura exigit, deorsum deturbatur à terrestris & turbidæ exhalationis pondere depressum. Sic etiam angeli eodem tempore, quo maledictâ illâ accensi sunt superbiâ, in peccato deprehensi se in averni parathrum præcipitatos viderunt, ad quem tam indignum excellentiâ suâ locum immenso peccati pondere delati sunt. Sed cur dico delatos esse, cùm majori emphasi Scriptura referat, tartareis catenis violenter in abyssum detractos fuisse? *Rudentibus inferni detractos.* 2. Pe. Per has catenas, virtus infernalis intelligitur ignis, quàm velut Divinæ Justitiæ minister in miserabiles hosce condemnatos exercuit, quasi

el. quasi supra stellas ascenderit, eósque à sedibus suis avulsos in Orci cavernas abstraxerit, quemadmodum nonnunquam à fornacis flammâ vicina corripiuntur ramenta, priusquam pro pabulo in illum injiciantur.

XVII. Videte igitur, quomodo in hoc condemnationis speculo (quod erat tertium punctum à me propositum) manifesta peccati malitia appareat, tam quæ ut injuria DEI, quàm ut damnum nostrum in illo continetur. Profectò tam clarè hæc malitia in Angelorum suppliciis apparet, ut qui eam non advertit, aut intellectum aut Fidem perdiderit. Charissimi, parumper seriâ mente veritatem istam perpendite, & deinde mihi respondete; Quis fallitur, DEUS, aut vos? Vos nullam in peccato deformitatem apprehenditis, imò quandoque gloriam vobis ex peccato nasci putatis: Et quemadmodum Æthiopes arte nigrum suum augent colorem, sic quoque vos interdum peccato gloriamini, quod non fecistis, honori vobis ducentes, pejores aliis vos peccatores videri. Ex alia verò parte tantam DEUS in peccato videt malitiam, ut propter ipsam ad pulcherrima manuum suarum opera in ignem æternum projicienda moveatur. Ille qui corvorum pullos à matribus desertos tuetur & pascit, tot creaturas in summa & sempiterna miseria à se longè separatas derelinquit. Necesse est igitur concludere, inexplicabilem esse cujuscunque peccati mortalis malitiam, cùm illud DEUS, qui falli non potest, pœnâ infinitâ dignum judicet.

XVIII. Poterat infaustis hísce rebellibus aliquod præparare remedium, sed noluit, ut quantum malum sit peccatum, intelligeremus. Si JEsus Christus à cruce pendens Patrem suum allocutus fuisset, dixissétque, Pater æterne, in satisfactionem totius debiti ab angelis contumacibus apud te contracti unam sanguinis mei guttam tibi placeat acceptare; sola illa gutta pro omnium salute sufficiens fuisset; noluit nihilominus Filius DEI illam pro illis offerre, permisítque, ut clavi Sanctissimo sanguine suo imbuerentur, carnifices aspergerentur, terráque inebriaretur; nec voluit, ut vel una gutta tam universalis diluvii Angelis prævaricantibus applicaretur. Totum autem hoc ideò statuit, ut clarissimè appareret, quàm Divinæ Sanctitati contraria sit iniquitas. Si JEsus Christus etiam Dæmones redemisset, homines fortè existimare potuissent, non esset tantum malum, DEUM offendere, aut saltem malum non esse adeò incurabile. Sed cùm jam videant, naturam Angelicam in condemnatione suâ sine remedio relinqui, bene inferre possunt, tantò magis coram DEO abominabile esse peccati toxicum, quantò pretiosius & dignius est vas illud, quod propter tale venenum in frusta comminutum conspiciunt.

XIX. O peccatum peccatum! quis pravitatis tuæ fundum penetrare poterit? Charissimi, affirmare nobis licet, tantum nos de peccato cognoscere, quantum de mari cognoscimus,

id

id eſt, ſolam ejus ſuperficiem. Aliàs enim nunquam poſſibile eſſet, ut quis illud committere auderet. An non unum ſolum peccatum ſufficiens fuit, ut ex Angelo fieret Dæmon? quando igitur aliquis veſtrûm peccatum unum commiſit, tantam in anima ſua jam habet malitiam, quæ ſufficeret, ut in Dæmonem convertatur: ad Dæmonem enim induendum aliud non requiritur, quàm unus ſolus actus peccaminoſus. Quare cùm Confeſſarius de tali quodam actu vos interrogat: quoties? ſtatim liberè reſpondetis, ſexageſies, aut ſeptuageſies; quaſi decem peccata ampliùs commiſiſſe, nulla notabilis eſſet differentia. At perpendite nonnihil, quid ſint decem illa peccata, quorum vos nullam habetis rationem, quæ nimirum ſufficiunt, ut decem efficiant Diabolos! ſi fieri poſſet, ut decem hæc peccata mortalia decem Sanctiſſimorum, & præcipuorum Seraphinorum conſcientiis imputarentur, quamprimum ex decem Seraphinis, teterrimos decem tenebrarum Spiritus factos videre liceret. Et vos adhuc ſtatum veſtrum non exhorreſcitis? Et quod de decem dico, etiam de quinquaginta, déque centum affirmare poteſtis. Quinquageſies peccâſtis, aut etiam centies, an non ita eſt, quod ſi nunc quinquaginta hæc, aut centum peccata inter quinquaginta aut centum Angelos dividatis, centum aut quinquaginta ex his efficientur Dæmones; & tamen omnis hæc malitia, quæ diviſa ſufficiens eſſet, ut tantam Inferni partem conſtitueret, tota in corde veſtro unita hæret; dum vos interim facetiis, nugis & voluptatibus vacatis, ſceleráque ſceleribus inceſſanter annectitis. Poteſtne in Mundo infelicior reperiri creatura, quàm peccator ſeipſum non cognoſcens? *Quid miſerius miſero, non miſerante ſe ipſum.* S. A DEUS licèt quoad naturam Dæmones pulcherrimum agnoſcat manuum ſuarum opus, nihilominus dum peccatum illorum intuetur, non tanti facit, quanti fœdum vermiculum, ſordidam veſpam, aut peſtiferum ſerpentem. Quanti ergo facere poteſt hominem, cujus anima centenis actualiter peccatis eſt contaminata? quàm abjectus, quàm fœtidus quàm horridus in conſpectu DEI comparebit! *Spreviſti omnes diſcedentes à judiciis tuis.* Pſ. Attamen Adoleſcens ille tam immundus, fœmina illa tam impudica, ob fucatam faciem, ob capillos bene diſcriminatos putant ſe dignos eſſe, ut omnium in ſe convertantur oculi! Verùm alia brevi erit rerum facies. Veniet tempus, quo res quævis, qualis eſt in ſe, videbitur. Qui tapetes conficiunt, ab inverſa tela texere ordiuntur, ita ut dum monſtrum aliquod acu pingunt, illud non intueantur, donec opere abſoluto ad alterum vertant latus, lucique exponant. Non abſimili arte Peccatores ſuam abſolvunt vitam, licèt enim horrenda iniquitatis monſtra dierum ſuorum telæ intexant, nihilominus quia inversâ laborant telâ, illa non intuentur. *Neſciunt quid faciunt.* Luc Sed in mortis puncto omnia aliam induent faciem. Quod enim à tergo, vertetur ad faciem

9. ciem. *Statuam te contra faciem tuam.* Omnia opera ignominiosa talia apparebunt, qualia sunt coram oculis DEI. Nec solùm apparebunt, ut videantur velut injuriæ DEO illatæ, sed ut in propriis artificibus suis puniantur, odióque habeantur.

XX. Divina siquidem Justitia diebus nostris bilancem suam non mutavit, ita ut peccata minùs sint gravia, quàm antè; est ipsamet quæ fuit trutina. Ideóque si unica superba cogitatio tanti ponderis est, ut tam numerosas, támque nobiles creaturas in imam deprimat abyssum, quid fiet de tot & tantis injustitiis, impuritatibus, tot blasphemiis, de legum Divinarum transgressione? Vera hæc esse vos fatemini, dicitisque: sed an non DEUS bonus est, benignus est, an non plena habet misericordiæ viscera? Certum est, quòd bonus sit & benignus, cùm sit ipsamet bonitas & benignitas. Sed non solùm talis est pro vobis, bonus est, benignus est & misericors etiam pro aliis. Videtis nihilominus, quomodo sublimissimas illas tractârit creaturas, postquam peccato se contaminavêre! quamprimum eas à se non in cœnum, sed in ignem projecit, nec unquam eas inde eripere cogitavit.

XXI. Comparate nunc aliquantisper vos ipsos cum immensâ hac, tam insignium condemnatorum multitudine, judicésque estote illius sententiæ, quæ, si vitam non mutaveritis, in vos feretur. Vos de vilissima terrâ vas estis plenum ignorantiâ & malitiâ quoad animam, plenum putredine & fœtore quoad corpus. Si igitur DEUS vasis aureis non pepercit, sed diffregit, cur fictilibus & ligneis parceret? *Si superbientibus Angelis DEUS non pepercit, quantò magìs tibi putredo & vermis?* inquit S. Bernardus. *Serm. 1. de adv.*

XXII. Peccata deinde vestra, cum Angelorum delicto comparate. Semel tantùm Dæmones legem DEI transgressi sunt, & quidem antequam apertum viderent Infernum, imò antequam Infernus produceretur, antequam illum scirent esse, antequam quidquam de eo suspicarentur, antequam aliorum damno, ùt dici solet, sapere didicissent. Vos centenis vicibus legem DEI prævaricamini, & ex diebus vestris continuam scelerum catenam nectitis, cogitationibus sordidis, verbis scandalosis, desideriis, operibus & omissionibus, quorum unum ab altero continuò trahitur. Et hoc quidem postquam Fides infernum totum accensum & inflammatum ostendit, illámque abyssum peccatoribus plenam, imò refertam aperuit.

XXIII. Vestram quoque ingratitudinem, cum illorum ingratitudine comparate. Dæmones ingratos se exhibuerunt naturæ & gratiæ beneficiis; sed non sicut vos; illi enim gratiam à peccato resurgendi non habuerunt, vobis autem sæpiùs illa concessa fuit. Pro illis ne quidem unicum DEI Filius emisit suspirium, at pro vobis sudorem, sanguinem & vitam profudit; ipsis ne quidem semel veniam impertivit, vos autem quoties im-

impunes abiîstis? illis non fuit prædicatum, illis non fuit promissum, nec unquam pœnitentiæ tempus concessum. Vobis usque in hanc horam nihil aliud magis inculcatum fuit; illis etiam unicum pœnitendi momentum negatum fuit, vobis frustra tot & tot anni permittuntur.

XXIV. Denique vestrûm pauci, sunt, illi verò sunt absque numero. Quid quæso Cœlum perderet, si vos omnes damnaremini? Fortassis propter tantam desolationem: aut damnum, luctum indueret? Tertia incolarum suorum parte in Angelorum lapsu Cœlum evacuatum est; nec stragem illam doluit, cur ergo solam vestrûm deploraret jacturam? Certè nemo capere potest, quomodo peccator adeò sit temerarius, ut millenis onustus sceleribus in omnipotentis DEI conspectu de se audeat præsumere, coram DEO inquam, qui tantis non indigebat Principibus, sed eos punivit, non secus ac si nihil ampliùs valerent, quàm vilis scurrarum turba, aut bestiarum grex. Si DEUS solum ad infernum condemnâsset Luciferum, sola hæc Justitiæ demonstratio sufficere debuisset, ut homines vehementissimè terrerentur. Hoc modo cuncta Assueri regna terrore concutiebantur, ubi auditum fuit jussu Regis Amanum Principem, intimum ac familiarem, è patibulo suspensum fuisse. Imò etiam ipsæ bestiæ ratione carentes absterrentur hoc
L. 8. c. 16. modo. Plinius refert, ut in Africâ Leones ab insatiabilibus, quas edebant, cohiberentur stragibus, determinatum fuisse unum illorum capere oportere, & ex arbore suspendere; id cùm alii viderent, omnes in fugam acti se in cavernis suis, intra sylvas absconderunt. An non igitur sola unius Angeli pœna sufficiens esse deberet, ut hominis audaciæ frænos imponeret? Nihilominus innumerabilium Angelorum, ad æterna & infinita tormenta condemnatorum supplicia hominem à peccatis absterrere non valent. Audîstis ab Angelorum multitudine omnes maris arenas superari. Numerate igitur si potestis, tertiam dictarum arenarum partem, & dicite postea: major est illorum damnatorum spirituum numerus; Ego tamen peccare non cesso, quasi de venia tot & tantis negatâ securissimus essem? Forsan illam mihi DEUS concessurus est, ita sanè; sed quid erit, si concedere nollet, indignè ferens, vilissimum vermiculum, qualis ego sum, nolle desistere totius Mundi Dominum offendere? Aliàs quidem veniam mihi tribuit. Sed quid erit, si propter hoc ipsum ampliùs mihi nolet ignoscere, quia jam toties mihi ignovit? fortè præsumptio illa, quæ potuit Cedros altiores illis, quæ sunt in Libano, evellere, non posset fragilem abietem? *Ulula abies, quia cecidit Cedrus, quoniam magnifici vastati sunt.* Za

XXV. Charissimi mei, nolite fidere malæ vitæ, sub spe obtinendæ veniæ, quæ semper est incerta. Spem vestram solido alligate trunco, non illam marcido palo confidite. Quid

Quid perditis, si peccare cessaverit? At quid non perditis, si peccare non desistatis? O mi DEUS, exhorresco, dum in profundissimam hanc abyssum oculos converto. Perditur fama, perditur bonum utile, perduntur voluptates, perditur corpus, perditur Anima, perditur cælum, perditur DEUS, omnia perduntur bona, verbo, omnia in profundissimo illo barathro congregata mala incurruntur. *In loco tormentorum.* Et vos non horretis ad hujus ipsiúsmet barathri limina ambulare, saltare, & voluptatibus indulgere? bene apparet, vos in tenebris esse. *Via impiorum tenebrosa, nesciunt ubi corruant.* Prov. 4. 19. DEUS vobis oculos dignetur aperire, ut grave in quo versamini periculum agnoscatis, quòd si cognosceritis, possibile non esset, ut saluti vestræ non consuleretis. Infernus à DEO pro perduellibus factus est Angelis; concedo. At si vos illos Angelus audaci temeritate imitati fueritis, imò superaveritis, scitote, Infernum illorum, ceu pro vobis conditus esset, eundem futurum.

Discedite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus. Matth. 25, 41.

* * *



DISCURSUS XVI.

Ex Pœna Adami Peccati Mortalis Gravitas apparet.

I. NUnquam magis potentiam suam antiqui demonstrârunt Romani, quàm cùm à Supremis etiam Regibus damnatis pœnas sumpserunt. Ita præ aliis condemnatus, & punitus fuit Rex Jugurta ob homicidium in fratre suo Principe commissum, qui in pœnam Romæ in carcere morte mulctatus fuit, summo cum excelsissimæ illius Reipublicæ honore, apud quam supremæ quidem dignitates delictum aggravare, sed impunitatem impetrare non poterant. At, *quis non timebit te, O Rex gentium?* Cùm Divina Justitia tua vultum potentium non respiciat, sed indifferenter & indiscriminatim eos judicet, quasi de infima essent plebe? Ecce Adamus Primum mundi Regem, ob inobedientiam suam è Regno ejectum & ad pœnam majorem, quàm humana mens comprehendere possit, condemnatum. Necesse igitur est, inexplicabilem esse cujusvis peccati malitiam! attamen tam parum apprehenditur ab homine, ut vix illam agnoscat. Nos igitur illam aliquantò meliùs intelligamus, tria hodie considerabimus; Regnum Adami, lapsum, & pœnam, dúmque transgressiones illius perpendimus, nostras comparabimus iniquitates, detestabimúrque, ut coram DEO adeò tre-

tremendo vitam in melius emendemus. *Terribili & ei qui aufert Spiritum Principum, terribili apud Reges terræ.*

Is. 75. 12.

I.

II. Similis Adamo, antequam peccavit, nullus fuit in Mundo Monarcha, nec unquam erit. Quandoquidem non unam aut alteram terræ partem cum imperio possidebat, sed in toto illius ambitu dominabatur, omnésque illi creaturæ tanquam Domino serviebant. Præterea (solet enim Divina Providentia non solùm officium conferre, sed etiam necessariam eo dignè fungendi habilitatem addere) ornatus fuerat cunctis dotibus ad grande hoc dominium administrandum requisitis; quæ dotes tribus præsertim capitibus continentur, sapientiâ; gratiâ, & justitiâ, originali dictâ.

S. Thom. 1. p. q. 96. ar. 1. 4. 5.

III. Quod ad sapientiam, fuit illâ plenissimus, quemadmodum ejus dignitati conveniebat. Cùm enim ad omnes alios regendos destinatus esset, necesse erat, ut omnes sapientiâ antecelleret; ut in regimine suo nihil improvisum, nihil indiscretum accideret, ùt fieri solet, cùm minùs prudens aliis ducatum præbet. *Disciplina intellectus replevit illos.* De illo & uxore à DEO ei datâ inquit Ecclesiasticus. Hæc sapientia non tantùm ad naturæ abdita, proprietates, affectiones, artes & humanas scientias se extendebat, sed multò magis ad cognoscendum DEUM, résque supernaturales intelligendas illi infusa erat, cùm Adamus nobilis hujus exercitii, quo DEUS coleretur, Magister, omniúmque posterorum exemplar esse debuerit.

S. Thom. 1 p. q. 93. ar. 34.

Eccl. 17. 5.

IV. Præterea hoc generis humani caput aliâ adhuc magis selectâ dote præditum fuit, gratiâ nimirum, cujus virtute cœlestem beatitudinem meteri posset; cum hac quoque gratiâ omnes aliæ virtutes quædam habitualiter, quædam actualiter animæ ipsius infusæ erant, nec non omnia Spiritus Sancti dona, quæ illam, quando cor aliquod occupat, sequuntur, eodem modo, quo nobiles Aulici, & Matronæ Reginam sequuntur, cùm in publico comparet.

S. [T]h. 1. [p. q.] 95. a. 1. [...]

V. Denique tertia prærogativa Adamo concessa fuit justitia originalis, quæ non est sola & simplex quædam qualitas, sed plurium virtutum simul unitatum aggregatum quoddam, tam quoad animam, quàm quoad corpus. Et hac justitiâ primò animo DEO subjiciebatur, quâ intellectus ad illum cognoscendum, voluntas ad amandum, memoria ad reminiscendum applicabatur. Secundò partem inferiorem Superiori animæ parti, infimúmque sensuum regimen supremo rationis magistratui submittebat: habebat enim homo in se temperantiam profundè radicatam, quæ in ore erat, quasi frænum aureum, ad passiones tali statui proportionatas edomandas. Tertiò hæc justitia adeò corpus animæ subiciebat, ut illud huic non esset oneri sed auxilio, & consequenter à morte morbis, cunctísque doloribus, quibus vita nostra circumdata

S. [T]h. 1. p. 95. 1. & 100. 1. a.

S. Th. 1. p. 95. [...]

est

est, exemplum erat. Magnum hoc donum insuper titulum habuit justitiæ; quia per illam omnia inferiora superioribus parebant, quæ propriè perfecta est justitia; dicebatúrque originalis, quia omnes homines transmitti debebat à primo illo via originis descensuros. Unde pro utilitate nostra obligationem illam inferre licet, quâ tenemur pro omnibus illis donis supradictis gratias agere; licèt ea non possederimus, cùm DEI culpa non fuerit, quò minùs iis fruamur, imò cùm primo Patre in possessionem paris gratiæ introducti sumus. Si Princeps nobilem familiam in beneficiarium prædium inducit, beneficio in omnes posteros transituro, caput verò familiæ prædium dissipet, alienétque, quis hujus jacturæ culpam gerit? Descendentes licèt pauperes jure merito tenentur supremi Domini sui liberalitatem agnoscere propter divitias, quas etiam non possident.

VI. Sed ad intellectum procedamus, quid vobis videtur de hoc Regno? Ubi similem in terris invenietis Regem? Regem, qui sibi ipsi perfectè dominetur, omnibúsque rebus seipso inferioribus, & cui perfectè suus dominetur Creator. Regem, qui nunquam suo possit privari Dominio, nisi turpiter illud à se abdicare velit? Monarchæ hujus Mundi sæpissimè sunt appetituum & affectuum suorum Mancipia; nec nisi brevi tempore hac mortali fruuntur aurâ, paulò pòst mortis futuri spolium; ita, ut non immeritò Regibus scenicis assimiliari queant, qui finitâ comœdiâ coguntur, purpuram, sceptrum & regimen deponere, & ex theatro descendere. *Ego dixi, dii estis: vos autem sicut homines moriemini.* Populus quasi Deos terrestres illos colit; sed mors eosdem tanquam homines vulgares tractat, illorúmque cineres cum rusticorum pulvere confundit. Talis verò non erat Adami principatus. Inter alias prærogativas ei à Domino concessas, erat illa præcipua, quòd morti subjectus non esset, quæ ab ipsa obedientia tam perfecta animæ à corpore in tali statu reddendâ arcebatur, ut sentit S. Thomas, aut, ùt alii volunt, à prompta illa & perpetua, quam homo ab arbore vitæ percepisset, restauratione impediebatur. Unicus solus hostis & ingens illi remanebat, peccatum scilicet, quod tamen ipsi nocendi vim nullatenus habebat, nisi proprii arbitrii vires ipsi sponte subdidisset. Attamen, quis hoc crederet? Rupes hæc inexpugnabilis, quæ neque vi, neque obsidione, nec assultu vinci poterat, propria voluntate se hosti dedidit, portas illi aperuit, manibúsque illius claves tradidit. Hic Adami lapsus, quemadmodum est magnum aliquod Sanctæ Fidei nostræ mysterium, à quo magnâ ex parte plura dependent mysteria, congruum est, ut bene ab omnibus intelligatur; quare huc aures animúmque advertite.

Ps. 81. 7.

S. Thom. 2. 2. q. 164. ar. 1.

II.

VII. Sciendum igitur est, Adamum à DEO creatum ab eodem in Paradiso terrestri positum fuisse, & quia obedientia primum est creaturæ erga Creatorem suum obsequium,

 ut

ut DEUS homini illam exercendi daret materiam, ei præcæpit, ut inter omnes regii istius horti arbores unam solam à se notatam intactam relinqueret: in quacunque enim horâ de fructibus in ea natis comederet, sciret, tanquam perduellem, tam pro se, quàm pro posteris suis, hoc tam pulchro perennium deliciarum statu, cujus possessionem adiêrat, quamprimum illi exeundum esse. Gen. 2. 17. *In quocunque die ex eo comederis, morte morieris.* Imaginari vobis licet, quanta animi submissione, nec non admiratione tam leve præceptum susceperit Adamus, obstupescens DEUM pro tam opulento feudo non gravius à se exigere homagium. Sed illa submissio & admiratio non diu tenuit: Dæmon enim prævidens felicitatem, quâ fortunatissimum hoc par hominum, Adamus & Eva, & eâ, quâ omnes illorum posteri gavisuri essent, motus invidiâ, serpente ad insinuandum se, & decipiendum usus est. Verum est, quòd non ausus fuerit hominem malignus illo aperto marte aggredi, sed totum negotium fraude aggressus est, quam sua illum versutia docuit, qua fretus speravit, illum validiùs per fœminam unicè sibi amatam prosternere, munitionémque à debiliori loco minúsque custodito expugnare. Quare postquam fœminam otiantem invenerat & solam, liberiùs ei loquendi occasionem sumpsit. Postquam illi DEI præceptum, tanquam nimium grave & dignitati suæ contrarium proposuit, minas intentatæ mortis non esse, nisi terriculamenta dixit, à DEO sic conficta: nec enim verissimile esse, eum se creaturis tam pulchris à se productis privaturum. Denique paulatim verbis fallacibus ultrà progrediens non dubitavit affirmare, esum prohibiti fructûs non tantùm nulli eorum nociturum, sed summopere profuturum; ita enim omni sapientiæ & scientiæ genere absque mensura implendos, ut ad malum inter & bonum discernendum DEI ope ampliùs non indigerent, sed in sui ipsorum regimine sibi sufficientes futuri essent. Omnia hæc mendacia malignus impostor solentissimo confirmavit juramento, DEUM, contra DEUM ipsum, testem appellans asserénsque, eum omnium à sed dictorum veritatem non ignorare. Ge *Scit DEUS, in quocunqae die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dii.* Hisce venenatis verbis Impostor ille obtinuit, ut mulier superbiâ elata, primò ob vanam suiipsius æstimationem omnia à Dæmone proposita tanquam verosimilia teneret; deinde fidem adhiberet; victa denique audacem manum ad prohibitum cibum extenderet, præceptúmque DEI prima violaret.

VIII. At parum devictâ solâ muliere Dæmon lucratus fuerat; sic enim neminem præter illam deceperat. In hoc adhuc laborabat summopere; quomodo Adamum, à quo tota humana posteritas dependebat, quasi membra à capite, devinceret. Quare Evam incitavit, ut ab eadem arbore illa ipsa marito fructum porrigeret, simúlque affectuum teneritudine plenissima adde-

deret verba: non credere se ab eo sincerè amari, si primum munus manuum suarum recusaret, ob quod neutiquam timenda mors esset, de quo illa ipsa jam comedisset, certóque spondere posset, illum inde non moriturum. Quid porro? Sive Adamus minas à DEO revocandas existimârit, sive precibus & poenitentiâ eas se revocari posse speraverit, certum est, quòd inobediens fuerit, & non minùs dilectæ sociæ suæ, quàm fraudi Diabolicæ cesserit. Hoc, (quemadmodum gravissimi tradunt Auctores) octavo post creationem illius diei contigit, quo tempore peccatum, velut infernalis latro, Adami & Evæ intrans animas, unico momento omnes sapientiæ, gratiæ & justitiæ divitias illis, & nobis, eripuit. Quare quemadmodum patre læsæ Majestatis condemnato, filii ipsius non possunt antiquas prætendere dignitates & dominia; eodem modo primus Pater noster læsæ Majestatis, & quidem Divinæ reus declaratus, pro se & nobis filiis suis omnia privilegia, omnésque, quas possidebat, præeminentias amisit.

IX. Sed antequam ulteriùs poenam à Justitia Divina huic Regi perduelli suo, inflictam, consideremus, multum refert, hæc, quæ hucusque dicta sunt, accuratiùs observare. Quis unquam credidisset, Virum tam prudentem, non ita pridem DEI manibus formatum, omnibus gratiæ tam habitualis, quàm actualis thesauris ditatum & roboratum, passionibus suis adeò dominantem, verbis solum ab extrinseco, non ab intus à concupiscentia tentatum, ad peccandum induci potuisse? Attamen nimio erga mulierem sociam amore inductus fuit, quasi timeret, ut vult S. Augustinus, ne, si non consentiret, Eva ob nimiam displicentiam moreretur. *Noluit contristare eam, quam credebat à se alienatam, omnino interire.* L. 11. in Gen. c. 47. Quomodo igitur Adolescens effrænatâ concupiscentiâ, indomitis passionibus, potentiis debilitatis, habitibus vitiosis, mente excæcata, animo accenso, & undequaque tentato, sibi fidere potest, se neque cogitationibus & delectatione, neque opere ipso & dato in peccatum consensu lapsurum esse? Nihilominus in tam periculoso conflictu tot improvidi Adolescentes & Puellæ de se audent præsumere, & in omni libertatis ac licentiæ genere inter se agentes, amorisque mutui contestatione quotidie magis ardentes, nunquam recti limites transgredi confidunt. O stolidos, iterúmque stolidos homines! vident, hoc turbinis impetu celsissimas pinus, tam miserè cecidisse, & putant debiles arundines, per se terram versùs inclinatas, stare posse erectas. Si homo in Paradiso terrestri stulto amori resistere non potuit tanta in tranquillitate, quomodo in aperto campo inter tot resistet prælia? *Memento*, monebat S. Hieronymus Nepotianum, *momento quòd Paradisi colonum de possessione sua ejecerit mulier.* Quare necesse est, tam frequenter vos admoneri, ut periculosas vitetis occasiones, quales sunt adolescentum cum Puellis conversationes, quia quemadmodum olim Diabolus, Viri erga foeminam

minam amore in perditionem nostram usus est; sic adhuc eodem illo, semperque majori cum robore utitur, dum quotidie magis invincibilem horum armorum, id est, amoris vim agnoscit. Qui Apum Regem cœpit, totum illarum quoque tenet examen: eodem modo, qui amorem lucratus est, omnes quoque alias passiones habet in potestate sua. Et hæc est causa cur tantâ cum obstinatione Dæmon inter Christianos pessimam illam amandi consuetudinem conservet: amore siquidem potitus facillimè reliquis dominatur affectibus, & hac clave in Adolescentium animas ad quodvis vitium januam pandit.

III.

X. Nunc, ut ad propositam redeamus materiam. DEUS ex Patre in Judicem mutatus Adamum vocat, examinat, convincit & condemnat; at videte ad qualem pœnam, ad amissionem Regni, ad bonorum confiscationem, ad exilium, infamiam, infirmitatem & mortem. Creaturæ illius detractant imperium, è deliciarum ejicitur Paradiso, &, ut lapsus sui opprobrii identidem recordetur, pellibus animalium vestitur. Ad terram manibus suis colendam damnatur, denique vitam in sudoribus & laboribus ineffabilibus exactam inter angustias & agonias finire cogitur. Imò etiamnum quasi perduellis à DEO tractatur; quia, quemadmodum rebellium domus diruuntur, solóque æquantur, sic, ut animæ habitaculum, corpus scilicet, dirueretur & in pulverem redigeretur, à DEO statutum est. Quid diceretis de Magno Rege, hodie opulento, cui omnes parerent, quem omnes venerarentur & timerent, si cras nudum & pauperem, ac, ut panem lucretur, terram fodere conspiceretis? Attamen tanta fortunæ mutatio, ne minimam quidem pœnarum primo Parenti nostro inflictarum exprimeret partem, cùm minima sit illa, quam fecit corpus, jactura, in comparatione divitiarum & prærogativarum, quas anima amisit. Quod autem pro nobis omnibus magis deplorandum est, quodque magis pœnæ illius rigorem manifestat, est, quòd omnes eâdem sententiâ involvamur. Quamobrem DEUS ordinem & providentiæ antea stabilitum regimen omninò mutavit, suæque naturali inclinationi cuncta relinquens, protectionem suam specialem subtrahendo tanquam metam, in quam omnes tam corporales, quàm spirituales collimarent miseriæ, nos exposuit. *Tutus homo secundùm animam, & secundùm corpus per Adami prævaricationem in deterius est commutatus*; inquit sacrum Concilium Tridentinum. O quantum vulnus naturæ nostræ primum hoc peccatum inflixit! Tantùm ego mihi non tribuo, ut hujus vulneris profunditatem & largitatem à me explicari posse confidam; nihilominus aliquantisper ostendere conabor.

XI. Quoad profunditatem, considerate, quòd quemadmodum perrupto ab ingenti flumine aggere tota Regio inundatur, ita ablata à natura humana originali justitia, omnes appetitus

petitus propria sua objecta tanto cùm impetu sequi cœperint, ut absque DEI gratiâ, multáque difficultate & labore nostro retineri non possint. Unà cum passionibus simul omnes creaturæ ab hominis obsequio defecerunt, quemadmodum in universali regni cujusdam perduellione fieri solet. Adeóque bestiæ tantopere obsequium homini recusârunt, ut, nisi vi adigantur, aut blanditiis attrahantur, aut arte mansuefiant, ampliùs nobis servire nolint. Elementa indicto bello fœdus fregère, quod in hominis innocentis gratiam constituerant. Cœli mutati sunt, suósque influxus aut cohibuerunt, aut diminuerunt. Terra tanquam maledicta sponte nihil aliud, quàm spinas & tribulos, producit. Verbo vix homo inimicum DEI se ostendit, cùm mox omnes sibi contrarias expertus est creaturas; imò se ipsum contrarium sibi, omnibúsque hostibus aliis hostem domitu difficiliorem. Ecce igitur omnium malorum nostrorum originem; Ecce unde rerum spiritualium ignorantia, benefaciendi repugnantia, effrænata, voluptatum concupiscentia, iræ in vindicandis injuriis impetus, continua inter nos ipsos contentio, nascantur. Nolite vobis persuadere, tales à DEO nos factos esse; tales à peccato facti sumus.

XII. O quantùm intra me ipsum indignor, dum interdum aliquos vestrûm ita loquentes, séque excusantes audio! *Quid facere possum? DEUS talem me creavit. Hæc est natura, quam mihi DEUS indidit. Talis est mea conditio, hæc inclinatio & natura constitutio.* An hic sanus vobis loquendi modus videtur? Si horologium vestrum non moveatur, si lentiùs procedat, si quando sonum non edat, aut non, quas debet, signet horas, tunc culpam artifici non impingitis, sed horologium vitiatum esse querimini, nec unquam vobis imaginamini, tam defectuosum ab artificis manu prodîisse. Quâ fronte igitur hoc audetis dicere, dum repugnantis illas sentitis ad vivendum secundùm rationem, & non more bestiarum? Dicite potiùs, horologium esse vitiatum, reparari oportere, manibúsque artificis reddendum, à quo in principio tam bene instructum prodierat. *DEUS fecit hominem rectum.* Et tunc, ut decet, loquemini. Sed hæc per parenthesin dicta sunto. Cæterùm, si pœnam primi hujus peccati aliquantisper concipere volueritis, ex omnibus malis, quibus corpus & anima in hac mortali vita infestantur, quasi montem constituite, in hunc omnes vitæ penurias, omnes contagiones, omnes inundationes, tempestates, terræ motus, angustias, bella, omnes egestates, lamenta, lites, homicidia, neces, omnes injustitias, iniquitates, omnésque damnatarum Animarum jacturas congerite, hac cum epigraphe: Hæc est unius solius peccati pœna. O quàm profundum vulnus, quod sinu suo tanta complectitur mala! At non minor est ejus largitas, quæ ad infinitarum

Eccles. 7, 30.

animarum, ob hæc mala infeliciſſimarum ruinam ſe extendit.

XIII. Primò omnes infantes absque Baptiſmo è vitâ decedentes in primi hujus peccati pœnam in æternum bono illo infinito, id eſt, clarâ DEI viſione, immarceſſibili cœli hæreditate privantur. Quis autem numerum illorum inire poterit, huic pœnæ, quæ pœna damni vocatur, ſubjectorum? In Mundo ajunt, mille circiter hominum milliones inveniri; at experientiâ conſtat, mediam naſcentium partem ante rationis uſum diem ſuum obire. Unde ſecundùm hanc numerationem quos ſæculo ſaltem mille infantium milliones morerentur, qui quaſi omnes in primis quater mille annis ante Chriſti adventum contra hanc luem à ſe contractam nullum habebant remedium. Verùm quidem eſt, poſt adventum Chriſti omnes Chriſtianorum infantes hoc gaudere privilegio, ut à peccati tyrannide liberati, cum Sanctis regnent in cœlis; at nihilominus quanta Mundi pars fide Chriſti non eſt imbuta, & conſequenter nec Sancti hujus Baptiſmi eſt particeps? Quare quot adhuc hodie toto in mundo putatis infantes ad limbum transferri, cœlóque privari? O Inexplicabilem peccati etiam unius malignitatem! Non ignoratis, ad placandam Victoris iram innocentes puerulos obviam mitti ſolere, manibúsque ramos olivarum præferentes pacem rogare. Tale ſanè medium ſæpenumerò tam efficax fuit, ut crudeliſſimorum Ducum corda manſueſceerit. Nihilominus DEUS præter infinitæ pietatis ſuæ viſcera, quæ omnibus exhibet, præcipuè parvulis tam teneium oſtendit amorem, ut ſummopere è illorum gaudeat præſentiâ & alloquio: *Sinite parvulos venire ad me:* Attamen, ut primum hominis peccatum puniat, ne quidem tam charam ſibi parvulorum ætatem excipit, ſed ſimul omnes numero innumerabiles eâdem punitione involvit, eósque, ſi absque Baptiſmo diſceſſerint, in omnem æternitatem ſuâ beatitudine excluſos ob peccatum originale ab Adamo contractum caſtigat; quod tamen ſecundùm voluntatem eorum illis non fuit voluntarium, ſed tantùm ſecundùm Primi Patris ſui voluntatem, cui voluntas illorum incluſa fuerat. Quid igitur videtur vobis de peccato?

Ricciol. Georg. l. 12.

XIV. Attamen parum hucusque dixi. Nunc innumeros homines æternùm pereuntes adjungite, quorum æterna damnatio remotè peccato debetur Originali, quo natura humana corrupta fuit, ut meritò Propheta de hoc peccato loquens, non in peccato, ſed in peccatis ſe conceptum eſſe dicat. *In peccatis concepit me mater mea.* Quia peccatum originale, licèt per ſe unicum ſolum ſit, nihilominus quoad effectus, eſt quaſi exercitus peccatorum, & in ſe ſolo omnia peccata, ſicut radix in ſe omnes fructus continet: *In illo concluduntur omnia.* Hinc eſt, quòd peccata actualia quotidie ab hominibus committi ſolita, quoad voluntatem noſtram ſint culpæ

Pſal. 6.

Bella. in hu loc.

culpæ, ſed quoad Adami transgreſſionem ſint pœna noſtra: ſecundùm
ıc. illud: *Qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc.* Præcipuè cùm DEUS ob primi hujus peccati pœnam totum genus humanum Dæmonis tyrannidi permiſerit ſubjici, præſertim ante Re-
30. demptoris noſtri adventum, ita ut à Chriſto Princeps hujus Mundi vocetur, cui tam ſuperbè dominabatur, quemadmodum etiam illum Apoſto-
vr. lus, Deum hujus ſæculi appellat. Videbat DEUS, ſi hominibus juſtitia originalis & particularis illa aſſiſtentia à principio pro ſalute noſtra nobis conceſſa, ſubtraheretur, Luciferum viribus ſuis prævaliturum. Videbat, homines ſe omnibus vitiis, quaſi in prædam dedituros; videbat terram quaſi in novum Infernum commutatum iri, ubi reprobi millenis peccatis aſſuefacti nullam DEI rationem habentes, denique in æternis Inferorum flammis perpetuum erga ſe odium profeſſuri eſſent. Et nihilominus in primæ hujus inobedientiæ pœnam, quaſi tam graves has non curaret perverſitates, omnes permiſit, nec impedivit.

XV. Quid vobis de hac pœna videtur. An non horrenda eſt hæc ſeveritas? Si DEUS aliam non ſumpſiſſet ab hominibus pœnam, quàm quòd illos in mortalitate ſuâ miſeriis & afflictionibus reliquerit, ſufficiens & competens pœna videri potuiſſet; attamen non niſi quædam maledictionis, peccato attractæ, gutta fuiſſet: ita ſaltem loquitur Daniël, dum exilii, egeſtatis, carceris, totiúsque populi Hebræi in ſervitutem Babylonicam abſtracti miſeriarum mentionem faciens, bis utitur verbis. *Stillavit ſuper nos maledictio.* Dan. 9. 11. At quàm diſſimilibus verbis peccatorum permiſſio in ſacris Scripturis deſcribitur? Sanctus David illam inundationi totum Regnum ſubmergenti comparat. *Effunde ſuper eos iram tuam, & furor iræ tuæ comprehendat eos.* Pſal. 68. 25. Sed quomodo? Ecce illum. *Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum.* Quando DEUS permittit, ut in priorum peccatorum pœnam in peccata nova labatur homo, tunc dici poteſt, iram ejus nimiùm exundare. *Nulla eſt pœna gravior, quàm cùm peccatum eſt pœna peccati.* Bellarm. in hunc loc. ex S. Aug. l. 4. in Julian. Hæc pœna eſt quoddam diluvium; alia mala pœnæ, ne quidem pluvia, ſed paucæ quædam ſunt ſtillæ. *Stillavit ſuper nos maledictio.* Quare ſi DEUS in primi hujus peccati ab Adamo commiſſi pœnam permitteret unicum ſolum hominem in unum tantùm peccatum labi, & à diaboli tyrannide unicum hominis cor occupari; hæc permiſſio multò formidabilior foret pœna, quàm ſi omnes homines, quotquot fuerunt & adhuc erunt, acerbiſſimâ morte condemnarentur. Judicate nunc, qualis illa dicenda ſit pœna, quâ, præterquam quòd DEUS omnes morti addixerit, à tot & tantis ſpecialem ſuam retrahit providentiam, in tantas iniquitates & immunditias præcipitari permittit, tantam Dæmoni licentiam, quâ innumerabiles animas ſuæ ſervituti ſubjectas perdat, concedit. Perpendite id, quod paulò antè inſinuavi, id eſt, in Mundo

 plus

plus quàm mille hominum milliones contineri. Inter hos Catholici centum vix milliones conficient, ita, ut ſi omnes ſalvarentur, quovis centeſimo anno nongenti Animarum non catholicarum milliones in æternum maledictarum ad infernum deſcenderent. Cogitate igitur, quantò plures damnandi ſint, cùm è Catholicis tot & tanti æternùm pereant, támque brevis ſit hominum vita, ut rariſſimi curſum ſæculi perficiant.

XVI. Accedit, hæc omnia à DEO permitti, poſtquam primus ille Rebellis nongentorum annorum ſpacio, ob peccatum ſuum tantam egit pœnitentiam, tantáſque profudit lacrymas. Imò poſtquam ipſemet DEI Filius, ut huic ipſi transgreſſioni ſatisfaceret, honorem infinities majorem Divinæ reſtituit Juſtitiæ, quàm
Rom. 5. 15. illata fuerit injuria. *Non ſicut delictum ita & donum.* Leviſſima quævis incommoditas à Chriſto tolerata, licèt non fuiſſet ampliùs, quàm miſſum in cœlum ſuſpirium, mille Mundorum peccatis exſolvendis ſuffeciſſet; nihilominus poſtquam Redemptor noſter tam amplam ſubîit Paſſionem, ut propter dolorum copiam & amaritudinem mari comparetur; nihilominus tantas adhuc peccatum edit ſtrages, tantos de nobis Dæmon agit triumphos, tantis & ſpiritualibus & temporalibus juſtitia Divina Adami peccatum punit calamitatibus, imò & æternis cruciatibus, cuncta hæc in unius peccati pœnam permittendo. Quis unquam crediđiſſet, medicinam Divinam, qualis eſt JESU Chriſti Sanguis, peccati originalis vulneri perfectè mederi non debuiſſe, ita ut omne pus eximeret? Ex auro tam ſalubre elicitur oleum, ut non ſolùm velut balſamum medeatur vulneribus, ſed ne quidem ullam relinquat cicatricem. Quare oleum tam pretioſum, charitatis vi à Sacroſancti corporis fodinis extractum, videbatur, ita vulnera noſtra curare debuiſſe, ut ne quidem illorum remaneret veſtigium, omnéſque homines poſt ſecundi hujus Adami mortem ſaniores, fortiores, vivacioréſque fierent, quàm ſi primus Adam non peccâſſet. Sic debilis intellectus noſter judicaret; at non ſic viſum eſt Juſtitiæ Divinæ, quæ infinitâ procedit Sapientiâ. Hæc, ut quàm magnum malum ſit, DEUM offendere, bene apprehendatur ab hominibus, voluit, ut peccatum tantis etiam impenſis à JESU Chriſto ſanatum, nihilominus adhuc diebus noſtris maligniſſimos ſuos ad finem Mundi usque, imò usque in omnem æternitatem in miſeris damnatis oſtendat effectus. Quid futurum fuiſſet, ſi DEI Filius Officium Liberatoris in ſe non ſuſcepiſſet, compedéſque noſtras & vincula non diffregiſſet? Ego planè mihi perſuadeo, tunc homines gratiâ Divinâ omnino privatos, quoad corpus & Animam penitus à Dæmone occupatos, ipſimet Antichriſto malitiâ pares futuros fuiſſe, ita ut cuivis horrendus ille titulus atrribui potuiſſet, quo ille inſignitus eſt, dum vocatur: *Homo peccati.* Homo,

2. Th. 2. 3. ad

(right margin note partially cut off: S. Ti… 1. 2. 81. ad…)

Homo, cujus vita continuum erit peccatum; homo, qui plùs à peccato possidebitur, quàm peccatum ab ipso possideatur; Homo, cujus quasi natura erit peccare. *Homo peccati, filius perditionis.*

XVII. Et an non hoc sufficit, ut quàm magnum malum sit Peccatum mortale, cognoscamus? Universale Mundi diluvium paucis illis hominibus à tantâ strage remanentibus tantum incussit terrorem, ut ad illos animandos DEUS verbis suis jurârit, simili à se pœna nunquam imposterum terram affligendam. At nunc ad tantò majorem malorum omnium inundationem, non solùm non terrentur Peccatores, sed adhuc peccatis tanquam ludo delectantur. Legi quosdam Americæ incolas pro torquibus & ornatu, serpentibus uti; sed non ita mirabar, quia priùs illis dentes auferunt. Sed quis non obstupesceret, Christianos non ignorantes ac fide illuminatos, quàm venenatum sit unicum solum peccatum, iniquitatibus suis pro ornatu uti, easque velut gloriosa facinora non sine gustu recensere, iisdem gloriari, sibique applaudere, quasi ampliùs nullum illis subesset venenum. O incomparabilem cæcitatem! Quid de toxico tam nocivo diceretis, cujus unicam sola gutta in mare effusa omnes aquas veneno inficeret, omnes fontes & puteos omniáque, quæ nunc, & usque ad Mundi finem current flumina penetraret? Quis unquam calicem tam horrendo plenum veneno quantalibet ei admixta foret dulcedo, ori suo admovere auderet? Tale venenum est peccatum, cujus una pestifera gutta, cùm vix primum hominum caput infecisset, quamprimùm in totum humanum genus dispersum est, ita ut omnes, quotquot nascuntur, & nascituri sunt, licèt etiam Mundus semper duraret, in eóque sine fine homines multiplicarentur, infecturum sit. *Rom. 5. 12.*

Si à peccato Adami tantùm filii, nepotes & pronepotes contaminari fuissent, stupendæ profectò malignitatis foret argumentum; at quale malignitatis non erit argumentum, scire, illi non esse nocendi finem? Non ignoro quidem, imposito vitis radicibus veneno, omnes unà cum uvis palmites infici; ad denique sæpiùs transplantatas successu temporis & vitem & palmites venenum perdere novi. Sed post peccati toxicum talem non video emendationem, quare illud omnium venenorum venenum, abominationémque desolationis, qua omne bonum destruitur, appellare cogor. *S. Thom. 1. 2. q. 81. ar. 3.*

XVIII. Nisi fortè existimetis, talem malignitatem in solo primo Adami peccato, non in nostris culpis reperiri! Sed nimiùm hallucinamini. Verum est, Adami culpam quoad personam delinquentis fuisse gravissimam, cùm naturæ humanæ, tantâ sapientiâ, scientiâ & gratiâ dotatum esset caput, fœminam præcepto Divino inobedientem corrigere, non imitari debuisset. Nihilominus si secundùm gravitatem suam specifi-

cam hoc peccatum consideretur, & non secundùm suas circumstantias, plurimis aliis peccatis gravius non fuit, imò sic multi sustinent Scholastici Doctores, Adami peccatum minus grave fuit, quàm peccatum Evæ, quæ prohibitionem Divinam directè spervit, cùm Adamus tantùm indirectè illam contempserit, ipsáque eidem labendi fuerit occasio, *Viróque peccatum suggessit.* Quamobrem ubi ille solùm contra DEUM peccavit, ipsa insuper contra proximum deliquit, quemadmodum advertit Sanctus Thomas, unde etiam, *graviùs est punita, quàm vir.* Quare si primam illam culpam cum peccatis nostris comparaverimus, plures reperiemus circumstantias, quæ illa majori digna reddant odio. Prima est circa materiam. Peccatum Adami fuit in materia ex se ipsa levi, solùmque propter additam DEI prohibitionem gravis erat; nec non propter ejusdem prohibitionis finem, quo sibi totius naturæ humanæ nomine primum homagium reddi voluit. De cætero, si res secundùm seipsam consideretur, quàm levis erat culpa manducare pomum; si plurimorum peccata, Blasphemias, perjuriâ, fraudes, furta, homicidia, fœditates ipsis bestiis ignotas comparemus? Ita ut, quemadmodum magnus quidam affirmat Theologus, si post interdicti fructûs esum illicò à vita excessisset, minorem in Inferno pœnam subîisset, quàm plurimi in flammis illis nunc sustineant.

S. Thom. 2. 2. q. 163. ar. 3. 2. dist. 21. Scot. ibi. S. Thom. 2. 2. q. 163. ar. 4. Scot. 2. dist. 21. q. 2.

XIX. Quare videte obsecro, quàm insipientes sint illi, qui, ut turpitudinem suam excusent, inquiunt: *Nos non furamur. non blasphemamus, nemini creamus fastidium, nihil aliud, quàm ista fragilitas, nostras premit conscientias.* Et Adamus quid fecerat? non furatus fuerat, neminem occiderat, nullas in DEUM exspuerat blasphemias, in sola materia, neutiquam legi naturæ secundùm se repugnante, inobediens fuerat: quo posito quid vobis videtur? an hac sua inobedientia gravius peccavit, quàm ille, qui materia maximè repugnante legi naturæ, qualis est quævis carnalis voluptas, quàm vos fragilitatem vocatis, prævaricatur?

XX. Altera circumstantia est numerus. Peccatum Adami fuit unicum, multorum econtra Christianorum, tot & tanta sunt scelera, ut quasi arenæ maris comparentur. *Peccavi super numerum arenæ maris.* *Or. Manass.*

XXI. Denique temporis circumstantia, à qua tantopere iniquitates nostræ aggravantur, peccato Adami pondus majus non addidit. Peccavit ille, prius quàm ullam vidisset punitionem, prius quàm pluribus vicibus veniam impetrâsset, prius quàm fidelitatem promisisset, & quòd ampliùs est, antequam Verbum Caro factum, ut peccatum tolleret, in cruce mortem obîisset; cùm nos, postquam Fide docti horribilissima de aliorum peccatis sumpta scimus supplicia, postquam in Sacramentorum usu toties veniam obtinuimus, postquam toties fidem dedi-

dedimus, nunquam ampliùs nos peccaturos, poſtquam amore noſtri Chriſtum è Cruce pendentem vidimus, ore totius Divinæ Euchariſtiæ ſumptione Sanctificato, corpore toties pretioſo Chriſti Sanguine mundato, incomprehenſibilem DEI noſtri Majeſtatem offendimus.

XXII. O Peccatum, O peccatum! Nullus aptior tibi poteſt dari titulus, quàm dum Ignorantiæ partus vocaris, quemadmodum tot in locis Scriptura te nominat; In veritate enim plurima pars hominum non cognoſcit, quid ſit peccatum, & illis ipſis, qui aliquam illius habent cognitionem, meritò dici poteſt, quòd parum cognoſcant in comparatione illius, quod ſine fine cognoſcendum manet. Solus DEUS perfectè comprehendit, quanta ſit peccati atrocitas; quia ſolus novit, quantus ſit honor, qui à vilibus creaturis ſuis ſibi debetur. Homines talia audientes obſtupeſcunt, ſimileſque ſunt ſimplici cuidam paſtorculo, qui ova Baſiliſci aſpiciens induci non poteſt, ut ea diffringat; non enim, niſi putamini illorum intuetur, cùm vir in naturæ Schola eruditus fallacis illius albedinis materiam, animam, alimentúmque omnium monſtrorum peſſimum animo penetrans, non ſemel, ſed ſæpius pedibus proterit, ita ut comminuendo videatur ſatiari non poſſe. Sic quoque Peccator ignorans peccata ſua non aliter, quàm in cortice intuens, perſuaderi non poteſt, ut ea abominetur; imò potiùs propter illam boni, quod aut temporali commodo, aut delectatione oſtendunt, apparentiam, ſibi complacet, iiſque blanditur, cùm DEUS infinitâ ſapientiâ ſuâ veritatem penetrans, agnoſcat exitialis veneni abyſſum omni fundo carentem.

XXIII. Quamobrem Chariſſimi mei, adulteratæ lances noſtræ ad rectiſſimas Divinæ Juſtitiæ lances dirigendæ ſunt, illúdque de peccato formandum judicium, quod illa facit, ne unquam aberremus. Summo igitur horrori vobis ſit peccatum, illúdque non fallaci veſtrâ, ſed DEI æſtimatione ponderate. *Odite malum.* Horrori vobis ſit, ſicut jam ſæpius dixi, antequam committatis, poſtquam commiſeritis, poſtquam etiam illud confeſſi fueritis.

XXIV. Horror vobis ſit peccatum, antequam committatis. Quàm providè agit Sartor, quàm hæret cogitabundus, quàm diu adaptat ulnam, deſignátque, antequam pannum ſcindere incipiat; quamprimùm enim diſciſſus eſt, tam facilè non poterit error corrigi, fruſtáque reuniri. At vos quamprimùm peccato conſentitis, Animámque à DEO funeſtiore ſeparatione dividitis, quàm unquam lethalis culter aliquis diſſecaret, hac confiſi ſpe, vos poſtmodum quando volueritis, amicitiam DEI retintegrare gratiámque recuperare poſſe, quaſi minoris foret laboris, quàm pannum ex inadvertentia dilaceratum reſarcire. *Hac vice*, vos dicitis, *peccabo, & deinde confitebor.* O ſi ſciretis, quàm difficile ſit DEO reconciliari, poſt-

postquam voluntariè ab illo recessistis! Profectò non ita loqueremini. Ad hæc licèt confiteamini, an nescitis, quanto damno peccatum afficiat Animam vestram? Videte obsecro, quantam ad mortem usque Adamus egerit pœnitentiam, quantámque pro ipso Filius DEI subiverit: Et nihilominus primum illud peccatum, sicut intellexistis, tanta in hunc diem usque mala vel ipsos inter Christianos producit; solùm quia hi cum novo homine, quem in Baptismo induerunt, parum aliquid de homine antiquo retinent: *retinet adhuc aliquid de vetustate peccati.* An nunc ignoratis eadem mala, quæ per primi Hominis peccatum toti naturæ humanæ illata sunt, à quavis culpâ mortali, proportione quadam Animabus vestris acciri? Unde licèt etiam in Sacramento pœnitentiæ Christi Sanguine deleatur, nihilominus diu, & per omnia fortè sæcula præteritæ commorationis suæ impressa relinquet vestigia.

*S. Thom. 1. 2. q. 81. ar. 3. ad 2.

XXV. Horrori sit igitur vobis peccatum, antequam illud committatis. *Odite malum.* Sed non minùs abhorrere oportet jam commissum. Quomodo possibile est, ut tot Christiani continuò vivant in peccato, cum eo quietem securè capiant, confabulentur, choreas ducant, genióque suo indulgeant, Paschale tempus pro peccatorum expiatione exspectantes? si supra caput alicujus vestrùm nudatus è filo serico penderet gladius, quovis momento lapsui vicinus, quis ex vobis absque terrore sub illo somnum posset capere? Attamen dies, & menses absque timore ullo sub pendente supra vos Divinæ Justitiæ gladio, debili incertissimæ vitæ vestræ filo affixo stertitis. Si jamjam tale filum rumperetur, quid putatis vobis futurum? Habitatio vestra foret ignis? aër vester futurus esset ignis, socii vestri essent furiæ, cibus vester foret fel Draconum, gaudia vestra forent ploratus, stridores dentium, singultus, vociferationes inconsolabiles; loquela vestra non foret alia, quàm maledictiones, quibus sortem vestram execraremini, affectus vestri forent, cunctas odisse creaturas, odisse vestros, odisse vos ipsos, odisse DEUM desperatione, Diabolicæ non absimili. Et hæc omnia, *in æternum & ultra*: hoc est, per tot sæcula, ut cùm totidem effluxerint, quotquot ad hodiernum diem usque guttæ depluerunt; ne quidem dici possit, quòd ea numerandi factum sit initium. Et in tali rerum statu nihilominus lætos vos agitis dies, peccatísque peccata absque timore accumulatis? Hoc est credere, Divinæ Justitiæ gladium esse, gladium rubigine obductum; aut credere illum è catenâ adamantinâ pendere tam valida, ut non possit aliquando in capita decidere. Charissimi, nolite decipi; ne dicatis, etiamsi peccare pergamus, DEUS propitius nobis erit. Idem dicebat Adamus,

persuasus (quemadmodum vult San-
ctus Augustinus) facilè se culpæ suæ
om. veniam obtenturum. *Inexpertus divi-*
q. *næ severitatis, credidit illud peccatum esse*
tr. *veniale, id est, de facili remissibile.* Ita
3. explicat Sanctus Thomas, & hoc
sensu etiam dici potest, illum non
quidem à Diabolo, sed à se ipso se-
ductum fuisse. At tanto & suo, &
nostro damno deceptus est, que-
madmodum pluribus jam dictum est.
Ne vos excusetis dicentes: vobis non
esse DEUM offendendi intentionem,
sed solùm creaturæ isti à vobis di-
lectæ complacendi. Idem sensit
Adamus, resumit Sanctus Doctor,
inobedientiæ consensit, non ut DEUM
in injuriâ afficeret, sed ut uxoris suæ
4. genio se accommodaret. *Amicabili*
quâdam compulsus benevolentiâ, quâ
plerumque fit, ut offendatur DEUS, ne
2. *offendatur amicus.* Consensit, ut pla-
53. ceret sociæ, à DEO sibi datæ, ne
illius perderet benevolentiam. Sed
nihil hic prætextus illi profuit. Co-
gitate, an talis excusatio vobis profu-
1. tura sit, dum ne alicui adultero, aut
falso amico displiceatis, peccato con-
sentitis. *Odite malum.* Odio igitur
sit vobis peccatum jam commissum,
statimque vix natum dolore perse-
quamini, nec non seria Confessione
enecetis.


XXVI. Denique neque jam Con-
fessione expiatum odisse cessetis.
Quam pœnitentiam quæso pro pec-
catis vestris egistis? Nongentis an-
nis Adamus peccatum suum deplo-
ravit, complura obtulit sacrificia, in-
numeras effudit preces, sine cessatio-
ne Mundi Redemptorem, ut se libe-
raret, rogavit, plus quàm novem se-
culorum exilium patienter toleravit,
nec non continuos & difficiles terram
colendo subivit labores, quibus non
obstantibus audîstis, quàm carò ad-
huc hoc peccatum humana luat na-
tura. At vos aliud nihil fecistis,
quàm aperto ore vestras manifesta-
stis iniquitates, & aliquas perfun-
ctoriè recitâstis preces, an sic putatis
vos Justitiæ ex æquo satisfecisse? Di-
citis vos spem vestram in DEI mi-
sericordiâ, & Sanguine Christi pro
vobis effuso ponere; sed etiam Ada-
mus potiori jure in DEI bonitate
confidebat, cui insigni cum pœniten-
tia ex parte suâ cooperari studuit.
Quin etiam Adamus in Sanguine Re-
demptoris sperabat, in hunc Mundum
ad tollendum primum illud peccatum
venturi, qui in monte Calvariæ mo-
riturus, locum illum, ubi morte
condemnati sepeliebantur, irrigare
debebat, quasi formâ illâ magis
authenticâ pacem inter Divinam
Justitiam, & genus humanum ini-
tam ratihabere vellet. Et tamen S. Th. 3.
cunctis hisce confisus securitatibus, p. q. 46.
peccati sui non obliviscebatur Ada- ar. 10 ad
mus, sed ad ultimum spiritum us- 3.
que lacrymis suis illud lavit, su-
doribúsque suis delere studuit. Vos
cùm nihil horum præstetis, secu-
ritatem vobis majorem promitti-
tis, postquam multò graviùs Crea-
torem

torem vestrum non solùm spectando numerum, sed etiam injuriæ speciem offendistis. Charissimi, hoc non est signum, quòd peccatum, quasi malorum omnium maximum, odio prosequamini. Canis, qui feram morte pejus odit, ubi illam videt inter vepres absconditam latere, tamdiu latrando circumvagatur, quamdiu eam non prodire advertit. Sic & vos, si peccatum vestrum morte pejus detestamini, semper lachrymantes illud circumibitis, & intra vos dicetis: Certi sumus hanc feram maledictam intrâsse cor nostrum, sed certi non sumus, DEUM à nobis offensum esse, sed securi non sumus, an DEUS veniam nobis tribuerit. Sic post Confessionem dicturi estis, si apprehendatis, quid unicum solum sit peccatum.

XXVII. Sic non solùm in seipso, & in effectibus suis peccatum detestaremini, sed etiam in omnibus remotis occasionibus fugeretis. Quàm diligenter Eva cavit, ne ampliùs Diaboli verbis fidem adhiberet, postquam semel tam enormiter ab ipso decepta fuit! Et si vel adhuc semel malè dilectam illam arborem intueri potuisset, quale odium putatis, contra eam concepisset? Et quo animo cum marito suo tentâsset, ad ultimas usque fibras illam eradicare (si hoc ei à DEO permissum fuisset) & in ignem projicere? Eodem modo & vos iniquitates vestras odisse oporteret, omnes fugere occasiones, diabolicas, quamprimùm apparent, detestari suggestiones, illas creaturas, illas vias & fores, illas domus evitare, in & à quibus semel ad peccatum inducti fuistis. Hoc perfectum esset odium, hæc esset pœnitentia, qua veniæ securitatem vobis promittere possetis. Quamobrem, *Odite malum*: perfecto peccatum odio habetote, id est, solo & maximo, quia omne odium propter peccatum factum est, quemadmodum totus amor propter DEUM factus est: & hoc modo viventes digni efficiemini, ut post mortem non primi peccati à vobis contracti, sed Divinæ misericordiæ à secundo Adamo nobis impetratæ, effectus sentiatis.



DISCUR-



DISCURSUS XVII.

Ex Judicio Universali demonstratur, quantum malum sit Peccatum mortale.

I. SI quis omnium temporum historiam nôsset, nulli rei aptiùs hunc Mundum, quàm loco prælii compararet, in quo ex unâ parte Divina Justitia peccatum, ut illud omnino destruat, invadit; & ex altera parte illud idem humana perversitas indicibili cum obstinatione defendit. Verum est, peccatores inæqualibus pugnantes armis sæpius in hoc periculoso bello devictos esse; jam igne è cœlo delapso combustos, jam aquis etiam universalibus submersos, aliàs fame deletos, quandóque ferro internecioni datos, modò horribili consumptos peste, modò millenis aliis adversitatibus, quasi à totidem DEI exercitibus, exterminatos esse. Attamen, quis crederet? Ipsi semper adhuc contumaciores, arbitrii sui libertate furentes prælium redintegrârunt, statuerúntque illud ipsum in finem usque continuare. Quamobrem Justitia Divina se ab iis vinci nolle decrevit. Propterea magnum illum decretorii prælii diem elegit, in quo ultimum, & fatalem peccata interitum adferre decîdit. Hic conflictus est Judicii universalis dies, ideóque toties in Scripturis, *Dies Domini* vocatur; hic enim ille ipse dies est, quo potentiam suam Mundo ostensurus est. Hanc igitur magnam prælii diem hodie oculis vestris proponere cogito, Charissimi mei, discursum in tres partes distincturus. Prima aget de aggressione Domini, ad judicium adventantis. Secunda tractabit de pugnâ, in apertarum conscientiarum examine; tertia denique post latam sententiam ultimum excidium describet. Hæc omnia verò ideò explananda suscipiam, ut ingentem peccati mortalis malitiam, tanti mali causam, vivacissimè apprehendatis, &, ut par est, detestimini.

I.

II. Antiquissimus DEI mos illud tenet solenne, ut antequam notabiliores de terra sumat pœnas, antè plura præmittat signa, ut tantò minùs excusationis prætendere possint Peccatores, si à Salute excludantur. Cujus rei plurima possem adducere testimonia ex variis multarum Gentium historiis, nisi non omnibus pluris valeret infelicis Hierosolymæ famosa illa devastatio, præmonitæ, antequam à Romanis in pulverem converteretur. Josephus refert, anno integro ante devastationem Cometam, gladii figurâ toto illo tempore comparuisse, & quasi pendulum supra infelicis illius urbis caput hæsisse. Item *Lib. 7. c. 12. de bell. Jud.*

Juvencam ad altare pro Sacrificio adductam, in via Agnellum partu edidisse: portamque templi orientalem, quæ tota ex solido fuia erat ære, nemine manus admovente apertam fuisse, ad quam aperiendam aliàs viginti hominum opera requirebatur. Denique quia Judæi, semper surdiores, hanc Divinæ Justitiæ linguam, ejúsque minas non intelligebant, clariùs illis locuta est, dum numerosas aciei ordinatæ phalanges, invicem prælliantes in aëre illis exhibuit, terribilémque ex diversis Templi locis vocem audiri fecit clamantem: *migremus hinc! migremus hinc!* ita ut nunquam sciri potuerit, à quo voces illæ formatæ fuerint. Hæc & similia prodigia, quasi totidem fæciales, DEUS misit Hierosolymæ, ut tandem conversa non expectando assultum ad deditionem aures accommodaret. Quare si tanta unius civitatis ruinam præcessêre portenta, qualia illa, quæ universale Mundi præcedens excidium,

Joël. 2. 3. futura sint signa, arguite. *Dabo prodigia in cælo & in terrâ, antequam veniat dies Domini magnus.* Ita DEUS ipse per Joëlem Prophetam nobis significat.

III. Verùm tunc signa illa non erunt alia, quàm velut milites & armatæ cohortes ad inchoandam pugnam, non autem præcones pacis, ut sunt moderna signa, quæ ad illam impediendam invitant. Ideò præ-

Matth. 24. 30. dicit Dominus: *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio Mundi usque modo, neque fiet.* Sol enim & Luna, Stellæve, quoad tertiam partem adeò obscurabuntur, ut dies futura sit sicut nox, & nox ipsa triplò naturâ suâ tenebrosior futura sit. *Omnia lumi-* Ezec. 32. 1

naria cæli mærere faciam super te, dicit Dominus DEUS. In ignis elemento varii formabuntur Cometæ, qui summo cum omnium hominum horrore, ab alto decident, qui magis eo spectaculo terrebuntur, quàm magno quodam in loco fieri soleat, ubi latâ contra aliquem excommunicationis sententiâ, ad populi terrorem fax accensa è sublimi in terram dejicitur. Quidam horum Cometarum, inter alios à Scriptura vocatur *absyn-* Apoc. 8. 1

thium, & hoc propter effectum, quem producet, variis fluminibus, fontibúsque amatorem indendo, in turpium illarum voluptatum pœnam, quibus toties Peccatores in DEI despectum delectati sunt. Aër totus venenatus hac via tot murmurationis contra proximum, tot turpitudinis, tot perjuria, tot horrendas incipiet vindicare Blasphemias, quæ etiam ab hominum Christianorum linguis in cœlum prolatæ sunt. Mare furibundum tan- Apoc.

quam leo rugiet, ut impios devoret, & 16.

in tanti sanguinis innocui olim effusi vindictam, omnes aquas suas sanguineo imbuet colore; sed sanguine pallido & corrupto, qualis è mortuis corporibus manare solet. In tantâ rerum omnium perturbatione, cogitate quid terrâ futurum sit. Si illa plùs quàm alia elementa peccatoribus in delictis suis servivit; etiam plùs quàm alia elementa, ad pœnas illorum indignabunda operam suam seditionibus, siccitate, fame & horrendâ præcipuè con-

concussione locabit. *A facie ejus contremuit terra.* Omnia hæc prodigia ideò erunt quasi funesta illa campana, quæ tanto cum horrore, antequam Rei ad patibuli supplicium educantur, pulsatur. Sanctus Clemens in Recognitionum suarum libro refert, sæpiùs ex se ore Sancti Petri Apostoli Magistri sui hæc verba audivisse: DEUS ab æterno diem quemdam elegit, in quo omnium pœnarum exercitum prælio funesto vult congredi cum exercitu omnium peccatorum: & hic dies erat iste, de quo loquor, id est, dies Judicii. *Dies Domini magnus & horribilis.* Magnus quoad DEUM, horribilis quoad nos. Quare creditote nullam esse, nec formam nec figuram proportionatam, quâ dies tam horrendus declarari queat; Ideò Prophetæ tantum sibi non tribuentes, ullam, prout decet, definire possint, varia nomina diversis circumscriptionibus illi dedêre; è quibus tamen nullum unquam invenêre, quod eum adæquatè referret. Dies amarus, dies iræ, dies indignationis, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubarum & stridoris, omnes fuêre nomenclationes à Propheta Sophonia collectæ, quæ exiguam quamdam horroris illius magno hoc judicii die futuri speciem proponerentur. Attamen omnes hi terrores aliud non erunt, quàm quoddam præludium, quo Judicis jamjam adventantis præsentia significetur, & consequenter non erunt aliud, quàm parva quædam velitatio, sanguinolenti illius prælii mox secuturi nuncia. *Postquam autem hæc fecero tibi*, inquit DEUS per os Prophetæ Amos, *Præparare in occursum DEI tui.* (Amos. 4.) Quasi dicere vellet: noli putare, Munde scelerate, has, quas nunc experiris, pœnas sufficere, quibus profundissima peccatorum tuorum malitia puniatur. Omnia hæc sunt tenuia dolorum tuorum principia. *Initia sunt dolorum.* Præpara te tantùm ad comparendum, coram DEO tuo, qui hisce signis aliud non intendit, quàm ut te coram se in judicium vocet. *Præparare in occursum DEI tui.*

IV. Primò quasi Christi velitatis miles præcedet ignis: *Ignis ante ipsum præcedet*; (Ps. 96. 3.) Verùm tam terribilis erit ignis, ut ne Infernus quidem voraciores, in voragine sua habiturus sit flammas. Non solùm sylvas, domos, civitates & homines, quos obvios habebit, comburet, ipsámque terræ superficiem, quàm vasta etiam est, in cineres rediget, sed ipsos etiam montes penetrabit, ut saxa & metalla, in visceribus illorum abscondita, liquefaciat. *Petræ sicut cera liquescent ante faciem tuam.* (Judith. 16. 18.) Imò tantùm supra montes elevatus, quantum aquæ diluvii illos supergressæ erant, omnia elementa destructrices flammas suas sentire faciet. Tunc etenim cognoscent homines, quid fuerit hic Mundus, quem plùs quàm DEUM adoravérunt. (S. Thom. 3 p. supp. q. 74. ar. 3. 4. 5.) Postquam Daniël Draconem interfecerat, ad Babylonios conversus inquiebat: *Ecce quem colebatis*, ecce quem velut DEUM adorabatis. O (Dan. 14. 17.)

 Baby-

Babylonii, nunc videtis non esse aliud, quàm mortuum & peste plenum cadaver. Idem hoc peccatoribus Mundo jam devastato, & in cinerem redacto dici poterit. Ecce quem tot sæculis colebatis. Ecce hic est divitiarum vestrarum, voluptatum, honorum & ambitiosorum proventuum finis. An talis Mundus tam fidelem vobis videtur mereri cultum? Sed nimis citò in peccatores nondum penitus deletos invehimur. Sequamur igitur aciei ordinem. Postquam velut simplices velites omnium creaturarum phalanges, ad arma in peccatorum vindictam, à Justitiâ Divinâ vocatæ jam præcesserunt, tandem toto cum
Is. 42. 13. exercitu, ipse Christus adveniet: *Dominus sicut fortis egredietur.* Sed quis unqum Adventûs illius horrorem concipere poterit? Spem, illum unquam mente comprehendendi, omnino nobis adimit Propheta, multò autem ma-
Malach. 3. 2. gis eum verbis explicandi. *Quis poterit cogitare diem adventûs ejus?* Satis est dicere, ipsos etiam Sanctos Redemptorem comitantes, licèt aliundè securissimos, timore percellendos esse
Matth. 24. 29. *Virtutes cœlorum commovebuntur.* Eodem prorsus modo, quo, qui è sublimi profundissimum intuetur præcipitium, exhorescit, licèt undique, ne cadere
S. Thom suppl. q. 73. ar. 3. ad 2. posset, vellatum se advertat. Nisi dicere velimus illos ob nimium terrendos excessum, quo omnem suam comprehensionem & capacitatem, licèt aliunde tam vastam, à Justitiâ Divinâ superari vident. Arma verò, quibus Christus primum faciet insultum, erunt, conveniens illi Majestas & ira vocis suæ.

V. Quod Majestatem attinet, necesse est dicere, illam debere esse grandem, cùm futura sit Majestas DEO irato digna. *Cùm venerit Filius hominis in Majestate sua, & omnes Angeli ejus cum eo.* Ma. 25. Quando DEUS descendit, ut Hæbræis supra montis Sinai verticem daret legem, curru atris nubibus circumdato vectus adfuit, quem milleni & milleni bellicosi Angeli, quasi prima acies comitabantur, tantò cum fulgurum emicantium, fulminúmque disjectorum sonitu, ut non solùm debiles Israëlis filii, sed etiam ipsi circumjacentes contremiscerent montes. Quare, si tantus fuit Majestatis trrror, quo, dum legem attulit, usus est, quantus non erit ille, quo legem contemptam vindicaturus est? *Indutus vestimentis ultionis.* Insuper, ut veritati locus sit, ipse in propriâ personâ non comparuit, supra montem Sinai (quemadmodum ultimo die in valle Olivarum adveniet) sed nomine suo aliquem Archangelum, tanquam Locum tenentem, aut Legatum suum miserat. Quis igitur exprimere poterit, qualis futura sit personalis veri principis Majestas, si talis fuit illa, quam Ministro suo tribuerat? Quare notandum est, Christum ad Judicium in Majestate sibi propriâ venturum: *Cùm venerit Filius hominis in Majestate sua.* Nunquam enim nativa ejus Majestas Mundo ostensa fuit. Quare nullus tunc in dubium revocare poterit, an ille ipse sit, an,

quem

quemadmodum quondam dubitatum est, an ipsie sit Elias, an Jeremias, aut Joannes, an alius antiquorum Prophetarum redivivus: omnibus no-
9. tissimus erit: *Cognoscetur Dominus*
. *judicia faciens.* Modo DEUS non cognoscitur, qualis in se est, non videtur peccatorum iniquitates intueri, nec videtur illas odisse: & licèt tantas Sanctissimo Nomini suo inferant injurias & despectus, eos quasi non sentire videtur. At ubi aliquando evidentissimè cognoscetur, tunc apparebit, quàm magnum fuerit illius odium, quo peccatum persequebatur, claréque apparebit, Justitiam illius, quia lenta fuit, non fuisse minorem. Tunc constabit, quanti honorem suum fecerit, quando homines putabant eum, ne quidem à tot temerariorum contemptorum suorum audacia illum defendere posse. *Cognoscetur Dominus judicia faciens.* Effundet è sanctissimo suo corpore tam lucidum, támque clarum splendorem, ut non tantùm inferiores Planetæ, sed neque Sol ipse, in comparatione illius, ampliùs sit sparsurus lumen. *Eru-*
14. *bescet Luna, & confundetur Sol,* inquit
1. Propheta Isaias, *cùm regnaverit Dominus Exercituum.* Illo die, quem Christus elegit, ut demonstraret, qualis ipse sit in veritate, Dominus nimi-
T.ib. rum Dominorum, erubescet Luna,
ier. Sólque confundetur à se ipso, non quia lucem suam naturalem amissuri
ttb. sunt, sed quia in Domini sui conspectu, uterque non aliter quasi luce privatus comparebit. Deinde hanc tam grandem Majestatem omnium Sanctorum & Sanctarum, omniúmque quotquot sunt Angelorum, comitatus augebit, qui vultu non minùs terribili & Majestate pleno comparebunt, quique in plures phalanges, aut, ut meliùs dicam, innumerabiles distributi exercitus, solo aspectu suo adversarios examinare poterunt. Cogitate igitur, qualis misero peccatori ad tam horribilem aspectum futurus sit animus? Quid tunc dictura est misera illa mulier, quæ nunc paternas Pastoris sui admonitiones ridet? Quid dicturus est tunc audax ille, qui nunc neminem se reprehendentem timet? Quid dicturus est ille adulter, qui quemvis se corrigentem contemnit? *à facie ejus cruciabuntur populi.* Leo Joël. 2.
tam ferum est animal, ut, etiamsi se 6.
non moveat, nec minas intentet, spectantes se exterreat. Sæpè etiam Pier. l.c.
Principum vultibus tanta insidet Majestas, ut fixis vix oculis illos intueri quis possit. Hinc est, quod Augustus inter alios sibi complacuerit, dum vidit, supplices cogi quamprimum oculos humi defigere, quasi à splendore è vultu suo promicante excæcarentur. Quamobrem argumentari licet, quàm intolerabilis magni illius totius universi Monarchæ futura sit Majestas! Non solùm aspectu suo omnes hostes suos in terram prosternet, quemadmodum olim fecit in horto (ubi tamen non Judicis, sed Rei personam agebat) sed etiam jam prostratos
enervabit, conquassabitque. *Aspexit* Hab. 3.
& dissolvit gentes. Et, si solo aspectu 6.
hoc faciet, quid deinde facturus est, quando paulò pòst etiam loqui incipiet;

piet, tantæque Majestati vocem iræ adjunget; *Dabit vocem suam ante faciem exercitûs sui?* (Joël 2. 11.)

VI. Et non tantùm terra, sed ne ipsi quidem Cœli illo temporis momento securi erunt. (Joël 3. 6.) *Dominus de Sion rugiet, & movebuntur cœli.* Hæc ira erit tam magna, ut reprobi malint non tantùm sub montium ruinis sepeliri, ne iratum cogantur intueri Judicem, sed etiam libentiùs in ergastulis suis infernalibus manere præoptent. (Job. 14. 13.) *Quis mihi hoc tribuat, ut in Inferno protegas me?* Locò omnium peccatorum inquiebat Sanctus Jobus, *donec pertranseat furor tuus?* Illos in tantis flammis, ut ardeant, relinquere, affectuosæ pietatis actus, & amicæ protectionis opus foret pro damnatis, si magnam illam, coram Omnipotentis Judicis tribunali comparationem subterfugere possent. Alauda adeò timet accipitrem, ut ad fugiendum illum non solùm sæpiùs in ipsos puteorum fundos, sed etiam furibunda in accensas fornaces se projecisse visa fuerit. O miseros peccatores! Si etiam ipsi iratum Christi contra se vultum ita possent effugere, in quas non voragines quamprimum se præcipitarent, in quas non flammas proruerent, ut à facie ejus se absconderent? (Apoc. 2. 12.) *Væ terræ & mari*, inquit Sanctus Joannes, *quia descendit Diabolus ad vos, habens iram magnam.* Sed quantò magis væ Mundo, quia non Diabolus, qui ex se nihil potest, contra eum procedit; sed ipse DEUS, qui omnia valet, tam magnâ cum irâ, quanta ejus fuit Misericordia, quantùsque ex parte nostra ejusdem fuit abusus, contra eum progreditur. *Habens iram magnam.* Magna erit hæc ira plurimas ob causas. Primò quia longo tempore ab illo suppressa fuit. Fluvius aliquot tantùm horis detentus, quanto cum impetu decurreret? Cogitate quid futurum esset, si multis sæculis detentus fuisset? Solus Jordan fluvius alioquin tam placidus & quietus, si, (Jo[illegible]) quemadmodum aquas superiores detinuit, donec Sacerdotes cum Arcâ transiissent, ita usque in hodiernum diem eas retinuisset, & hoc momento denique toto cum impetu difflueret, quas non strages & calamitates inferret agris, quos obvios haberet, & quas non postea maris ingressus excitaret tempestates? Ira itaque DEI, erit ira à Mundi principio, usque in finem detenta, atque ideò quò major præcessit in exspectando dilatio, tantò major in puniendo secutura est violentia. *Volens DEUS ostendere* (Rom.) *iram suum*, inquit Apostolus, *sustinuit in multâ patientiâ.* Quasi diceret: plurimas simul aquas congregavit DEUS, quas super peccatores obstinatos omnes unico momento effundet, ita ut ab ipsis cum rigoris horribilissimi demonstratione absorpti maneant.

VII. Ad hæc ira DEI tunc tota pura erit absque ulla compassionis admixtione. Id quod Justitiam Divinam dulcorat, est, quòd comitem habeat Misericordiam, à quâ nunquam separatur. *Cùm iratus fueris, Misericordiæ recordaberis.* Sed in die Judicii Justitia erit sola, ita ut Christus non permittat

à Mi-

à Misericordia se interpellari, velut procul eam à se amandâsset. Hanc ob causam DEUS præcepit Oleæ, ut uni filiarum suarum terribilissimum hoc imponeret nomen: *Sine misericordia voca nomen ejus*, dixit enim, *quia non addam ultra miserere domus Israël.* Verùm hanc homines veritatem nunc sibi non possunt persuadere, quia nunquam illius effectus experiuntur. Cherubin ille, de quo in templo suo mentionem facit Ezechiël, duas habebat facies ab una parte hominis, ab altera faciem habebat Leonis. *Duas facies habebat Cherubin, faciem hominis ex hac parte, & faciem leonis ex alia parte.* Verùm an scitis Charissimi, cujus imago fuerit mysticus ille Cherubin? Erat Christi Domini nostri figura, cui binæ sunt facies, una hominis tota amabilis & mansueta; & hæc est illa, quâ nunc peccatores aspicit, invitat, & pœnitentes recipit. Altera est Leonis, tota horribilis & furibunda; & hæc est illa irata facies, quâ ultimo illo die omnes injurias à tot sæculis toleratas est vindicaturus. *Facies hominis ex parte*, quod est tempus præsens, *& facies leonis ex alia parte*, quod est tempus futurum. Quare quemadmodum nunc DEUS adeò benignus est, ut minus aliquid, quàm hominem se demonstret, tantas sufferens injurias, quas nemo hominum toleraret unquam; sic tunc adeò rigidus erit, ut plùs, quàm Leonem se demonstraturus sit; easdem injurias & offensiones incomparabili vindicaturus furore, ubi non ampliùs excusationes, aut preces, aut lachrymas, aut submissiones, licèt in præsenti admittantur libentissimè, acceptabit.

VIII. Et hanc credo esse causam, ob quam DEUS ipse non solùm Leoni, sed etiam Ursæ, ob catulorum amissionem in rabiem actæ, se compareт, *Occurram eis quasi ursa raptis catulis.* Leo enim velut animal generosum, nihil mali infert iis, qui se coram illo submittunt; & licèt iratus, non invadit in terram projectos, sed transit, contentus, sibi victoriam cedi. Non sic Ursa, præsertim quando magis, quàm unquam fuerit contra eum, à quo novit ex specu catulos fuisse ablatos. In hoc quidem actu deprehensus venator se humiliare, & in terram projicere poterit, sed nihil ei proderit. Ursa non ignoscit, dentibus dilacerat, ungulis proterit, nec satiabitur, donec latronem suum totum in frusta discerptum, omniáque ejus viscera per agros dispersa viderit. *Occuram eis quasi Ursa raptis catulis, & dirumpam interiora jecoris eorum.* Viva hujus veritatis apprehensio sufficere deberet, nec alio opus esset motivo ad vitam in melius commutandam.

Ose. 13. 8.

IX. Certus quidam, liberioris vitæ Adolescens, adeò dissolutè sensuum voluptatibus in prædam se dederat, ut de anima sua magis solicitus non esset, quàm, si nullam omnino haberet. Scelera quidem ipsius in principio adeò tecta fuerunt, ut vix ab iis, quos morbi sui complices habuit,

S. Vincent. Ferer. Serm. in Sexag.

buit, dignosceretur: sed omni verecundiâ paulatim amissâ eò devenit audaciæ, ut lascivum esse sibi gloriæ duceret. Reprehendebatur quidem à Confessariis, corrigebatur à Cognatis, admonebatur ab Amicis; sed omnes incudem percutiebant, quæ verberibus magis induratur. Cogitate, quanti fecerit admonitiones, qui maximam suam in hoc ambitionem posuerat, ut totius Patriæ scandalum haberetur. Quare aliud quàm à cœlo remedium exspectari non poterat; quod denique DEUS adhibuit, ut aberrantem miserum Adolescentem ad meliorem frugem reduceret. Quadam nocte somno jam oppressus Christum aspectabilem habuit, Angelis stipatum, magnificentiâ & Majestate circumdatum, supráque thronum planè igneum sedentem. Et quid, vultu ad Angelos converso, inquit, facit hic audax & facinorosus? Tanto tempore meâ abutens patientiâ in peccato obstinatur. Aut vitam mutet, aut quamprimum ad hoc meum vocetur tribunal, ut debitas scelerum suorum pœnas luat. His ita dictis somnium evanuit, juvenisque evigilavit, sed ita terrefactus, ut de lecto surgens præ horrore se incanuisse viderit. Nec solùm pilos, sed etiam vitia mutavit, eo quidem modo, ut verba Christi mirabilem illum effectum produxisse visa sint, quem accensa fornax in metallis operatur, quæ unico quasi momento adhærentem illis rubiginem cogit disparere. Compunctus & confessus est, nec ampliùs fuit ille, qui fuerat priùs. Hoc ex eventu colligere vobis licet; quantùm ex unâ parte judicii extremi valeat memoria ad mores corrigendos, & quantùm ex alterâ parte Christi Judicis aspectus peccatoribus terrorem incussurus sit, cùm sola ipsius imago per somnium visa in unica nocte, brevi sanè tempore ex Juventute senem fecerit.

X. Quid igitur facient miserabiles illi, ut talem aspectum effugiant? An non putatis, eos, si possent, propriis manibus sibi oculos eruturos? Rex Saul à Philistæis in prælio victus, memor tot se olim victorias ab iis reportâsse, adeò periculum, ne vivus in eorum manus deveniret, timuit, ut prono pectore proprii ensis cuspidi innixus, potiùs desperatam mortem sibi acciret. O si eandem sibi peccatores inferre possent: quanta illorum die isto futura esset consolatio? Verùm omnis hæc Spes abscissa est. Non solùm mortem sibi inferre non poterunt, sed, ne quidem clausos aut in terram fixos tenere poterunt oculos, ut iratum DEI vultum non videant, contra quem bello, nescio an magis aperto, quàm diuturno, sagittas suas miserunt. *Videbunt in quem transfixerunt*: inquit Scriptura. Majestatis illius intuebuntur præsentiam, iram vocis illius sentient, & in utraque horrendam impietatis suæ malitiam agnoscent. Jo. 19.

XI. Et hoc ipsum optarem, Charissimi, ut etiam à nobis in hoc magno Christi Judicis adventu consideraremus, qua consideratione tandem aliquando nobis persuaderetur, quàm in-

inexplicabilis ſit Peccati gravitas: ſive enim res hunc adventum præcedentes perpendantur, ſive adventus ipſe conſideretur, non poterant ſenſibiliores, aut horribiliores tanti mali, cujus peccando nos reos facimus, Mundo dari demonſtrationes. Primò quid videtur vobis de igne illo, qui judicium præcedens univerſum Mundum combuſturus eſt: *Quo terra & quæ in ipſa ſunt opera exurentur?* An non idem cum terra vobis facere videtur DEUS, & cum creaturis ſuis, quod cum omnibus peſte infectis fieri ſolet, totáque earum ſupellectile? Generali quadam purgatione omnia à peccatorum contractu infecta exuret. Olim DEUS univerſalis diluvii aquis Mundum purgavit; ſed quia illud diluvium tam efficax non fuit, ut immaniſſimarum turpitudinum, ſcelerum peſtis de novo non repullularet, & plus, quàm unquam humanum genus inficeret, ideò alio ignis diluvio magis efficaci peſtifera infectio à peccato illata ab omnibus rebus auferetur. DEíque implacabile eluceſcet odium, quo hoc infernale monſtrum proſequitur. Dux-belli, qui ipſa etiam caſtra, quæ hoſtis fixerat, flammis conſumit, cuivis apertè demonſtrat ſummum hoc hoſtilitatis actu odium, quo erga adverſarios flagrat, quámque inferret illi ſtragem, ſi in poteſtate ſuâ foret. Eodem modo de hoc incendio, quo ante judicium DEUS terram comburet, & de generali hac renovatione, qua inferiores cœli mundabuntur, argumentari licebit. Quid mali ex ſe fecit terra, quid mali admiſerunt cœli? Nullum aliud, quàm quod materialiter hominibus ad peccatum auxilio, aut inſtrumento fuerint. Cœli ſupra peccatores amicos ſuos depluerunt influxus, Sol, Luna & Stellæ ſuum præbuerunt lumen, Terram victum ſuppeditavit, ísque in hoc perduellium bello contra DEUM manſiones dedit, & ideò creaturæ à DEO exercituum, aut igne comburentur, aut mutabuntur, qui cœlum novum & terram novam, omnis culpæ contagione vult liberam, ita, ut omnibus illius, quam contra peccatum & peccatores profitetur, inimicitia ſit manifeſta. Si quoque leges humanæ ſtatuerunt, ut domus, in quâ conjuratio cœpit, fiſco addicatur, & ubi delinquentem apprehendere nequit juſtitia, in odium delicti ab imagine ipſius pœnas ſumit. At videte, quantò majus ſit DEI odium, quo impiorum malitiam proſequitur; Dominus, in qua conjurationem orſi ſunt, non fiſco addicitur, ſed diruitur, imò in cineres redigitur, ut omnis actionum ab illis patratarum coram oculis DEI adeò abominabilium tollatur memoria. Eodem quoque modo, licèt in manu ſua habeat delinquentes, non illi ſufficit eos ſolos punire, ſed omnes illorum quaſcunque reperit fortè ſupra terram ſtatuas, omnes veſtes, ſuppellectilem, omniáque pretioſa eorum igni addicit, imò iram ſuam exerit contra omnes res conditas, quæ, licèt invitæ, tanquam Divinæ offenſioni inſtrumenta peccatoribus ſervierunt & poſtquam rebelles ſuos propriis eorum armis, id eſt, creaturis contra

ipsos insurgentibus devicerit, arma confringet, arcúsque & sagittas, quibus
Ps. 36. 1. usi fuerant, comminuet. *Gladius eorum intret in corda ipsorum, & arcus eorum confringatur.* O quàm grande igitur malum est peccatum mortale, cùm etiam propter ipsum supra creaturas innocentes iram suam effundat DEUS, terram, elementa, ipsósque cœlos destructurus sit, propter operam qualicumque modo impiis præstitam!

II.

XII. Nunc, ut ad propositum redeamus, sola hæc prima invasio sufficiens esse deberet ad victoriam concedendam; solus tanti Domini in prælium in persona sua descendentis adventus, apparatus, soláque DEI irati actualis
Prov. 16. 14. visio satis esse deberet. *Indignatio Regis, nuntii mortis*: At non ita, vult insuper pro majori peccatorum exterminio prælium inchoari. Quamobrem fingite animis, videre vos in sublimi totum aërem primò Angelis, deinde Sanctis, quotquot unquam fuerunt, Apostolis, Patriarchis, Prophetis Martyribus, cunctísque aliis Sanctis repletum esse, támque luminosis vestitos corporibus, ut quivis illorum septies Sole nostro splendidior appareat, infra verò imaginamini supra terram à vobis Dæmones, & Damnatos corporibus monstrosissimis circumdatos, palpitantes, & plangentes conspici, & quasi infelicem turbam in Amphitheatro feris destinatam, omni momento earum fauces exspectare. In tali rerum statu, inquit S. Augustinus, culparum commissarum multitudo, quasi exercitus in aciem dispositus coram oculis Impiorum contra eosdem comparebit. *Ordinabuntur coram infelice omnia delicta sua.* Hæc multitudo non erit turba aliqua confusa, sed erit exercitus in suas phalanges distinctus, qui triplici præsertim acie constabit. In prima erit omne malum admissum; in secunda omnia bona pravâ mente facta, in tertia omnia bona omissa comparebunt. Ex adversa trium harum acierum parte, alius Divinoram beneficiorum exercitus in tres quoque ordines dispositus congregabitur, malorum, à quibus liberati fuimus, bonorum, quæ accepimus, bonorum denique, quæ nobis promissa fuerant. Quis nunc horrendam illam pugnam à duobus his exercitibus bonorum, scilicet acceptorum, & malorum, DEO invicem redditorum capere poterit? Satis est dicere, hanc pugnam sufficientem esse, ad DEI magnitudinem hactenus non cognitam, manifestandam. *Et scietis quia ego Dominus.* DEUS creando Mundum, leges condendo, adventu suo nos instruendo, vitâ suâ nobis prælucendo, morte sua remedium nobis adferendo, aliud denique non intendit, quàm, ut ille, qui est infinitè Sanctus, & consequenter peccati in infinitum hostis, cognosceretur; verùm peccatores duritiâ suâ ad hanc gloriam agnoscendum cooperari noluerunt. *In Mundo erat* per Jo. redemptionem, *& Mundus per ipsum factus est*, per creationem, *& nihilominus, Mundus eum non cognovit*,

pro-

propter obstinationem, taliter erga DEUM se gerendo, quasi neque à DEO factus, neque redemptus esset. Verùm his tenebris non semper erit locus supra terram, veri Solis gloriæ tam injuriosis, sed extremâ cum reproborum confusione, summóque DEI ipsiusmet tantopere jam contempti honore illæ dispellentur. Quod duobus fiet modis: Primò omnia peccata publicè manifestabuntur, secundò quævis enormitas in illis contenta palàm fiet.

XIII. Plurima oculis nostris abscondi possunt, quia in oculis nostris lumen non habemus, sed illud jam in objectis à nobis inspectis præsupponimus. Hoc modo non se habent oculi Christi. Sancti Joanni oculis planè ignitis apparuit. *Oculi ejus tanquam flamma ignis.* Ut nobis significaret, se lucem in pupillis totam accensam habere. Ideóque aliorum non utetur testimonio ad culpas nostras quasi totidem cum facibus indagandas; Divinâ suâ utetur scientiâ, eáque solâ omnia manifestabit occulta. *Posuisti sæculum nostrum in illuminatione vultus tui.* Quid ergo tunc miseris fiet peccatoribus, qui velut infelices talpæ sub terra delitescere assuetæ, se vi è tenebris extrahi videbunt, diémque Domini, in eóque cunctas suas abominationes cœlo terræque detectas, antè incognitas, aspicere cogentur? Tunc agnoscent, verè DEUM non dormivisse; quando peccata illorum non puniebat, demonstrâsséque, si ita licèt dicere, peccata non puniendo, quasi Leonem apertis oculis dormivisse, ut quavis eorum actiones attentissimè annotaret.

XIV. Sed adhuc parum esset, si is Divinæ scientiæ suæ lumine ad nihil aliud, quàm ad scelerum numerum detegendum uteretur. Sed quod ampliùs est, hoc lumine etiam malitiam manifestabit. Duæ sunt interna nostra animæ voragine tenebrarum qualitates, quædam positæ sunt à natura, aliæ ab ignorantia. Tenebræ à natura collocatæ sunt profundæ cordis cavernæ, ad quas nullus creatus attingere potest aspectus. *Pravum est cor omnium & inscrutabile: quis cognoscet illud?* Jerem. 17. 19. Oculis verò dilinitam atram noctem quamprimum in clarum commutabunt diem! numerum, causas, circumstantias, cujusvis etiam peccati mudum detecturi. Sed hoc non satis erit. Restant aliæ ignorantiæ tenebræ, ob quam tam parum peccatum cognoscitur, ut nihil mali apparet, & non nisi jocus, lepor, aut gratia malúmque risu dignum videatur esse. *Deformitas sine dolore.* Sed has tenebras bene illuminabit DEUS, *illuminabit abscondita tenebrarum.* Siquidem omnibus reprobis quemdam Divinæ cognitionis suæ radium concedet, & de peccatis suis secundùm æstimationem, quam de ipsis Divina format justitia, judicare coget. *Tunc confusio*, inquit S. Thomas, *respiciet æstimationem DEI, quæ secundùm veritatem est de peccato.* S. Thom. supp. q. 8. a. 1. 4. In hoc consistit sapientia, cognoscere res per causas altissimas. *Sapientia est cognitio per causas altissimas.* Et hanc infaustis

peccatoribus DEUS concedet sapientiam, ut illius veritate malitiam suam per causas altissimas cognoscant, id est, per infinitam DEI Majestatem, quem offenderunt, & per infinitam hominis vilitatem, à quo offensus fuerat, unde explicari non potest, quâ confusione afficiendi sint miseri. O si quis nunc unicum hujus lucis radium habere posset, quàm vel ob minimam DEO illatam confunderetur injuriam; cùm jam ob cæcitatem, qua opprimimur, potiùs superbiæ edamus signa, res quasvis secundùm extremam ignorantiam nostram judicantes. In illo igitur die secundùm Divinam veritatem, juxta quam DEUS judicabit, nostram quo-
Ps. 95. que feremus sententiam, *Judicabit orbem terrarum in veritate sua.* Et immensa hæc peccatorum confusio non erit transitoria, sed per omnia sæcula stabiliter durabit. Interdum pro majori proditorum supplicio columna solet erigi, in qua ad perpetuam infamiam infidelitatis scelera exhibeantur. Talis columna cuivis peccatori propria sua erit conscientia, in qua horrendæ proditionis suæ ingratitudinem insculptam lecturus est, ita, ut tam odioso objecto nunquam oculos advertere possit. Nunc quidem impii iniquitates suas aliorum oculis occultant, tunc verò eas ne quidem oculis propriis ab-
Ps. 49. 21. scondere poterunt. *Arguam te & statuam contra faciem tuam.*

XV. In hoc misero rerum statu eritne aliquis, qui compatiens peccatoribus promptam adfert opem, antequam irrevocabili damnationis sententia omnino eliminentur? Quid vobis videtur? Imò etiam ipsi Sancti insurgent contra illos, persequentúrque, ostensuri, quanti Divinam faciant gloriam, ut eadem post tot jacturas in ultimo rebellium suorum exterminio reparetur. *Stellæ cadent de cœlo, & luna* Ma.
non dabit lumen suum: per stellas in ex- 24.
tremo die de cœlo casuras supra peccatores, quidam Sanctos cœli incolas intelligunt, qui de Advocatis nostris in rigidissimos convertentur Judices. Et per lunam, quæ consuetum non dabit lumen, Sanctissimam Virginem interpretantur, quæ omnino pro miseris istis cessabit intercedere, imò Soli Divino Redemptori tunc implacabili juncta eosdem persequetur. Quando Luna Soli est opposita, tunc pro terræ emolumento tota lumine plena est; oritur, quando Sol occidit, & de nocte quasi diem facit vigilantibus, etiam in generali totius Mundi somno. Talis nunc est pro nobis Virgo Sanctissima; intercessione sua Justitiæ Soli se opponit, qui est Filius ipsius, & quando propter culpas nostras iratus faciem suam à nobis abscondit, recedítque, tunc pulchra hæc Luna exsurgit, ut nos consoletur, suæque gratiæ splendoribus illuminet tenebras nostras, nec non desideratam nobis veniam obtineat. Verùm in die illo tremendo hæc Luna Mundo inferiori tam amica, nobisque propter Misericordiæ suæ viscera tam propinqua, adeóque prompta & propitia, non jam Filio suo se opponet; planè illi consentiet, neque terribilem illam sententiam ever-

evertet, ſed ſuffragio ſuo confirmabit. Unde inſtar Lunæ Solem ſequentis non ampliùs pro terra benignitatis fulgebit luce, ipſo cum Sole occumbet, noctémque magis tenebroſam reddet.

III.

XVI. Infeliciſſimos igitur peccatores, omníque defendendi ſe vigore privatos, ſi ſaltem ipſis effugiendi pateret via: ita, fugient quidem; ſed neceſſe eſt, ut primò horribilem illam & funeſtam, jam pridem ipſis præparatam audiant ſententiam, quâ ſtrage magis ignominosâ, terga vertere cogantur. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum!* dicet DEUS. Quando Chriſtus moriebatur in cruce, non tam languens, quàm clamans; & magnâ voce clamans, mortuus eſt. *Emiſsâ voce magnâ exſpiravit.* Quòd ſi talis vox fuit Chriſti moribundi & gerentis perſonam Rei, qualis erit vox Chriſti ſuſtinentis perſonam Judicis? Profectò talis erit, quæ à toto Univerſo magno cum horrore audietur, contremiſcéntque fundamenta terræ, ita, ut & colum-
3. næ cœli commovendæ ſint. *A voce tonitrui tui formidabunt.* Tantò magis, quia DEUS ſententiam proferendo, quidquid horrendi in ea continetur, ejus vivam & altiſſimam in cunctis impiis explicationem impreſſurus eſt. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.*

XVII. In hac prima voce, *diſcedite à me*, omnes pœnæ damni comprehenduntur, quibus Reprobi in æternum ſubjicientur, & in reliquis, *in ignem æternum*, omnes pœnæ ſenſus comprehenduntur, quod idem erit ac dicere: Diſcedite à me, qui ſum DEUS veſter, primum principium & ultimus finis veſter. Diſcedite à me, qui ſum Redemptor veſter; à me, qui propter vos homo factus ſum, nec unquam quamdiu vixi, ceſſavi veſtrâ causâ dolere & affligi: à me, inquam, qui pro ſalute veſtrâ usque ad mortem Crucis me demiſi. Diſcedite è conſpectu meo, à protectione meâ, à Regno meo, ab omnium paternorum bonorum poſſeſſione: Diſcedite à meis amicis, ab Angelorum illorum Societate, quos quondam cuſtodes veſtros aſſignaveram, ab omnium Sanctorum mihi aſſiſtentium cœtu, à Martyrum militum meorum, Virginúmque Sponſarum mearum conſortio vos eripite. Abite à conſpectu Matris meæ, quæ etiam irata vos intueri nequit. *Diſcedite maledicti:* & maledicti non à me, nec à Patre meo, qui ex parte noſtra omnia bona vobis volumus, ſed à peccato veſtro, à quo omnia mala in vos derivantur: Maledicti in anima, maledicti in corpore, maledicti in intellectu, maledicti in voluntate, maledicti in internis & externis ſenſibus, maledicti in vobis, maledicti in ſociis veſtris, maledicti in tempore, maledicti in æternitate. Amaviſtis maledictionem: ecce cecidit illa ſuper vos: odiſtis benedictionem, ecce per omnia ſæcula illa à vobis receſſit. *Diſcedite maledicti in ignem æternum.* Vos à me non ejicio, ut pro arbitrio veſtro, ſicut feciſtis hucusque, vivatis, ejicio vos; ut in carcerem conjicia-

jiciamini, cujus muri ignei, pavimentum carbones & rogus, tectum ardens, aër flammæ, catenæ & vincula igne candentia, in quo ignis intima viscera vestra penetret, absque ullo solatio, absque refrigerio & absque ullâ minimâ unquam cessatione. *In ignem æternum.* Omnia hic miseriarum cumulus, & quod his ampliùs mens vestra concipere non potest, infelicibus illis patefiet, & quasi in sententiâ contra illos à summo Judice pronunciatâ contentus declarabitur, nec vel momentum ipsius executio differetur. Vix Moyses contra duos DEI rebelles Datan & Abiron loqui desiit; ecce quamprimum terra sub pedibus illorum aperitur, eósque vivos deglutit. Idem his in momento eveniet. Vix à Christo contra reprobos sententia erit pronunciata, statim magna Josaphati vallis media dividetur, eósque voragine suâ absorbebit. Quòd si etiam infra illos terra se non aperiret, miseri per se ipsos aperturam aliquam quærerent, ut ab oculis DEI, & fulminantis Judicis fugere possent, qui ex ipso Divino suo vultu, quasi pœnarum barathrum pro rebellibus illis facere noverit. *Ibunt in supplicium æternum.* Illuc non ducentur, nec impellentur, nec trahentur, sed ab immenso peccatorum suorum pondere pressi devolventur: *Ibunt hi in supplicium æternum.* Ibunt in gravitatis suæ centrum, ad locum ibunt peccatis suis proportionatum, qui est Inferni barathrum, locum scilicet, in quo illi naturaliter morantur, & extra quem in statu quo-

Exod. 15.

Matth. 25. 46.

dam violento quasi vi detinentur. *Ut abiret in locum suum.* Leonem ajunt in foveam à Venatoribus arte præparatam delapsum, adeò errorem suum erubescere, ut, ne conspiciatur, sponte sua caveam ad hunc finem in fossæ latere præparatam, subeat. Eodem modo peccator maximâ hac confusione, quam in peccati sui fossa experitur, obrutus, vix aperturam videbit, quam in illa die DEI ira efficiet, quin absque morâ se ipsum in Infernum quasi in ignitam caveam sit præcipitaturus, quæ cum sita sit in loco longissimè à cœlo distante, antrum quoque erit aptissimum ad abscondendos fugitivos, quos pudet, cœlum terræ tam turpiter postposuisse. *Ut abiret in locum suum.*

Act. 1

Bar. Av lica 18. ani

XVIII. Miseri ergo isti per se ipsos ibunt, ut in abysso se occultant; ibunt autem in momento à Judicis sententiâ præcipitati, ita ut ab ea, tanquam invincibili, ne quidem temporis punctum ad appellandam concedatur, adeóque in ictu oculi omnes Reprobi in profundum dejecti erunt, quemadmodum exercitus stragem passus, simul fugit, summóque cum interitu fugatur. Hinc est, quòd ubi de Christo nos legimus: *Judicabit in nationibus, implebit ruinas.* Sanctus Hieronymus ex Hebræo legerit: *Judicabit in Nationibus, implebit foveas.* Qui peccatorum ruinas implere, & cavitates, quæ in Inferno adhuc inanes supererant, complere, idem prorsus sonat. Id quando cum fragore faciendum sit, quis exsplicare poterit? Tunc enim verò DEUS, *conquassabit capita*

Ps. Vid Bel. hun cum

in

in terrâ multorum; quia non tantùm rebellium colla humiliabit, qui ſunt multi illi, ſed etiam demum capita illorum conſtringet. Sic igitur terra ab ingenti peccatorum fœtore mundata, finitâque omnium creaturarum, à peſtilenti contagio per ignem purgatione, Mundus totus renovatus, támque pulcher invenietur, ut Cœli iſti, à quibus nunc vigorem trahimus, & hæc terra, de qua nunc vivimus, in comparationem novi hujus Univerſi
.17. adduci non mereantur: *Ecce ego creo cœlos novos & terram novam, & non erunt in memoriâ priora, & non aſcendens ſuper cor.* Aër ſemper erit purus abſque ullis nebulis & nubibus; aqua ſemper inſtar cryſtalli erit limpida; terra velut aurum ſemper erit lucida, adeóque transparens, ut cuivis, quidquid in ſinu ſuo continet, clarè intueri permiſſura ſit, quaſi non ampliùs amet illos theſauros, quos olim abſconditos volebat. Luna quemadmodum Sol ſplendebit, Sol ſepties ſplendidior erit, quàm nunc eſt. Cœlum propter innumerabilem Stellarum multitudinem millies ornatius erit, quæ nunc propter lucis ſuæ debilitatem ab oculis noſtris non conſpiciuntur; verbo, tota natura, quaſi in die feſto novis induetur veſtibus, eò quòd tandem peccatorum jugum è collo ſuo excuſſerit, nec unquam impoſterum aut iniquitati, aut iniquis DEI hoſtibus ampliùs ſervire teneatur. Interea Reprobi in profundiſſimâ ſepulti abyſſo, tanquam ſordes cloacâ reconditæ, nunquam grande hoc, pulcherrimúmque Mundi palatium maculare poterunt; per omnia enim ſæcula poſſibile non erit ampliùs, ut vel minima ex illâ ſentinâ ſtillare poſſit gutta, quâ Univerſum contaminetur. Ibi à DEO & omnibus Sanctis oblivioni dati erunt quaſi Pſ.14.5.
nunquam fuerint, aut ſint. *Ad nihilum deductus eſt in conſpectu ejus malignus.* Dupliciter annihilabuntur, & propter æternam malitiam, & propter æternam miſeriam ſuam. Et tunc, ut ita dicam, DEUS reſpirabit, poſtquam tam grave onus in tolerandis impiis depoſuerit, tantámque impietatem, quam, ut inquit Propheta, ampliùs proferre Jerem.
non potuit. *Non poterat Dominus ultra portare, propter malitiam ſtudiorum veſtrorum, & propter abominationes, quas feciſtis.* 44. 22.

XIX. Talis erit ſtrages à DEO peccato inferenda, ultimúmque Peccatorum excidium, poſt quod Chriſtus omnibus Beatis aſſociatus Spiritibus, in cœlum redibit, triumphum celebraturus, omnes poſt ſe Electos trahendo, poſtquam omnes reprobos inſtar magnetis diſpulerit, qui ab eâ parte, quâ ferrum ſibi ſimile attrahit, ab eâdem ferrum ſibi contrarium arcet.

XX. Quid nunc vobis videtur Chariſſimi, de funeſto hoc & decretorio prælio, de ultimâ hac internecione, de hoc aſſultu & ultimâ ſtrage, quam peccatum, omnéſque infelices illius aſſeclæ patientur? quis unquam ampliùs tam ignominioſas ſequetur partes? Quis ſub tam infauſto militabit vexillo? Imò hoc ipſo momen-

to oportet illud deferere, ut quamprimum poſſibile eſt, ſaluti noſtræ conſulamus. *Nolite Miſericordiæ tempora perdere*, dicam cum Sancto Joanne Chryſoſtomo. Nunc omnibus Rebellibus ſuis DEUS veniam offert, modò arma deponant, modò quæ aliis rapuerunt, reſtituant, modò obſcænitates ſuas relinquant, modò odia è cordibus ſuis ejiciant, modò tandem linguam frænare incipiant. Verùm in ultimo illo die aliud non volet profectò, quàm ſtragem, nec ſatiabitur, donec victorioſum enſem inimicorum ſuorum cordibus infixerit, ita ut nulli effugiendi locus detur. *Dies ille Domini DEI Exercituum, dies ultionis, ut ſumat vindictam de inimicis ſuis.* Jer 46. Quare omnino deſiperet, qui potiùs magni illius diei furorem exſpectare, quàm præſentem Miſericordiam acceptare vellet. Quamobrem Saluti veſtræ proſpicite, recenti ſemper memoriâ tenentes, à DEO aliquando in Judicium vos adducendos eſſe. *Fugite ergo à facie gladii, quoniam ultor iniquitatum gladius eſt, & ſcitote eſſe judicium.* Job



DISCURSUS XVIII.

Pœnæ Inferni peccati Mortalis Gravitatem oſtendunt.

I. PLurimæ fuêre inventiones, quibus Dionyſii Tyranni crudelitas ingenioſam ſe demonſtrare voluit. Sed inter omnes primum ſibi locum vendicat famoſus ille carcer, qui ad ſimilitudinem auriculæ exſtructus fuit, ut per parvum illud foramen, quod è ſuperiore fornacis parte prominebat, faciliùs incarceratorum voces, lamenta & ſtridores audiri poſſent, ut ſi Rei non eſſent, lamentando inibi fieri deberent. Ah utinam infernalis carcer etiam ad hanc normam conſtructus eſſet! Optarem, ut quivis hominum aure ad carcerem illum applicatâ inconſolabilium illarum animarum querelas facilè intelligere poſſet, adeóque tam fundatam & fidelem inde relationem haberet, quæ ſufficeret, ut inde ſibi caveret. At ne talem relationem deſiderare velimus, Fides prævertit, utpote quæ ipſamet ex altero Mundo nova magis authentica, infelicis illius regionis adfert, quæ omnium malorum locus appellatur: *Locum tormentorum.* In hoc rei verſatur cardo, ut ſinceriſſimis illius informationibus mentem advertere velimus: quod vos rogo, ut nunc præſtetis, dum jam ad illa referenda me accingo, obtineámque à vobis, ut tandem peccatum unicam damnationis, de qua audituri eſtis, cauſam, imò

imò etiam majus ipsâ dominatione malum, deteſtemini.

II. Chriſtus JEſus Dominus noſter proponendo nobis ſententiam, quam contra animam adverſus verba ſua contumacem, jam tulit, paucis terminis videtur comprehendiſſe, quidquid de omnibus inferni miſeriis poſſibilibus dici poteſt. *Qui incredulus eſt Filio, non videbit vitam*, ait, ſed *Ira manet ſuper eum*, ſignificans hoc modo loquendi immenſam & damni & ſenſûs pœnam, quæ Infernum conſtituunt. Incipiamus à ſecunda.

I.

III. Dicit ergo Chriſtus, Iram DEI totam in infelicem damnatum effundi. *Ira DEI manet ſuper eum.* Chariſſimi, ampliùs dici non poteſt, ut bene aprehendamus, quid ſit infernus. Infernus eſt, effectus infinitæ DEI noſtri Juſtitiæ proportionatus, eo modo, ut ſi quis ignoraret, Juſtitiam Divinam eſſe infinitam, magnum illud opus, quod eſt pœna, quam peccatores in profundo illo barathro ſubeunt, planè & profundè infinitam hanc DEI, in peccatis puniendis, perfectionem ſtatim capiat. *Scietis, quia ego ſum Dominus percutiens*, inquit ipſemet per Ezechiëlem Prophetam. Ego quemvis meorum rebellium tam dirè percutiam, ut ex verberum vi facilè Divini brachii mei Omnipotentiam colligere poſſitis. Vulnera, quæ miſeris illis inflicta relinquam, cuivis menti erunt viſibilia, ut immenſum, quod contra culpam illorum gero, odium agnoſcant, meòque gladio tam profundè illorum penetrabo viſcera, ut quivis fateri debeat, non alium eſſe, quàm DEUM, qui ſic percutiat. *Scietis, quia ego ſum Dominus percutiens.* Non erit hæc cognitio aliqua probabilis, aut prudens conjectura, ſed erit perfecta ſcientia, tam manifeſtè quovis tempore, tam magna veritas apparebit. Quare bene affirmare neceſſe eſt, illa tormenta, quibus ibi puniuntur Reprobi, velut infinita eſſe debere, quia infinitam Divinæ Juſtitiæ perfectionem demonſtrare debent; & quia in ipſis claris, & conſpicuis notis ab infelicibus illis infinita, quæ in corde DEI regnat, Sanctitas legitur, odium quoque conſequenter infinitum, quod erga iniquitatem gerit, legetur. *Ira DEI manet ſuper eum.* Ira DEI correſpondentes tanto DEO producet effectus, quibus alia DEI Attributa dignoſcantur. Effectus, ad Divinam Miſericordiam manifeſtandum ordinati, ſunt infiniti benignitatis exceſſus: effectus ad potentiam agnoſcendam oſtendendam, ſunt inaudita prodigia, effectus ad providentiam probandam producti, ſunt ineffabiles protectiones; effectus ad Divinam liberalitatem demonſtrandam producti, ſunt immenſa dona; immenſa igitur, indicibilia, inaudita & infinita quoque erunt ſupplicia, quæ quaſi effectus Divinam Juſtitiam manifeſtabunt.

IV. Verùm pœnæ inferni non tantùm erunt magnitudini Divinæ Juſtitiæ proportionatæ, ſicut effectus ſuæ cauſæ, ſed etiam ſicut media fini principaliter ab illa intento. Quid ante

omnia Divina Justitia propositum habet, tantas in inferno pœnas à reprobis, exigendo? intendit ab illis, eorúmque impensis Divinam reparari gloriam, eorum sceleribus diminutam. Quis verò dicere poterit, quæ pœnarum mensura sufficiens sit futura ad solennem illam vilipensionem reparandam, quam à peccatorum malitiâ & inobedientiâ Sanctitas, supremum Dominium, Bonitas, Immensitas, Infinitas, Unitas, Æternitas, aliæque similes infinitæ perfectiones sustinuêre, quæ quasi in immenso mari in simplicissimâ Divinæ Naturæ essentiâ uniuntur? Qui hoc dicere posset, subinde etiam dicere posset, qualia & quanta esse debeant illa supplicia, quæ Divina Justitia à quovis sumptura est, ut pro mensurâ injuriarum, quas passa est, se glorificet. Quare consideretis velim, ad satisfactionem humanæ justitiæ præstandam, quò persona offensa superior est, conditionísque altioris, quàm offendens, tantò majorem quoque pœnam esse debere. Si Rusticus alium rusticum sibi parem fustibus excipiat, à justitiâ ad nihil ampliùs, quàm ad aliquot dierum carcerem condemnabitur. At si Nobilem percusserit, jam non carcer ad satisfaciendum delicto sufficiet, sed reus insuper ad triremes pro mancipio mittetur: quòd si verò etiam in Principem suum supremum verberibus desæviêrit, creditote vix mortem ad eluendum hoc scelus sufficientem fore. Quæ pœna requiretur, ut ingratissimus & inhumanissimus Peccator supplicii sui & dolorem tolerantiâ gloriam illam reparet, quam cunctis perfectionibus in Divinâ Majestate resplendentibus culpâ suâ rapuit? Ita ut DEUS, hujus miseri impensis, DEUS ille immensus, infinitus omniúmque creaturarum obsequio dignissimus, qualis verè est per se ipsum, agnoscatur. *Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es*: Inquit Psalmista, DEUM alloquens. Ps. *In multitudine gloriæ tuæ deposuisti adversarios tuos*, cum omni populo inquiebat Moyses. Exo. 15. Tu O DEUS, inimicos tuos in profundum maris præcipitâsti, & ab illorum præcipitio gloriam quamdam Divinæ magnitudini tuæ respondentem hausisti; sic ut quemadmodum immensæ & infinitæ sunt perfectiones tuæ, ita immensus & infinitus sit ille honor, quem à quavis illorum pœnâ nunc vendicas. Quamobrem quilibet Damnatus in inferno erit, quasi Divinæ Justitiæ trophæum quo per omnia sæcula ostendet, quàm ingens malum sit DEO resistere, quamque justum sit & utile illi obedire. Atque adeò, quo damnati, quoad culpæ suæ monstrositatem in se ipsis fœdiores erunt, tantò magis propter pœnæ, quam patiuntur, æquitatem coram oculis DEI conspicui erunt. Erunt, inquit Sanctus Thomas, quasi tot Stellæ igneo illi cœlo infixæ, suísque tormentis beatius & pulchrius efficiens spectaculum, quàm nunc tot luminibus de nocte præbeat firmamentum. *Sicut cœlum sideribus, sic infernus damnatis ornabitur.* Quin Divina Justitia ob illorum supplicia,

quasi ob conspicuam hæreditatem divitem se æstimabit. *Ira ipsius Gentes quæ non exquisièrunt eum, hæreditabit.* Tunc morte illorum, illâ plenâ & perpetuâ tam splendidæ hæreditatis captâ possessione toti Paradiso eam contemplaturo pompam exhibebit & ab omnibus Sanctorum Choris congratulationes & applausus, quasi quosdam ex stabilibus bonis redditus, aut, ut meliùs dicam, immortale glorificationis suæ tributum accipiet, hácque viâ intentiones suas ad majorem Essentiæ Divinæ manifestationem, & magnificentiam directos adimplebit, ita ut Sapientiæ Divinæ hac pœnarum solutione in tantum satisfiat, quantum enormitate scelerum impii eandem exacerbârant. *Qui justè se deordinat in peccatis, justè reordinatur in pœnis.*

V. Quodsi denique hic damnatorum pœnas per effectus causis suis proportionatos cognoscendi modus, hoc est, à Divinæ Justitiæ perfectione, & quia media sunt proportionata ad finem suum, id est, ad Divini honoris reparationem, modus esset, qui communem hominum capacitatem superaret, planiore incedamus viâ, infernaliúmque pœnarum gravitatem ab instrumento colligamus, quo ad inferendas illas utetur; DEUS metiamur, ut ita dicam, à gladii qualitate profundissimi vulneris qualitatem. Hic gladius erit ignis. *Si acuero ut fulgur gladium meum.* Primi Indi post Mundi novi detectionem, ut milites nostros gladio chalybeo armatos conspexêre, cùm illi in Regione suâ solum cannis armati incederent, adeo Europæos formidare cœperunt, ut solus illorum aspectus victas dare manus cogeret. Quomodo igitur non idem poterit Divina Justitia, ut à peccatoribus timeatur; cùm tam formidabili armata sit gladio, qualis est ignis quidem infernalis; Dixi ignis infernalis; Non enim vobis imaginari debetis crudelem hunc ignem, nihil ampliùs ac seviùs esse, quàm ignem hunc nostrum. Hic ignis noster pro hominis utilitate creatus fuit, ut nobis serviret, ut nos calefaceret, ut nos recrearet & lucem præberet; cùm ignis infernalis creatus sit, non ut nobis serviat, sed ut nos torqueat instar carnificis. Ideóque si ab hac flammâ tanta patiuntur Rei supplicia, quæ sunt Divinæ liberalitatis donum, quantò majora ab illa patientur, quæ est Divinæ Justitiæ, mille injuriis iritatæ, instrumentum.

VI. Ad hæc tres ob causas ignis hic formidabilior est. Primò propter suam quantitatem. Videmus fornacem apud nos, quò vastior est, eò quoque violentiorem esse. Talis autem fornax erit infernus, cujus circuitus ad centena aliquot se extendet milliaria, cùm innumerabilia damnatorum hominum corpora continere debeat. Ex alterâ parte ab omni latere igne plena erit, cùm hæc ipsa corpora velut perpetuum sacrificium in honorem DEI ardere debeant, quemadmodum jam suprà dictum est; *Rib. in c. 14.* ideóque facilè concipere licet, qualem *Apoc.*

vim habere debeat incendium tam altum & amplum, quale est Infernus. Ego mihi persuadeo, quòd si mons integer marmoris aut molarium lapidum in medium illius decideret, eum quamprimum instar ceræ dissolvendum, *à facie tuâ montes defluerent.* Certum est à minori igne, qualis est Vesuvii & Æthnæ flamma, saxa liquefieri, durissimúmque marmor in cineres redigi, quos nimborum instar in campos dispergit, ut homines ante oculos suos leve aliquod majoris illius ignis haberent specimen, quem nobis Fides depinxit, & ad impiorum terrorem ostendit.

Is. 64.

VII. Hujus ignis quantitati materiæ quoque qualitatem adjungite. His diebus nostris artificialis paratur ignis, qui etiam in, & sub aqua ardeat, quemadmodum jam sæpius magno cum horrore in pluribus maritimis prœliis spectatum est. Imò Chymici ex Antimonio tam potentem, támque penetrantem nôrunt ignem accendere, ut in illius comparatione, ordinariarum fornacum flamma, ex paleâ accensus videatur esse focus. Quàm furiosus igitur erit ignis iste infernalis, ignis quidem arte factus: sed arte Divinâ, non humanâ, tremendo quodam sulphure accensus, deditâ operâ ad impios torquendos conflato?

Apoc. 19 20. Vid. Corn. à Lap. ib.

VIII. Denique tertiam ob causam hujus flammæ efficacia ob locum clausum absque mensurâ crescet, ubi per omnia sæcula ardebit. Infernus siquidem in medio terræ centro situs est, ideóque ab aere plusquam tribus milliarium millibus separatus, nullam unquam edit ab ulla sui parte exhalationem. Ita ut flamma illa naturaliter sit flamma repercutiens ideóque ah! quàm horrendè vim suam extendet!

IX. Quid igitur Charissimi vobis videtur, de igneo hoc gladio? an non vobis videtur valde formidandus esse DEUS, adeò armatus, imò qui tam potenti pollet brachio, quo eum vibrat? Et hoc est, quod ampliori consideratione indiget. Præter tres enim conditiones, paulò antè dictas, tam de quantitate, quàm de qualitate, tum etiam de horrendæ illius fornacis clausurâ, adhuc potissimum restat, quod est magna illa vis, quam supernaturaliter DEUS igni illi attribuet, ut effectus proportione suâ & potentiâ superiores producat. Meminerunt Historiographi Georgium Castriotum, postquam Mahumeto secundo, Turcarum Imperatori, ensem suum misisset, quo, uno ictu, bovi caput amputabat; & inaudîit, neminem eodem gladio similem roboris assequi potuisse gloriam, sapienter respondisse: hoc ego non miror, ensem quidem misi, sed brachium meum non misi. Idem vobis dico, si fortè incredibilis hujus ignis efficacia vobis videatur, quæ à me proponitur, cúmque communi igne nostro illum comparaveritis. Fuerunt nonnulli, qui dixerunt, Inferni ignem alterius esse speciei ab igne nostro: *alterius generis ab hoc igne quem habemus in usu.* Hoc ego non dico. Volo ejusdem

Orig. 2. Periarch. 10.

dem

dem esse speciei, & quòd, ad summum, diversæ sit materiæ, quemadmodum videmus ignem è placâ, carbonibus, calce, pice, sulphure, stybio, ferro candente, diversæ esse materiæ, & tamen eundem esse ignem. Sed quid hoc refert? Ignis in naturæ manu, qualiscunque ille sit: est velut gladius in manu fœminæ, cùm in inferno sit gladius in manu DEI. Ideóque mirum non est, si ibi ab Omnipotente vibratus effectus producat virtute suâ superiores, multúmque nostrum capiendi & credendi modum excedentes. Sic videtis, DEUM non contentum fuisse dicendo: *Si acuero, ut fulgur gladium meum,* sed addere voluisse, *& arripuerit judicium manus mea*; constat etenim, hunc ignis gladium non solùm propriâ suâ, sed potiùs illâ etiam manûs, quâ regitur, virtute operari. *Ignis ille erit instrumentum Divinæ justitiæ punientis*, inquit S. Thomas, *instrumentum autem non solùm agit virtute propriâ, sed etiam in virtute principalis agentis.*

X. Atque hinc est, quòd talis ignis, tam differentem à nostro habeat operandi modum. Ignis noster majorem in externis corporis partibus, ad quas applicatur, quàm internis calorem producit, deinde eo modo carnem urendo mortificat, ut progressu temporis minorem sentiat dolorem, quàm in principio. At ignis infernalis hac intentione ab Omnipotentiâ DEI elevatus, & intra, & extra æqualiter suum producet ardorem, & dum partem illam, quæ uritur, mortificare deberet, eandem vivificabit & renovabit, ut, quod patitur, sentiat, sempérque sentiat. *Dominus dabit ignem in carnes eorum, ut urantur & sentiant, usque in sempiternum.* Quæ causa est, cur Christus affirmârit, quemvis damnatum, licèt victima sit, non ideò alio indigere sale, ut grata sit victima *omnis enim igne salietur.* Quia quemadmodum carnem, cui aspergitur, sal acriter penetrat, eodémque tempore conservat, idem hic ignis in quovis damnato efficiet: intimè penetrabit, & cùm destruere deberet, eum conservabit.

Jud. 16. 21.

Marc. 9. 48. Vid. Corn. à Lap. in hunc locum & Maldon.

XI. Insuper ignis noster communis solum corpus urit, animæ verò nocere non potest; si dolet, per consensum dolet, non quòd immediatè à calore quidquam patiatur. At in Inferno non erit ita. Ignis à DEO actione supernaturali elevatus, ut injurias DEO illatas vindicet, directè contra Animam, quasi Rebellem legi ab ipso datæ principalem, actura est.

S. Thom. suppl. l. q. 70. ar. 3.

XII. Denique hic ipse ignis, à DEO pro puniendis impiis assumptus, in se omne tormentorum genus continebit. *In uno igne*, inquit S. Hieronymus, *peccatores omnia supplicia sentiunt in inferno.* Quemadmodum in hoc Mundo, ut magnam suam DEUS ostendat potentiam, vult, ut Sol, velut causa universalissima, ad omnium mixtorum productionem concurrat, quæ hic generantur. Sic in Inferno, ut justissimam suam puniendi causam ostendat, vult, ut ignis tanquam causa quoque universalissima ad omnium dolo-

Ep 1. ad Pammach.

dolorum ibi tolerandorum productionem concurrat, ita ut omnes internæ & externæ potentiæ, omnes sensus, anima, corpus, verbo, totus homo tantæ operationis efficaciæ subjaceat. Ignis igitur ibi omnium carnificium, omniúmque carnificum supplebit partes, quæ simul esse possent. Ille prunarum ardorem, pruinæ frigus, vermium arrisiones, funium contorsiones, ferri laniénas, verberum tempestates, compedes, catenas, rotas continebit, omniúmque vim adæquabit. Nec hoc tantùm; verùm licèt omnes damnati eodem igne torquendi sint, non ideò tamen æqualiter patientur; sed promeritorum suorum proportione plus minúsve. Non aliter ac viatores, qui licèt pari passu ejusdem Solis climate progrediantur, non ideò tamen omnes æqualiter inflammantur, sed secundùm naturæ suæ constitutionem. Quare ignis hic bene *Ignis rationalis* dictus est. Ignis prudens, sensatus plenúsque ratione. Quandoquidem non cæco modo, ut ignis noster operatur, qui Martyres & Malefactores affligit, sed prudenti operatur discretione, secundùm delicti puniendi qualitatem & quantitatem, verbo tanquam instrumentum ab artificis summi manu directum, & pro opere tam nobili támque speciali, quod est DEI Gloria, operatur. Unde secundùm artem, quam eì Omnipotens artificis sui brachium imprimit, plus quàm in se potest, producit, eósque judicii plenos operatur effectus, quales perfectione suâ non continet. *Si acuero, ut fulgur gladium meum, & arripuerit judicium manus mea, reddam ultionem hostibus meis, & his, qui oderunt me, retribuam.*

XIII. In hoc igitur igne ob naturam suam tremendo, & propter vim supernaturalem à DEO, tanquam furoris sui instrumento, ipsi additam, longè terribilissimo, in hoc igne, dico: miserabiles illi condemnati permanere debebunt. Ille ipsis erit pro domo, pro veste, pro suppellectile, pro societate, illorúmque corporibus tam strictè adhærebit, adeóque intimè animas illorum affliget, ut Damnatus ab igne, & ignis à damnato nunquam distingui possit; quemadmodum metallum in fornace liquefactum, nunquam à flammis liquefactricibus distingui potest, sed eadem res cum incendio suo esse putatur. Certus quidam Ordinis Cisterciensis Abbas, post mortem Abbati successori suo in lacrymas effusus apparuit: interrogatus, cur lachrymaretur? respondit, lacrymor, quia ardeo: Et quantopere ardes? subjunxit vivus. Explicari non potest, resumit mortuus, sed, si experientiam illius capere velis, tolle ab hac mensâ candelabrum æneum, illúdque in hanc pelvim aquâ plenam immerge, in quam manum meam poluero. Dictum factum, & ecce solo aquæ attactu instar ceræ metallum illud dissolutum est. Quid ergo facient delicati illi peccatores? qui in his flammis victuri sunt? *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante?* Bajulus, antequam onere humeros gravet,

gravet, prius illud è terra aliquantulum elevat, ut probet, an humeris suis portare valeat. Vos quoque prius experientiam capite, num tali oneri, ignis ponderi, & ponderi quidem immenso, sufferendo sitis. Si caro vestra tota ære facta esset, non tantùm tanto igni non resisteret, sed ad primam flammam destrueretur. Quid igitur illi fiet, quæ, tam molliter nutrita, tantis assueta deliciis, tantis & tam ineptis blanditiis, &
7. voluptatibus est fota? *Carnem tuam ne despexeris.* Si Animæ vestræ cura vos non tangit, cujus tam exiguam habetis notitiam, saltem miseri corporis vestri rationem habete, quod tantopere amâstis & æstimâstis, & dum adhuc tempus est, funestæ talium flammarum pœnæ subtrahite.

II.

XIV. Quod adhuc majorem mihi incutit horrorem, est illud, quod jam primo loco, quasi omnium miseriarum possibilium caput posuit Christus Dominus noster, DEI scilicet privari. *Qui incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira DEI manet super eum.* Hæc pœna tam brevibus comprehensa terminis, *non videbit vitam*, tam horrenda est pœna, inquit S. Joannes Chrysostomus, ut decem infernalium ignium millia eam non adæquent. *Decem mille quis ponat gehennas, nihil tale dicet, quale est à beata gloria excidere.* Considerate igitur Christum, dum ultimam contra Reprobos damnationis sententiam pronunciabit, aliquem immensæ pulchritudinis suæ fulgorem monstraturum, abstractámque, sed vivacissimam illius infiniti gaudii cognitionem impressurum, quo fruituri fuissent, si DEO in terris fideles permansissent: Quo posito, quemadmodum, qui vi à theatrorum spectaculis excluduntur, dum populi intra admissi applausus, acclamationes & lætitiam audire coguntur, verè scenarum illarum apparatum & decorem intuitivâ cognitione non capiunt, sed tantùm abstractivâ, ita, ut infra in plateis ob contemptum sui in furorem agantur, sic propter cognitionem, quam habebunt Reprobi immensi illius gaudii, cantuum & solatiorum, quod est videre DEUM, præ rabie insanient, eâque desperatione se ipsos dilaniabunt, qualem nos tam facilè concipere non possumus, cùm illius gloriæ nullam habeamus speciem. *Videntes turbabuntur timore horribili.* Sap. 5. 2. Henricus Comes de Berg Sylvæ Ducis munimentum hosti cesserat, eâ priùs, quam militares exigunt leges, resistentiâ & defensione non adhibitâ. Post loci illius deditionem in aulâ & præsentiâ Dominæ suæ Isabellæ tunc Belgii Gubernatricis comparens, videt hanc Principem velum capitis sui usque ad mediam faciem dimittere, nec verbum proferentem sibi tergum vertere. Quid putatis sensisse hunc belli Ducem? Tantum res ea non magna conturbavit virum, ut territus, portam quâ exiret, invenire non posset. Qualem igitur putatis illam miserorum Damnatorum futuram esse turbationem, quibus in scelerum suo-

ſuorum pœnam faciem ſuam DEUS in æternum abſcondet, faciem tam pulchram, cujus amore omnes cœleſtes rapiuntur Spiritus, ſemper contenti, & ſaturi, ſemperque eam intueri de-
1 Pet. 1. 12. ſiderantes! *in quem deſiderant Angeli proſpicere.*

XV. Hæc igitur pœna, quæ erit omnium pœnarum graviſſima, ipſiúsque Inferni Infernus, conſiſtit inviolentâ Animæ à ſummo bono ſeparatione, & ab omnium cordium centro, quod eſt DEUS, disjunctione propter illam Peccator omninò ab ipſo derelinquetur, quaſi non ampliùs ad Divinam pertineret Providentiam, neque tanquam Chriſtianus, neque tanquam
Oſe. 9. creatura. *Non populus meus vos, & ego non ero veſter.* Quodſi igitur omnis dolor à diviſione naſcitur, cogitate, qualis ille futurus ſit dolor, quem Anima damnata ſentiet, dum ab ultimo fine ſuo ſeparatur, ad quem omnibus viribus multò magis, quàm quodvis flumen ad mare trahitur? Os à juncturâ ſuâ ſeparatum, quæcunque ipſi fomenta circumponantur, quieſcere non poteſt, ideóque ſi etiam animæ damnatæ natarent in deliciis, ſola cogitatio ſe DEO privatas eſſe, eas redderet infelices. At quid erit eodem tempore DEO privari, omnibúsque malis repleri? Nunc quidem hanc pœnam parvi facimus, quia anima noſtra corpore oppreſſa non cognoſcit adhuc, quàm immenſum bonum pro ſe ſummum illud bonum contineat; Verùm ubi ſepatáta fuerit à gravi hoc onere, alia erit rei facies. Tunc enim majorem adhibebit conatum, ut illi conjungatur, quàm flamma conetur ad ſphæram ſuam, adeò ſublimem inveniendam. Quare ſupra hominum fidem violentior erit illa ſeparatio, quâ miſera à Principii ſui conjunctione detinetur. Et, quod plus eſt, innato & impreſſo huic deſiderio, quod in corde ipſius ad beatitudinem ſempiternam conſequendam ardebit, DEUS miraculoſam quamdam addet inclinationem, quâ hoc ipſum deſiderium magis inflammetur, trahatúrque ex unâ parte Anima ad illum, ut ex alterâ parte tantò violentiùs abſtrahatur, in inobedientiæ erga DEI legem ab eâdem exhibitæ pœnam.

XVI. An non ſaltem pro tantarum miſeriarum & ærumnarum conſolatione in hoc tormentorum loco mors aliqua finem adferet? Minimè verò. Mors, quæ ibi erit, immortalis erit, & illa ab omnibus bonis ſeparatio æternùm durabit, nec erit unquam malorum finis. *Et dixi: periit finis meus.* Th
Scorpio undique accenſorum carbo- 1
num coronâ cinctus, deſperabundus tantopere ſe ipſum mordet, ut intereat. At miſeri illi non tantùm circumdati, ſed ab igne intimè penetrati, eas non habebunt vires, ut miſerias ſuas terminare poſſint. *Non eſt illis* Sap
medicamentum exterminii. Reus, ſi 1
non quamprimum lictor reſte vitam abrumpat è furcâ pendenti, omnes ob mortem prolongatam ad commiſerationem movet Spectatores. Qualis autem erit illa miſeria ſemper mori & mori non poſſe unquam? *Quærent mortem, & non invenient.* Hoc ipſum verbis illis ſuprà citatis, myſteriorúm-

quæ

quæ plenis nobis Christus demonstrat: *Non videbit vitam, sed ira DEI manet super eum.* Infelicissimæ mansionis illius porta bonis grandibus clavibus ferreis obserata est: Nunquam scilicet, & Semper. *Non videbit vitam*, nunquam miseri damnati habebunt refrigerium: ecce primam clavem, *sed ira DEI manet super eum.* Ecce secundam. Et utramque hanc clavim pro majori securitate secum servabit DEUS, nec ulli alii confi-
c.1. det. *Et habeo claves Mortis & in-*
ferni. Ut inde nullus per omnia sæcula detur exitus.

XVII. Verùm quis nobis explicabit, quæ tormenta quatuor hæ syllabæ in se contineant, *Nunquam & Semper?* ex quibus horribilis illa componitur æternitas? Si damnatus
.14. aliquis, inquit Sanctus Antoninus,
§.5. tot mille annis in his pœnis deberet vivere, quot sunt arenæ maris & guttulæ, & deinde moreretur, talis mortis conditionem inter summa beneficia reputaret. Profectò si DEUS talem in Inferno vocem audiri permitteret, quæ Animabus illis denunciaret, eas post tot mille sæcula in pristinum suumredituros nihilum, talis denunciatio majori cum lætitiâ reciperetur à quacunque Animâ, quàm ab aliquo ad suspendium condemnato, si audiret se totius Mundi Monarcham factum esse. Sed tale nuntium sperare non licet, nunquam audietur. Quamdiu DEUS erit DEUS, semper miseriæ pergent esse miseriæ; ideóque quis animæ ingenti hoc pondere oppressæ desperationem satis poterit concipere?

XVIII. Duratio cujuscunque mali notabilissima est circumstantia ad æstimationem illius, aut deprimendam aut elevandam. Ustulatio ad tollendam gangrænam infirmo adhibita, leve æstimatur tormentum, quia non diu durat, & mox dolor cessat; at si integrâ septimanâ, aut mense, quis eo ferro uteretur, dolor foret intolerabilis. Quare hæc æternitatis additio ad damnatorum pœnas, pondus est immensum, cui necesse est, quodvis cooppressum succumbat. *Incurvati sunt* Hab. 3.
colles mundi ab itineribus æternitaatis 6.
ejus. Omnes Inferni pœnæ, si aliquando finirentur; essent malum aliquod, quod etiam contemni posset; at econtra solus etiam dentium dolor, si æternum duraret, malum esset immensum & inæstimabile, quod necessariò quemvis generosum animum terrere posset. Quare licet in Inferno non esset ampliùs, quàm unicum solum ex illâ malorum immensâ congerie, quibus cruciantur Damnati, hoc solum, inquam, si æternùm duraret, jam foret intolerabile. Quid igitur erit, si hoc ipsum cum omnibus aliis pœnis innumeris æternùm durabit?

XIX. Sed quid ego commemoro? Fingite hominem, qui in moli lecto per omnia sæcula jacere deberet. Talis situs infinita esset miseria. Quantum non passus est Propheta Ezechiel, quando trecentis nonaginta diebus in uno eodémque latere cubare debuit? cogitate igitur, quanta foret pœna, in hunc modum semper cubare, atque sic intelligetis, quid per se sola sit æternitas omnium molestiarum &

morborum cumulo conjuncta, ubi tantam pareret pœnam, quando etiam in molli & plumeo lecto quieſcere liceret. Hæc æternitas ſupra modum quamlibet augebit pœnam, imò dolore anticipato efficiet, ut Damnati ſentiant id, quod omnibus futuris ſæculis paſſuri ſunt. Fingite vobiſcum globum aliquem æneum vaſtiſſimum dari, qui ambitu ſuo totum univerſum adæquet. Quòd ſi ille ſupra planum quoddam poneretur, verum eſt, ab eo planum iſtud non ampliùs, quàm ab uno ſole ſphæræ ſuæ puncto tactum iri; attamen immenſo ſuo pondere illud aggravaret. Eodem modo Æternitas licèt damnatos non aliter, quàm ſolo præſenti tempore premat, quod eſt quaſi punctum aliquod, nihilominus ut eos graviſſimè affligat, tempus præſens, præteritum & futurum ſimul jungit, adeóque tota ſua immenſa mole illos opprimit, ut quovis momento agnoſcant vivaciſſimè, omnes pœnas, quas in hanc horam dederunt, nunquam finiendas eſſe, nunquam minuendas, aut aliquo ſolatio ſublevandas, nunquam, nunquam, nunquam.

XX. Attamen adhuc tam excæcati nonnulli reperiuntur Peccatores, qui inferni pœnas ſibi minitantibus frigidè reſpondent: *Patientia.* Vix muſicam, aut lepidam comœdiam, ſi integro die duraret, patienter audiretis, & quomodo ignem perpetuum unâ cùm deſperatione & afflictione interminabili ſufferre poteritis? Æternitas illa, quæ eſt pondus intolerabile, ſi continua illi adjuncta eſſet recreatio ejuſdem oblectationis, etiam adhuc omnium adverſitatum cumulo unita leve denique foret pondus. Bene apparet in hujuſmodi frivolis Chriſtianis mortuam eſſe Fidem. Ipſorum igitur patientia tunc erit linguam illam rabidè ammordere, quæ nunc tam ſtultè loquitur; Patientia ipſorum erit matrem & patrem à quibus geniti ſunt; diem, quo primum ſolem aſpexêre, maledictis proſcindere; Patientia illorum erit voluptates eas deteſtari, & propter quas cœlum aſpernati ſunt, Sanctóſque & Sanctas, qui nunc cœli delitiis fruuntur, DEUM, qui tam juſtè eos condemnavit. Hæc illorum erit patientia. *Congregabo ſuper eos mala*, omnia mala DEUS ſuper illos congregabit. *Super* dicit, *non contra.* Reprobi enim his malis non poterunt reſiſtere, ſed ſufferre tantùm debebunt, ſemper invicta & ſuperiora.

XXI. Pater egenus numeroſâ cinctus familiâ audiens filios ſuos lacrymabili voce panem, à ſe petere, panem Pater, panem cùm non habet, quem ipſis porrigat, furere incipit & tandem in has prorumpit voces, ſe non poſſe ampliùs patientiam habere cum illis. Cogitate jam, qualem Anima damnata habitura ſit patientiam, quæ in omnium bonorum penuria, & in malorum omnium congerie ab omnibus ſenſibus ſuis & potentiis oblectationem aliquam rogatur; at dare nihil poteſt, quàm tormenta. Oculi clamabunt, lucémque flagitabunt; verùm terrores, tenebras, & fumum ſemper intueri cogentur: DEUS enim

effi-

efficiet, ut pro supplicio illorum ignis
ardeat, sed non resplendeat. *Nonne*
lux impii extinguetur, nec splendebit
flamma ignis ejus? Aures petent sibi
Harmoniæ alicujus delectationem con-
cedi, sed non nisi gemitus, strido-
res, ululatus, blasphemias & male-
dictiones per omnia sæcula audituræ
18. sunt. *Ibi erit fletus & stridor dentium.*
Gustus pro ardentissima siti sua & fa-
me solatium desiderabit; at non dabi-
bitur modus, ne quidem cloacarum
immunditie eam restinguendi, sed
Draconum felle & aspidum spumâ
r. pascentur. *Fel Draconum vinum eo-*
3. *rum, & venenum aspidum insanabile.* O-
doratus bene olentes flagitabit suffi-
tus; at non habebit, nisi tam putri-
das exhalationes, támque tetros fæto-
res, qui uno solo halitu totam terram
4. inficere possent. *Et erit pro suavi odo-*
re fætor. Totum corpus vetitis pasci
voluptatibus assuetum, ab anima de-
lectationes, deliciásque flagitabit; sed
aliud præter horribiles flammas, om-
nes venas, viscera & juncturas, ossa
imò & medullas penetrantes, non in-
9. veniet. *Erit populus, quasi esca ignis.*
Medici non consentiunt, humanum
corpus uno eodémque tempore ab
omnibus morbis affligi posse, quorum
aliàs capax esset; cùm enim plures
illorum unus alteri qualitatibus suis
sint contrarii, in uno eodémque sub-
jecto, eodémque tempore se invicem
non compatiuntur. Verùm hæc opi-
nio non valet in Inferno, ubi pœnæ,
licèt diversæ, sibi invicem non erunt
contrariæ, sed altera alteram augebit,
duobúsque ex venenis non compo-
netur antidotum, sed toxicum magis
lethiferum conflabitur. *Ignis vale-* Sap. 19.
bat in aqua supra suam virtutem, & 19.
aqua extinguentis natura oblivisceba-
tur. Sed adhuc ampliùs vocem su-
am internæ animæ potentiæ extollent,
desiderantes aliquam oblectationem,
quamdam refocillationem, quam ta-
men aliam præter dolores non obti-
nebunt. Memoria bonorum in ter-
ris receptorum recordari volet, sed
meminisse non poterit unquam, pœ-
na enim præsens omne extinguet
vestigium. *Malitia horæ oblivionem* Eccl. 11.
facit malitiæ magnæ. Quemadmo- 28.
dum misera vidua, postquam multis
annis in bonâ societate cum marito
vixit, quamprimum illo orbatur, vix
præteritæ vitæ recordatur dulcedi-
nem, quin amaris eam deploret la-
crymis. Intellectus, qui veritate
rerum delectatur, etiam novam ali-
quam desiderabit cognitionem, quâ
aliquando recreetur; at nihil aliud
obtinebit, quàm scire se damnatum
esse, sententiámque contra se in ex-
tremo die judicii latam immortali
immutabilissimi decreti Divini Ada-
manti incisam ante se aspicere. Intel-
lectûs igitur solatium erit, à scientiæ
verme perpetuò rodi, à quo sem-
per tribus his dentibus mordebitur,
factam esse immensi boni jacturam,
mali immensi accessisse incrementum;
denique talem jacturam, talémque
acquisitionem, suâ culpâ factam,
nullatenus reparari posse. *Vermis* Isa. 66.
eorum non morietur. Verùm supra 24.
omnes potentias infelicissima volun-
tas semper id flagitabit, quod assequi
non

non poterit, sempérque odio prosequetur, quod evitare non licebit. Odio ipsi erunt Socii damnati ob pœnæ augmentum, à tam malis vicinis proveniens, & ne quidem in miseriis suis consolari se poterit, dum eas, quasi triumphalem Divinæ Justitiæ adeò contemptæ effectum intueri cogitur. Odio ipsi erit intellectus, quia coloribus à veritate tam alienis Infernum sibi depinxerat, & quia nunc continuò sui ipsius imaginem tam deformem ante oculos gerit, & velut turpis fæmina, speculum, in quo deformitatem suam aspicere cogitur, ferre non poterit, nec tamen diffringere licebit. Odio erit sibi ipsimet, displicebitque, quòd tantopere ad
Abul. in Matth. c. 25. q. 561. DEUM anhelet pro naturæ, quem experitur, instinctu; nec tolerare possit, cogi se, ad desiderandum bonum illud, eique inhiandum, quod assequi non valet, & quo nunquan vel minimam refrigerii guttam impetrare poterit. Denique, quod omnis desperationis, augebit cumulum, erit, quòd cognoscat tam insignem gloriam à se in flammis illis velut victimâ fumante DEO accedere, quæ morte suâ immortali illius, à quo affligitur, supremam Majestatem contestetur.
Psal. 77. Apoc. 14. 11. *Et fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum.* Verbo damnati erunt, quasi vasa plena Iræ! *Vasa Iræ,* quæ à Divinâ Justitiâ pluribus implebuntur miseriis, quàm naturaliter capere possint, & sicut Propheta loquitur: pœnarum mare in utero claudet, hoc est, in infelicis creaturæ sinum coarctabit.

XXII. Atque hoc est Infernus; aut, ut meliùs dicam, nihil ex his omnibus est Infernus; malorum infinities majorem abyssus est, quàm lingua exprimere, aut intellectus imaginari sibi possit. Pœnæ siquidem illæ sunt ordinis superioris, imò, ordinis omnino quasi Divini pœnæ; DEUS enim, in quovis damnato eas constituit velut perditionis eorum objectum & dolorum, quos patiuntur, principium: *Clamabo ad te & non exaudis me: sto & non respicis me: mutatus es mihi in crudelem, & in duritiâ manus tuæ adversaris mihi.* Job Ecce quàm hîc prædico veritatem ore S. Jobi ad vivum expressam. Quare quemadmodum DEUS non est bonum aliquod limitatum, quod exiguâ nostrâ capacitate comprehendere possimus, sed bonum tale quod illam infinities transcendit, sic Infernus non est malum illis limitatum terminis, quos ei constituere possimus; sed malum est, quamcunque cogitationum nostrarum apprehensionem in immensum transcendens: non est aliqua paupertatis, confusionis, tœdii, tristitiæ, furoris, famis, frigoris, tenebrarum, fœtoris, vinculorum, desperationis aggregatio, quam dum sic loquimur, intelligimus, sed miseria est, absque comparatione major, id est, ordinis supernaturalis miseria, cujus in terris imago abumbrari non potest. *Veni & ostendam tibi damnationem meretricis magnæ,* dicebat S. Ap. 17. Joanni Angelus, id est, veni & ostendam tibi damnationem Animæ, quæ peccando fidem fregit DEO. Sed

quare

quare dicit veni, quærit Robertus, nisi, ut significet, quòd ad intelligendas Animæ damnatæ pœnas, homo supra se ipsum se elevare debeat: tantùm se elevare necesse est, quantum dictæ pœnæ consuetum intelligendi modum nostrum superant, quæ est elevatio fine carens. Quare perpendite obsecro, qualis miseria sit Infernus, si, dum malum ex omni possibilium malorum genere conflatum, sine mixturâ ullius vel minimi in æternum boni, dicitur, etiam totum hoc dicendo tamen adhuc parum dicitur.

III.

XXIII. Quare, si quis hunc tormentorum locum, hanc omnium morborum combinationem, hoc omnium miseriarum centrum, hoc inquam, barathrum, quod Infernus nominatur, aptiori modo definire vellet, quomodo appellare deberet? Scholam publicam nominare deberet, in qua immortalibus pœnarum characteribus Divina Sapientia immensitatem mali illius, quod in se continet peccatum, explicat. Quot sunt in inferno damnati, tot quoque sunt evidentes hujus tam ingentis mali demonstrationes. Ad quod capiendum sufficit, Fidem habere.

XXIV. Primò, si peccatum nullius esset momenti, quale illud sibi Peccatores depingunt, malum jocosum, ad animi sui magnitudinem ostendendam, malum, cui applaudi debeat, malum, unde gloriam acquirant, creditisne vos, à DEO in Inferno tantis tormentis peccatum punitum iri? Profectò DEUS ipsamet est Sapientia, quare non potest majori pœnâ peccatum dignum judicare, quàm in veritate ei debeatur. Ex alterâ parte DEUS summa Bonitas est, summa Benignitas, & summa Misericordia, ideóque in puniendo semper infra meritum castigat; *Citra condignum*, ita, ut sic loquendo, æternæ illius calamitatis excessus, de quo huc usque verba feci, ne quidem sufficiens esset supplicium, quàm peccator unicâ in DEUM offensâ mortali meretur; & reum tali modo tractare, qui vobis tam crudelis támque formidabilis videtur, est adhuc uti clementiæ terminis, quemadmodum fatetur Psalmista, quando de DEO loquitur, *non continebit in irâ suâ misericordias suas.* Non dixit, quòd *continebit ab irâ*, Misericordia enim non facit, ut pœna eodem modo non cruciet damnatos, sed dixit, *non continebit in irâ*, quia cùm statuta sit pœna, Misericordia efficit, ut non sit tota illa, quam merentur. *Non dicit ab irâ, sed in irâ*, (talis est Sancti Thomæ interpretatio) *quia non totaliter pœna tolletur, sed, ipsâ pœnâ durante, Misericordia operabitur eam diminuendo.* Non diminuendo quidem eam, qualis fuit in primo suo instanti; sed saltem negativè eam diminuit, scilicet qualis esse deberet. Intellexistis hæc omnia? Charissimi an nondum apprehenditis, quid rei sit maledictum hoc peccatum? an non capitis? Ecce quantum possit, ut etiam DEUM tam misericordem ad iram provocet: fel adhibere, quodcunque lubet, nunquam tamen efficietis, ut in aquam ma-

S. Thom. supp. q. 95. ar. 4. ad 1.

S. Thom. 4. dist. 46. q. 1. ar. 3.


manantem, amaritudinem, quæ semper inhæreat, inducatis. At ecce quid non efficiat peccatum, tantum potest, ut incessabilem illam dulcedinis ex Divino corde scaturientis venam amaram reddat, & quidem per totam æternitatem. Hinc est, quòd DEUS licèt ab amabilissimo throno suo etiam vilissimorum terræ vermiculorum, vesparum & viperarum, quin etiam Draconum non desinat recordari, peccatoris tamen quamvìs nobilissimo Sanguinis sui pretio comparati, ampliùs curam non habet, sed in æternum miseriis suis immersum relinquit, & hoc ipso suo rigore protestatur, se adhuc misericordiam illi exhibere, dum secundùm demerita, peccata ipsius non punit. Quàm malignum igitur fel necesse est esse quodvis peccatum mortale! quàm atrox absynthium, quàm abominabile arsenicum! *Pereat Samaria,*
Is. 41. *quoniam ad amaritudinem concitavit DEUM suum.* Pereat miserrimè in æternum scelerata illa anima, quæ iniquitate sua obstinatè Divinæ Misericordiæ dulcedinem conata est superare.

XXV. Præterea id, quod maximè horrendum est in inferno, est, quòd damnatis moralis quædam semper peccandi necessitas conjuncta sit, unde peccatum ipsius inferni infernus, & abyssi illius profundum dici potest.
Psal. 85. 13. *Eruisti animam meam ex inferno inferiori.* Quod si ita est, peccatum igitur ex hoc ipso capite inferno atrocius est & horribilius, si Infernum velut ab ipso peccato distinctum consideremus. Quia viperam propter virus suum tantopere fugimus, magis venenum, quàm vipera, fugiendum erit, quod viperam ipsam odiosam reddit. Quare eodem modo, si propter peccatum tam horrendus est Infernus, necesse est, peccatum quoque magis horrendum esse, quàm Infernum. Et in veritate, si peccatum non esset, malum ipso Inferno pejus, DEUS non uteretur Inferno ad corrigendum peccati malum. Aliàs enim inquit Sanctus Thomas, DEUS non foret prudens Medicus, qui minus malum medicinâ ipso malo pejore curare vellet. Quare quando DEI misericordiæ confisi ob eam ipsam nullum magis offendere audetis, dicentes intra vos; *DEUS bonus est, non condemnabit nos:* videte quàm longè à vero recedatis; Quod si enim DEUS totâ misericordiâ suâ permittit tam grande malum vos committere, ut summum bonum offendatis; cur non permittat, ut malum minus vos toleretis, id est, ut damnemini, postquam illum tantopere offendistis? Malum est, sed vestrum; bonum autem DEI, quia perditam restaurat gloriam, ipsiúsque providentiæ regimen, ùt dixi, in ordinem suum reponit.

XXVI. Heu! Charissimi, non est tempus ampliùs tam insanè loquendi. Nimis grandia sunt mala, quæ nobis imminent, si, ùt faciunt increduli, nimis iratam DEI Justitiam non placaverimus. *Qui incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira DEI manet super eum.* Jam ignis innumerabilibus culpis nostris accensus est, non est tem-

tempus lignis ligna per excessus adhuc graviores addendi, imò tempus est, verissimis sinceræ Confessionis lacrymis illum extinguendi, lacrymis Christi Sanguine animatis, quem tantæ damnationis à nobis promeritæ miseriæ compatens omnem effudit, ut ardores illos sempiternos in se credentibus extingueret, in quibus tantus humanæ generationis numerus ardebit. Videbatur Prophetæ res magnæ admirationis coram irato DEO jam tonantis. Imò fulminantis vultu peccavisse. *Ecce tu iratus es, & peccavimus.* Quanta majori admiratione igitur digna res erit, non solùm in facie DEI irati nos peccavisse, sed de novo peccare? *Ecce tu iratus es, & peccavimus.* Quis imposterum in tantarum flammarum, quæ peccantibus præparatæ sunt, conspectu tam protervus erit, ut DEUM offendere audeat? Ego non dico, talem condemnatum esse, sed ajo, jam hac horâ condemnatum esse: *jam judicatus est.* Ideóque miser, *non videbit vitam, sed ira DEI manet super eum.* Non solùm *manebit*, sed jam *manet*; Hæc enim credere, & tamen peccare, delictum est, quod pro evidentiâ suâ non aliam declarationem, aut probationem requirit, per se enim monstrat, quàm grave sit. Certum saltem est, ex hoc ipso capite Sanctum Thomam judicare, peccatum aliquod furti, fornicationis, odii, aut aliud quodcunque à Christiano commissum, & ab Infideli, si aliæ circumstantiæ fuerint pares, gravius esse in Christiano; cùm Christianus non horreat, tale committere peccatum, licèt infernum credat. *Fidelis ex hoc ipso gravius videtur peccare, quod majores pœnas contemnit, ut impleat voluntatem peccati.* O quàm monstrosa est malitia propter momentaneam voluptatem pœnam sensûs, & pœnam damni, pœnam, quæ finem non habitura est, contemnere! Hoc ipsum ergo erit, unde Fideles graviores Inferni experturi sunt pœnas, ùt qui Infernum, ejúsque pœnas contempserunt.

S. Thom. 1. 2. q. 73. ar. 3. in c.



DISCURSUS XIX.

De Magnitudine Bonorum cœlestium, ex quâ Peccati mortalis gravitas colligitur.

I. INter omnes miserias, quæ in pœnam mortis Christo illatæ, infelicem illum Hebræorum populum, qui eum interficere ausus est, oppresſêre, profectò non ultimum, lex quædam ab Imperatore Hadriano contra eosdem promulgata locum sibi vendicat. Quandoquidem postquam jam totam Palæstinam furore suo devastârat, ut omnem Judæis spem, desolatam Rempublicam suam è ruina

Baron. Anno 137.

erigendi auferret, ſolenni edicto cuivis illorum prohibuit, non ſolùm Hieroſolymam ire, ſed ne quidem ab editiore loco reſpicere; unde eam videre poſſet. De juſtitiâ legis tam inſolitæ ego non auſim diſputare. Solùm dico Diabolum eodem prorſus modo agere cum peccatoribus. Patriâ jam tum illis ablatâ, quæ eſt cœleſtis gloria, non ſolùm prohibet, quandoque ſuffragantibus bonis operibus illam adire, ſed etiam ne quidem è longinquo, attentâ aliquâ conſideratione, aut ſolidâ cognitione, fidéque magis vivâ intueri. Quare in deſpectum hoſtis noſtri, hodie quò propinquiùs potero, hujus Sanctæ Civitatis gloriam vobis oſtendam, de quâ quidquid dici poteſt, ſemper vero infinities minus eſt. Proinde ſpero vos non tantùm intellecturos, quanta ſit illa felicitas, quæ nos exſpectat in cœlis, ſed etiam quantum malum ſit peccatum, quod dictâ felicitate nos privat, dum rebus tantùm terrenis nos implicat.

I.

II. Tria valde ſapienter conſiderant Theologi, quibus cœleſtem beatitudinem nobis explicant. Primum eſt objectum hujus beatitudinis; ſecundum eſt potentia, quæ gaudet beatitudine; tertium eſt modus, quo objectum potentiæ beatificandæ applicatur. Horum igitur etiam ſequar veſtigia, ne à viâ aberrem. Conſideremus imprimis felicitatis noſtræ objectum, quod erit
Gen. 14. 1. ipſemet DEUS. *Ego ſum merces tua magna nimis.* Eodem ipſo bono beabimur, quo ipſe DEUS beatus eſt, ad S.T. 2. 5 art.
eandem cum ipſo ſedebimus menſam, eodémque veſcemur cibo, quo ipſe veſcitur. *Diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi* Luc. 2
Pater; ut edatis & bibatis ſuper menſam in regno meo. Tantum quidem non erit gaudium, quantum eſt ipſius DEI; ſed eodem ipſo gaudebunt objecto, quo DEUS ipſe infinitè beatus eſt. Quemadmodum teneriores filioli Principes, dum S.T. p. 9 art.
aſſidentes menſæ unâ cum Rege Patre, licèt minùs comedant, nihilominus iisdem veſcuntur ferculis. O ſublimiſſimam igitur Fidem Chriſtianam, quæ tam immenſa nobis bona manifeſtat! O feliciſſimam ſpem, quæ talia nos jubet exſpectare! O fortiſſimam charitatem, quæ ad illa promerenda nos animat! Quid ampliùs dici poteſt ad immenſam Cœleſti Patriæ Beatitudinem nobis ſignificandam, quàm dicere Animam noſtram, cùm hic vitam Divinæ ſimilem vixerit, eâdem ipsâ voluptate adimplendam, quâ ipſamet Sanctiſſima Trinitas ſatiatur? *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Pſ. 3
In qua re ab æterno ſe DEUS occupavit? occupatus fuit ſe ipſum contemplando, gaudendo de ſeipſo, ſeipſum amando, ſibi ipſi ſatisfaciendo, de ſe ipſo vivendo. Hic ergo DEUS, qui per omnem æternitatem immenſæ Divinæ mentis ſuæ capacitati ſatisfacere potuit, cogitate, quàm infinitè plenus ſit & ſuperabundans ad mentes noſtras omni felicitate replendas! Divinitas pelagus eſt adeò profundum, ut ſi per partes Beatis vellet infinitas ſuas manifeſtare per-

perfectiones, posset eos per omnem æternitatis succedivæ longitudinem novo semper admirationis, nunquam visæ, recreare spectaculo, illisque quovis momento novam pulchritudinem, quasi Mundos novos ostendere. At quàm admirandum hoc erit spectaculum, omnia videre simul, támque illimitatam & indeficientem omnium bonorum possibilium abyssum semper possidere? quis vel minimam hujus felicitatis partem potest intelligere? Quis cum dignitate de eâ loquetur? Cogitate, Charissimi, quidquid conati fuerimus, nihil de cœlo nos capturos; nihil, nihil repeto, nihil, nihil; capiemus. Et quod hoc ita sit, hunc quem propono casum, vobiscum fingite.

III. Infans, Magni Monarchæ filius, adhuc hæret in utero Reginæ Matris. Fingite igitur Matrem, quasi illum intra se jam rationis compotem & aptum ad secum colloquendum crederet, quodam die datâ operâ exhortari, tandem angustias, in quibus latet, libens deferat, his eum compellans verbis: Agedum fili, agedum. Hinc non multo post tempore ab angusto sinu ad tam vastum transibis Mundum, qui tot & tot millionum vicibus tibi notam, in quâ moraris, habitationem superabit. Nunc in arctissimo teneris carcere; in quo pro arbitrio te movere non vales, es sine lumine, non cognoscis consanguineos tuos, imò ne quidem ipsum Regem Patrem tuum. At paulò pòst lætaberis splendore diei, cœlum aspicies tam pulchrum, ut quivis intuens illius capiatur amore, Solem luminosissimum, montes & maria. Videbis florentes campos, prata, videbis & civitates, &, quod ampliùs est, omnium illorum potieris imperio. Jam solus es, nec societate hominum gaudes, nec amicitiâ, nec famulorum obsequiis. Brevi in comitatu tuo habebis Principes cognatos tuos, pro subditis tuis Gentes habebis innumeras; virósque illustres, militiæ Duces expertissimos, factísque celeberrimos, & pro corporis tui custodiâ paratissimi stabunt exercitus, etiam pro incolumitate tuâ ad sanguinem suum profundendum promptissimi. Te exspectant Symphoniæ Musicæ, Venationes, convivia, theatra, Palæstræ, Horti, magnifica Palatia, certóque tibi persuadeas, unam horam melioris illius vitæ, qua in lucem natus frueris, plus habituram voluptatis, quàm centum anni laboriosæ istius delectationis, quam tibi præbet uterus meus. Si Mater ita discurreret, an putatis infantulum hunc sermonem apprehensurum? totam hanc matris adhortationem putaret esse somnium, Mundum existimaret utero nonnihil ampliorem, cœlúmque habitationem esse sinu materno vastiorem, nec non totam naturam mulierem, esse Matre suâ aliquantò majorem, à quâ ad nascendum tantopere excitatur. Ideóque licèt maternis persuasionibus fidem adhiberet, nihilominus, difficile ipsi videretur, trepidarétque vel pedem ad derelinquendum tenebrosum suum carcerem movere, plangeret, se, ut ut vilia, quibus cingitur

debere abjicere involucra, diémque, quo ad vitam nasceretur; mortem appellaret. Verùm non tantopere simplex hic puerulus suis deciperetur apprehensionibus, quantopere à nostris decipimur tunc, quando Sancta Ecclesia amantissima Mater nostra cœlestis gloriæ magnitudinem nobis manifestat, cordibúsque nostris edicit, Mundum hunc arctissimum esse carcerem in comparatione Cœli, ubi est Patria nostra; ibi nos DEUM Patrem nostrum cognituros, ibi nos cum fratribus nostris, Angelis nimirum, Patriarchis, Prophetis, Martyribus, omnibúsque Electorum ibi regnantium choris acturos. Omnes creaturas nobis obsequium præstituras, illo Sole gavisuros, qui nunquam occidit; talem habituros Dominum, qui prævalet omnibus, & est omnia; &, ut verbo dicam, æternùm beatos fore. Cunctæ hæ veritates tam parum apprehenduntur, ut plurimi Christianorum, si perpetuò in hac lacrymarum valle manere possent, hoc est, in utero tam tenebroso & fæculento, nunquam ad speratum in altero Mundo gloriæ splendorem emigrare desiderarent. Et quamvis, imminente jam horâ partûs, antequam cogantur deferere habitationem, non sine lacrymis eam derelinquunt; ingentem putant se facere jacturam paucis illis pannis, quibus involvuntur, se exuere, mortémque appellant illum diem, quo ad vitam immortalem nasciturі sunt. O quantum igitur à fallacibus nostris decipimur sensibus! age dum excutiamus tam durum servitutis jugum, & saltem in ignorantiâ nostrâ pro indubitato teneamus, infinities majorem esse distantiam inter Cœlum & hunc Mundum, quàm inter eundem Mundum & matris uterum; ita ut quot partibus sinus maternus, locus generationis nostræ, amplitudine, pulchritudine & deliciis superatur à Mundo, tot, imò infinitis partibus hoc universum amplitudine, pulchritudine & deliciis à cœlo superatur.

IV. Et hic est primarius finis, propter quem tot visibilibus bonis DEUS terram locupletavit, ut illis, quasi scalis in invisibilium bonorum, supra Stellas nobis asservatorum, cognitionem deveniremus. Sic olim Antiquus Josephus (si Hebræorum traditioni fides adhibenda est) ut populum in illâ annonæ difficultate ad coëmendum frumentum à se collectum invitaret; magnam palearum copiam in Nilum projici jussit, ut secundo descendens fluvio testis esset & nuntius abundantiæ in granatiis pro salute publicâ reconditæ. Nisi fortè ideo tantis de cœlo nos DEUS bonis cumulat, ut intelligamus omnia illa non esse aliud, quàm parum paleæ, cibum vitæ animalis & abjectæ proprium, in comparatione electissimi illius cibi, qui pro nobis tanquam cibus animabus immortalibus & deificatis proportionatus asservatur. Quamobrem si tam avidè hominum corda his inhiant paleis, veri voluptate vacuis, & si tanti earum faciunt possessionem, quale erit gaudium, si tandem ipsius DEI possessione lætaturi sumus? Profectò nulli rei operam suam

ſuam meliùs impendere poſſunt homines, quàm dum cognoſcendæ cœleſtis gloriæ magnitudini ſtuderent. Quam aliam utilitatem attulit ſordidus ille decies mille librarum, juſſu Heliogabili collectarum, ex telis aranearum mons, quàm ut antiquæ Romæ vaſtitas inde colligeretur? Eodem modo omnia bona creata cum omni ſuâ vanitate, ſatis vera & utilia nobis acciderent, ſi illis ad illuſtrandam mentem noſtram ita uteremur, ut ex illis Magnificentiam, Majeſtatem, & cœleſtis illius civitatis, quæ eſt tota plena DEO, Magnitudinem colligeremus.

II.

V. Tranſeamus nunc ab objecti beatificantis nobilitate ad potentiarum beatificarum præſtantiam. Ut magis vulgaribus loquamur terminis, immenſæ felicitatis hujus, quam ſperamus, ſubjectum erit cor humanum, id eſt, intellectus & voluntas noſtra, qui ſemper ſimul omni delectationis plenitudine fruentur. Quare cordis hujus amplitudinem conſiderate, ut immenſi illius boni copiam comprehendere poſſitis, quo in æternum ſatiabitur. Si cordis humani vaſtitatem ſinui maris compararem, non abſurda eſſet comparatio, ſed nimis parca. Quandoquidem, licèt verum ſit, mare non repleri fluminibus, quotquot in illud effunduntur; hoc tamen ideo fit, quia quantacunque aqua per publicas ſupra terram vias in ſinum ejus diffunditur, tantundem quoque per occultos meatus ad eandem terram fœcundandam effluit. Sed poſito, quòd tota aqua ibi remaneret, quæ continuò in idem influit, adeò confeſtim mare creſceret, ut non ſolùm littora excederet, ſed etiam denique terras longè diſſitas, ipsóſque montes inundaret. At non ſic ſe habet cor humanum. Coacervate omnes ſimul honores, omnes divitias, omnes voluptates; omnes principatus, omnes Monarchias, omnes ſcientias, & ut paucis abſolvam, omnia bona creata, eáque cordis humani ſinui injicite, nunquam illud implebitur, nunquam contentum erit, ſemper ſupererit aliquid, *S. Th.* 1.
quod deſideret. Imò ſi millies & 2. *q.* 2.
millies idem factitaretis, millies ta- *ar.* 8.
men, & millies factitare idem debetis. Si denique verum eſſet, innumerabiles illos montes dari, quos ſomniavit Alexander, totúmque illorum Dominium cuidam cordi includeretis, nunquam tamen illud ſatiaretur; in mediâ abundantiâ, quam poſſideret, inopiam quereretur, fateretúrque tantam omnium rerum copiâ famem non ſedari, ſed magis magíſque irritari. O Immenſam igitur cordis humani, mole tam parvi, cupiditatibus nihilominus tam vaſti, amplitudinem: quod ſenſibilius poteſt adferri argumentum pro homine, qui cœleſtis beatitudinis magnitudinem non poteſt apprehendere, quàm cùm audit ſinum cordis noſtri, quamvis non definiatur littoribus, fundóque careat, perfectiſſimè replendum eſſet: *Satiabor, cùm apparuerit* *Pſ.* 16.
gloria tua. Vacuum, quod à ſigillo in 17.
cerâ relinquitur, quamprimùm repletur, ubi de novo eidem ceræ ſigillum

applicatur. Eodem modo immensa illa animæ nostræ capacitas, quam DEUS tanti boni, essentiæ scilicet Divinæ capacem creavit, quamprimùm replebitur, ubi totum illud bonum, hoc est, essentia Divina illi proximè applicabitur.

S. Th. 1. 2. q 3. Art. 8.

VI. Attamen huculque parum dixi. Si non alia capacitas, quàm ea, quam nunc secundùm naturam suam habet cor nostrum, à DEO implenda esset, non in omni abundantiâ illud repleret. Quare ut infinities sit liberalior, de novo Animæ vires in cœlo auget, dum lumine gloriæ mentem confortat, illiúsque sinum tali modo extendit, ut, quæ propriæ ipsius DEI est, beatitudinis fiat capax. *Ut gaudium meum in vobis sit, & gaudium vestrum impleatur.* Jam velim, edisserat mihi aliquis, qui novit, quàm plena futura sit illa felicitas, quæ non uno aut duobus diebus, sed per omnem æternitatis durationem, animam beabit, tam propter naturalem perfectionem suam, quàm per illam accessionem, quâ cor dilatat, adeò capacem, ut ipsummet DEI gaudium percipiat. In hoc omnium bonorum Oceano jam felices illæ natant Animæ, quæ mandatorum Divinorum observatione, ut illuc admitterentur, se disposuerunt, ibique semper manent saturæ, sempérque sitibundæ, conchyliorum instar, quæ aperto cœlum versùs sinu, unde pascuntur, semper magis ad preciosum illum suspirant rorem, quo jam tum sunt repleta.

S. Th. 1. p. q. 12. Ar. 5.

Joan. 15. 11.

VII. Denique illud, ex quo præ omnibus aliis cælestis liceret agnoscere beatitudinis magnitudinem, est modus, quo DEUS possidetur. Non enim ad magnum gaudium concipiendum sufficit, grande esse objectum, nobilémque esse potentiam; sed insuper necesse est, ut illa ipsa potentia strictissimè cum bono amato, hoc est, cum ipsomet objecto uniatur. Ut me omnes intelligant, exemplo rem distinctiùs explicabo. Quid est, quòd homo sitibundus in æstate majorem hauriat delectationem ex aquæ gelidæ potu, cujus quasi saporem augent, nunc cedrorum, nunc cinamomi aspectus, quam delectationem non haberet, si jam melancholiâ gravatus; verno tempore florentissimi etiam prati intuitu frueretur? Aliàs enim sensus visûs, gustu multo est nobilior, & consequenter naturâ suâ capacior est voluptatis. At nihilominus, quia potus frigidus immediatè unitur palato, tam pulchra autem prati facies non immediatè jungitur oculo, sed per imaginem sui in oculo depictam unitur, ideò palati delectatio multò est vehementior, quàm voluptas pupillarum. Nunc ad intentum nostrum, quid putatis esse, in cœlo DEUM videre? Nos cum audimus tam magnum nobis promitti bonum, hanc DEI visionem cum proportione rerum aliarum hîc conspectarum apprehendimus, sicut est artificiosæ alicujus picturæ, cœli siderei, aliarúmque rerum amœnarum aspectus, ideóque parum apprehendimus. Verùm

Cha-

Chariſſimi, non eſt ita, non eſt ita.
1. Non videbimus DEUM mediante aliquâ ſpecie creatâ, at in ſe videbimus, quod idem eſt, ac dicere: Ipſa Divina eſſentia immediatè menti noſtræ unita (quæ à lumine gloriæ eo modo confortabitur) erit inſtar ſpeciei intellectualis, ita ut DEUM eodem prorſus modo cognoſcamus, quo DEUS cognoſcit ſeipſum. Atque ità DEUM in cœlis videre quid eſt? eſt tam arctè unitum eſſe DEO, quàm intimè ignis ferro candenti unitus eſt, ita ut nec anima à DEO, nec DEUS ab animâ diſcernatur, ſicut ad primum aſpectum nec ignis à ferro, nec ferrum
3. ab igne diſtinguitur. *Similes ei erimus*, inquit Sanctus Joannes, *quia videbimus eum ſicut eſt.* Vult dicere, DEUM poſſidendum pleniùs, quàm Anima quidquam ſui poſſidere poſſit; vult dicere, immediatum fore illud in DEO gaudium, ita ut nihil aliud inter illum & animam ponatur, quemadmodum infans uberibus matris adhærens, immediatè ſugit lac, non per medium, quod intercedat, aut canalem. Quamobrem ſi tam vile bonum, quale eſt potus gelidus, ſenſum materialem, ut eſt palatum, ideò ſolùm tantâ afficit delectatione; quia immediatè illi unitur; quam creabit delectationem bonum infinitum immediatè animæ deificatæ unitum, & velut forma ſuæ materiæ conjunctum?
Eſſentia Divina, inquit Sanctus Thomas, *ſe habebit ad intellectum ſicut forma ad materiam*, non eo quidem modo, ut unum quiddam conſtituat in ratione eſſentiæ, ſed unum quid in ratione intelligendi. Hinc eſt (quemadmodum concedit Sanctus Thomas) quòd unio Animæ cum corpore poſſit aliquam illius Beatæ Viſionis dare ſimilitudinem, quâ DEUS, cùm apertè in Cœlo ſe videndum præbet, Animæ arctiſſimè jungitur. *Dùm Divina eſſentia ſit actus purus, poterit eſſe forma, quâ intellectus intelligit, & hæc erit viſio beatificans, & ideo dicit Magiſter, quòd unio ad corpus eſt quoddam exemplum beatæ unionis, qua ſpiritus unitur DEO.* S Thom. eod art. inc. ſub. fin. 1. ſent. diſtinct. 2.
Si tantum bonum à nobis concipi non poteſt, quomodo putatis id explicari poſſe? Ut ſaltem aliquid de tam immenſo gaudio nobis indicaret Propheta, quo videntes DEUM fruuntur Beati in cœlo, utitur voce ebrietatis. *Inebriabuntur ab ubertate Domûs tuæ.* Pſ. 35. 9.
Quo vult ſignificare, quemadmodum ebrius eo tempore non vivit hominis vitam, dum ratione non utitur, ita Beatus humanam non vivet vitam, ſed Divinam, dum & ipſe quaſi extra ſe vadit, modóque admirabili totus in DEUM transformatur, adeò gloriâ undique replebitur.

VIII. Et hæc eſt feliciſſima illa perditio; de quâ loquitur Sanctus Auguſtinus, ubi dicit, Animam in ſeipsâ ſe perdituram, ut tota in DEO inveniatur. *Cùm accepta fuerit illa ineffabilis lætitia, perit quodammodo, & fit Divina.* In Pſ. 13. Ita ut mirum non ſit, DEUM dixiſſe, Animam à ſe tractandam quaſi Deam, & tantùm non ut ſibi æqualem: audite incredibilis dignationis verba: *Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo*, quod eſt idem ac dicere, pro remuneratione ſuâ à DEO, Apoc. 3. 21.

tam

tam magnificè tractabitur, quàm magnificè, si DEUS esset, tractari deberet: ad omnium bonorum increatorum gaudium admitteretur, Divinis illustrabitur pulchritudinibus, Divinâ induetur Sanctitate, Divinâ dotabitur Sapientiâ, Divinæ immergetur felicitati, Deóque amicitiâ tam singulari & unitâ conjungetur, ut DEUS & Anima una sola res esse videantur. Proinde DEUS animæ felicitate, quasi sibi propriâ lætatur, ideóque ab omnibus cælestis aulæ suæ spiritibus, sibi applaudi postulat. *Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat*; Anima quoque vicissim contrà magis lætabitur bonis DEI, quàm illis ipsis, quæ sibi propria habet. Sed adhuc parùm dixi, dicendo Animam à DEO, quasi sibi parem tractandam esse; dicere debebam, Animam insuper, quasi ipsius DEI esset anima, inexplicabili benignitatis modo fovendam esse. Tam mirabiliter Christus ipse loquitur in Evangelio suo: *Præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.* Quibus significat Patrem suum cœlestem, quasi Dominum amabilissimum, succinctis vestibus fidelibus servis suis convivantibus serviturum, Deitatémque non solùm infinitâ demissione cunctis Animæ beatificatæ desideriis satisfacturam, sed quod ampliùs est, quasi inferiorem cum illâ acturam; quia tali modo Beatis se possidendam tradit, quali nullus Dominus unquam possidebit subditum. Dominus quidem est membrorum servi sui possessor, sed non ipsius animi; adeóque externorum hominis, non internorum possessor est. Verùm Beati totum possidebunt DEUM, nec ullam ipse possidebit perfectionem, cujus integrum non concedat ipsis Dominium, nec non plenissimum perfectissimùmque, velut rei suæ, usumfructum. *Ero illis in DEUM.*

Luc. 16. 6.

Luc. 17. 37.

IX. Nec tantùm soli Animæ ibi continuum erit gaudium, sed, quemadmodum in conjugiis regiis, etiam famulis proportionatæ non desunt epulæ; sic in cœlo sensus externi propriâ suâ exultabunt beatitudine, quæ ab Animâ in totum corpus redundabit. *Cor meum & caro mea exultaverunt in DEUM vivum.* Quis unquam crederet, à frigido aquilæ ovo volucrem aëris Dominum, tam velocem, tam fortem, tam liberam, támque Solis amicam suo tempore progignendam? Ex eo tamen producitur; tanta vis est caloris vivifici, à quo excluditur. Jam verò corpus nostrum licèt sit gravis quædam, debilis, frigida & terrestris massa; suo tamen tempore illa ipsa gloria, quâ anima beabitur, ita redundabit in corpus, ut licèt corpus sit, iisdem Spiritûs gavisurum sit privilegiis; famosissimis scilicet illis quatuor dotibus, subtilitate, agilitate, impassibilitate, & claritate, quibuscum omnes Electi in magnâ illâ regenerationis die resurrecturi sunt. *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis.* Erit itaque corpus nostrum resuscitatum, tam subtile, ut quosvis montes; quemadmodum nunc Sol

cry-

cryſtallum permeat, penetrare valeat; Erit tam agile, ut unico momento è cœlo in terram deſcendere poſſit; erit tam impaſſibile, ſicut eſt Anima jam abſolutiſſima facta ſui ipſius Domina: erit tam luminoſum, ita ut ſi Beatus aliquis ſolam manum è cœlo extenderet, centies meliùs, quàm ipſe Sol oriens ad totum Mundum illuminandum ſufficeret. *Fulgebunt Juſti ſicut Sol in Regno Patris eorum.* Quodſi in ipſo cœlo, ubi tanta eſt luminis copia, quilibet Sanctorum tanquam Sol radios ſuos eſt diffuſurus, cogitate, quantum lumen extra cœlum poſiti ſint emiſſuri! Verbo, quemadmodum Animæ beatitudo in hoc conſiſtit, ut gloriæ DEO propriæ ſit particeps, ita corporis beatitudo in hoc ſita erit, ut gloria Animæ propria ipſi communicetur. Quanta igitur erit cordis noſtri, tantam inter bonorum copiam, felicitas, ubi ſemel eorum poſſeſſionem adiverimus? In immenſorum gaudiorum mari natabit; quia non ſolùm erit plenum, ut docet Sanctus Thomas, ſed ſuperabundabit; non enim tantùm gaudebit illis, quæcunque deſiderat; ſed etiam inſuper potietur, quæcunque unquam deſiderare potuiſſet. *Gaudium Beatorum erit perfectè plenum, & etiam ſuperplenum, quia plùs obtinebunt, quàm deſiderare ſuffecerint.* Ideoque quaſi tantum gaudium in Animam Beatam ipſo minorem non poſſet intrare, Anima beata intrabit in gaudium: *Intra in gaudium Domini tui.* Niſi etiam dicere velimus Animam beatam, totam in gaudium mutandam eſſe, juxta illud, quod DEUS his promiſit verbis: *Ponam te gaudium in generationem & generationem.* Non ſolùm enim erit Beata, ſed erit quaſi ipſa beatitudo, ita ut, quemadmodum inquit Sanctus Auguſtinus, ſi una æterna illius voluptatis gutta, quâ Beati fruuntur in cœlis, decideret in Infernum, quamprimùm omnem extingueret dolorem, omnes dulcaret pœnas, omnes exſiccaret lacrymas, infeliciſſimúmque illum ſempiternæ deſperationis carcerem in deſideriorum habitationem transmutaret. *Tanta eſt dulcedo futuræ gloriæ, ut, ſi una gutta in Infernum deflueret, totam Damnatorum amaritudinem dulcaret.*

Iſa. 60. 15.

X. Chariſſimi, quid vobis videtur de hoc loquendi modo? an non ſufficit mentibus veſtris altiſſimam quandam bonorum illorum, quæ nobis in cœlo præparata ſunt, ingerere æſtimationem? Tam miſera ſunt hujus Mundi bona, ut omnium illorum faſtidium una ſola creet febricula. *Quamvis humana gaudia non ſint gaudia, tamen qualiacunque ſint, aufert omnia iſta una febricula:* inquit idem Sanctus Pater. Exempli gratiâ, ſi tantùm unico dente doletis, jam nulla placet muſica, non ſapiunt epulæ, non delectant comœdiæ, nulla amicorum arridet converſatio, verbo, ſi omnia terræ bona, quaſi in torculari comprimerentur, vix tantus delectationis exprimeretur ſuccus, qui ad tam parvum putridi dentis dolorem auferendum ſufficeret. O ſingularem igitur terrenarum volupta-

tum miseriam! at econtra ô incomparabilem, incomprehensibilem cœlestium gaudiorum immensitatem, quorum una sola gutta æterni ignis incendium extingueret! nec putetis, cùm ita loquor, amplificatione me uti. Imò maximi Theologi, qui profitentur, se tanquam rigorosos Judices omnem examinare veritatem, adstruuntur, unius Beati felicicatem majorem esse, quàm sit totius inferni miseria, adeò quidem, ut si ex omnibus hominibus creabilibus, unus solus denique salvandus, ac in cœlum recipiendus, reliqui verò omnes in inferorum abyssum præcipitandi essent, nihilominus quilibet illorum in hanc vitam nasci desiderare deberet, ut exiguam, se Beatum illum futurum, probabilitatem haberet; multóque majori cum periculo, se in innumerabili condemnandorum numero comprehensum iri. Ratio est, quia cœlestis hujus beatitudinis causa est DEUS clarè visus, & ab animâ possessus quasi amicus. Infernalis verò miseriæ causa est, DEUS confusè cognitus, & velut hostis apprehensus. Quare quemadmodum amor Beati alicujus erga DEUM, propter cognitionis illius prærogativam incomparabiliter major est, quàm odium, quo totus contra eum ardet Infernus, sic totius Inferni tristitia, non potest in genere suo illius gaudii amplitudini comparari, quod unus & solus Beatus in cœlis experitur. Præterea in Inferno à solâ Justitiâ miseri damnati puniuntur, dum interim ab individuâ comite suâ Misericordiâ inhibetur, ideóque licèt igneum vibret gladium: *Si acuero ut fulgur gladium meum*, nihilominus non totâ illâ vi ictum infligit, quâ illum jure merito ferociùs infligere posset. *Non accendit omnem iram suam.* Sed in cœlo Justitia & Misericordia simul junctæ erunt, paritérque beabunt animam, ita ut potentiam suam, quasi certatim sint ostensuræ, donáque sua abundantissimè collatura. Præcipuè verò Justitia, ibi contra inclinationem suam, sicut in Inferno, non est operatura, sed secundùm totam virtutis suæ plenitudinem aget, quæ multò magis remunerari, quàm punire desiderat. Quare quis poterit exprimere, quàm pretiosa sit futura illa Misericordiæ & Justitiæ corona, quam DEUS velut amantissimus Sponsus, & integerrimus remunerator capiti illius Animæ imponet, quam propter reciprocum utriusque amorem in proprium summet thronum collocabit. *Faciens Misericordias Dominus & judicium.* Profectò hæc captu sunt difficilia. Nihilominus, quantumlibet parùm capere possumus, satis intelligemus, si, postquam fornacem aliquam, vivacissimis accensam flammis, támque amplam, ut illius circuitus centena aliquot comprehendat milliaria, nobis imaginati fuerimus, æternis horridam tenebris, æterno refertam fœtore, æternáque, fame, siti, tristitiâ, morte & desperatione plenam, si, inquam, totum malorum omnium in hoc loco congregatorum exercitum nobis proposuerimus, omnium malo-

Cardin Palav. assert. de act. hum. l. 1. n. 40.

Deut. 32.

Psal. 77.

Psal. 145.

malorum centrum, dicemus in animo: quòd ſi aliquando cœleſti gloriâ & beatitudine potitus fuero, magis ego ſolus gaudebo, quàm omnes damnati in inferno patientur, unáque ſola mica, quæ, ut ita dicam, de regali menſâ meâ cadet, tam lautâ erit, ut ſi poſſet ad Infernum pertingere, ſufficiens foret ad rabidam tantæ multitudinis famem exſatiandam DEUM immortalem! ſi Chriſtiani hálce ruminarent veritates, poſſibiléne eſſet, ut unquam animum ſuum ad peccandum inducerent? Myſtica illa animalia, quæ velocitate fulguri non abſimili ambulare vidit Propheta, *in ſimilitudinem fulguris coruſcantis*, ideò tam velociter progrediebantur, quia ſupra capita ſua effigiem firmamenti expreſſam gerebant. *Similitudo firmamenti ſuper capita eorum.* Idem in nobis experiemur, Chariſſimi; ſi vivam cœleſtis gloriæ imaginem mentibus noſtris impreſſam geremus. Quomodo eſſet poſſibile, ut unquam immenſum felicitatis æternæ pelagus, pro cœnosâ turpis alicujus voluptatis palude commutaremus.

XI. Video me quaſi ad Diſcursûs mei finem perveniſſe, attàmen effari mihi licet, in comparatione adhuc dicendorum, me nondum incepiſſe. Nihilominus omittere non poſſum, ne deſim officio meo, quin adhuc duas proponam veritates. Prima eſt, hanc beatitudinem rudi penicillo à me adumbratam, toties quaſi multiplicandam, quot eâdem fruentur ſocii. *Quot Socii, tot gaudia,* inquit Sanctus Auguſtinus: cùm enim inter Beatos incomparabilis ſit amicitia, incomparabilis quoque erit omnium bonorum, quibus quilibet illorum gaviſurus eſt, communio, ideò optimè argumentatur S. Anſelmus; ſi anima intra ſe non capiet proprium gaudium ſuum, quomodo tot aliorum innumerabilium ſociorum ſuorum tantopere dilectorum gaudia capiet? *Si cor hominis de tanto bono ſuo vix capiet gaudium ſuum, quomodo capax erit tot & tantorum gaudiorum?* Imò quod omnem ſuperat exſpectationem, eſt, quòd Beatus aliquis gloriâ ſuperior plus lætaturus ſit gloriâ Beati alicujus inferioris, quàm ipſe Beatus inferior ſuâ ipsâmet gloriâ exultat; cùm enim Beatus ſuperior plùs amet DEUM, quàm inferior, magis delectabitur illo honore, qui ab inferioris beatitudine accedit DEO, quàm ipſe inferiori beatificatus delectetur. Eodem modo, quò ros cœleſtis in margaritæ majorem ſinum delabitur, eò pretioſior unio enaſcitur.

Prolog. c. 25.

XII. Altera maximi ponderis veritas eſt; tam immenſum amplitudine ſuâ gaudium, in omnem æternitatem duraturum eſſe, ita ut ſi tot ſæculorum millia affluxerint, quot momentis duraturus eſt hic Mundus, ne quidem unicum hujus infinitæ durationis præteriêrit. Quare ſi tantò pluris æſtimatur aliquod bonum, quò diutiùs permanet; quanti æſtimandum erit bonum illud, quod ſemper durabit? æternitas cuivis parvulo ad-

dita voluptati, tantum illius auget pondus, aut quamprimum immensum fiat bonum. *Gloria pondus*; adeò quidem si possibile esset, ut unquam præsens felicitas & beatitudo ipsius DEI finiretur, potiùs æternum gaudium unius solius Sancti in cœlis eligendum esset, quàm immensum Divinæ felicitatis pelagus, quòd aliquando exsiccandum esset. Et si hoc verum est, sicut est verissimum, quis unquam hujus beatitudinis fundum metiri poterit, quæ neque in bonorum recipiendorum numero, neque in eorundem duratione habitura est terminum? Et adhuc invenientur homines, qui tam grande bonum audent despicere, & cum ludicro quovis bono commutare? Leges præsupponunt, quemvis censum parvum, sed perpetuum, à quolibet æstimari. Attamen Lex Divina tot Christianos cogitur intueri, qui reditus adeò immensos, hoc est, omnia in DEO possidere bona, & quidem perpetuò & in æternum, tam parvi
Ps. 105. faciunt. *Pro nihilo habuerunt terram*
24. *desiderabilem.* Stolidi peccatores tam parum soliciti sunt de cœlesti gloriâ, quamvis millenis à DEO vocentur invitationibus, terreantur minis, alliciantur promissis, innumerabilibus impellantur beneficiis, ut nihilominus potiùs bestialem eligant, in omnium vitiorum immunditio ducere vitam, & postea in Inferno incessabiliter, inter omnia malorum supplicia, gemere, quàm Christianè vivendo, tam felicem æternæ beatitudinis possessionem adire. Et quomodo tam horrendam commutationem possunt è Cœlo aspicere Sancti, ut non supremam contra gentem tam stultam concipiant indignationem? Cuncti Pictores indignantur, legentes nobilem illam picturam, quâ Paulus Veronensis cœlestem gloriam expresserat, fuisse cum tabulâ quadam floribus pictâ Venetiis commutatam. At quantò vos putatis omnes cœli Incolas, hujus gloriæ expertissimos, dolore affligi, dum vident stolidum aliquem hujus Mundi viatorem, pro marcidæ voluptatis flore, non depictum aliquem, sed verum, unicum & sempiternum paradisum commutare? Beatam DEI faciem intueri, Cat tam immensum est bonum, ut pro pra aspiciendâ illâ vel unico momento, c. 5 affirmârit Diabolus, se omnes Damnatorum pœnas, usque ad extremum judicii diem patienter sufferre paratum esse. Ideóque quanta non fit injuria Bono tam infinito, cùm tam turpiter à peccatoribus vilipenditur? Jure merito quivis peccator, cum filio prodigo palàm confiteri potest, se contra cœlum peccâsse: *Peccavi in cœlum:* quòd ludendo pro nihilo perdidit, ita ut si nullum aliud superesset argumentum, quod enormem cujuscunque peccati mortalis malignitatem nobis manifestaret, hoc solum nobis sufficere deberet, id est, scire, illud nos immensâ felicitate privare.

XIII. Sed non tantùm malitiam suam nocendo nobis demonstrat, dum cœlum peccatoribus auferet, verùm etiam adhuc magis eam damno illo, quod

quod certo quodam modo Beatis infert, ostendit; illos enim eo privat gaudio, quod ex adjungendis sibi in beatitudine Sociis caperent, cùm, qui peccant, ex parte suâ ad possidendam cœlestem gloriam omnino se reddant inhabiles. Imò hæc ipsa peccati malignitas etiam DEO se opponit, non permittendo, ut desiderio, quo totum seipsum nobis communicet, satisfaciat, maximáque omnium possibilium ingratitudine DEUM offendit, dum omnium beneficiorum possibilium maximum, hoc est, cœlestem gloriam aspernatur. Quare considerate, Charissimi, quàm insatiabilis sit peccati malitia, cui cùm non sufficiat, tam luctuosam à principio in cœlis inter Angelos, ipsius causâ inde æternùm proscriptos, edidisse stragem, reliquorum etiam superstitum, imò omnium pariter Electorum, quibus eorum ruinæ restituantur, felicitatem turbare conatur; non enim aliud unquam mollitur, quàm, ut illorum impediat, aut diminuat lætitiam, dum se beatissimæ huic plenitudini, quasi odiosissimum opponit vallum, quæ tamen à summi Boni Oceano supra omnes salvandos, si non peccâssent, se effudisset. Et nos adhuc pejus, quàm unquam aliàs peccare pergamus, licèt sciamus, quàm magno non solùm totam cœlestem Patriam, sed DEUM ipsum dolore afficiamus? Pereat miserabilis ille, qui tantas non horret committere enormitates. *Deficiant peccatores à terra, ita, ut non sint.* Vos autem interim scitote, quòd, quicunque nunc tantâ cum facilitate peccat, cœlóque tergum obvertit, cœlum illud in æternum, inter innumera tormenta coram oculis sit habiturum. O quàm furiosâ cum desperatione, quivis Reprobus hanc impudentem in Inferno luiturus est repulsam & contemptum, quàm rabioso dentium stridore eam defleturus est! Verùm nimis serò; rabiosæ enim lacrymæ non adferent remedium, sed in furoris cedent alimentum. Quare cùm cœlum subire nequeant, neque in terris perennare, stabilem suam in Inferno habebunt sedem. *Ibi erit fletus & stridor dentium, cùm videritis Abraham & Isaac & Jacob & omnes Prophetas in Regno DEI, vos autem expelli foras.* *Luc. 13. 28.*

XIV. Eligitote igitur, quænam ex duabus hisce oppositis vobis placeat sortibus, aut levem aliquam tolerare afflictionem, ut in beatissimum illud Regnum cum immenso gaudio admitti mereamini; aut illicitæ satisfacere cupiditati, ut ab illo Regno in avernales paludes tanto cum ejulatu ejiciamini? Hic non datur medium. Persuadete vobis, quemadmodum olim antiquus ille Romanus in Senatu Carthaginensi asseruit, se in togâ suâ Pacem & Bellum attulisse, ut eligerent, quod ex duobus ipsis placeret, ita me in hac Sacerdotali veste, utrúmque, & Cœlum & Infernum gerere, vobísque hoc temporis puncto electionem proponere, ut quod vobis magis conducit, absque ullâ hæsitatione arripiatis. Quid igitur hæretis? unum aliquod eligendum est. Voletis forsan bonum, quod in uno alteróve reperitur, amplecti

plecti, malum autem declinare? Velletis hîc gaudere cum peccatoribus, & ibi exultare cum Sanctis? Non est
Ps. 125. 6. possibile. *Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent.* A Paradiso & felicitate brutorum, quâ tam effrenè licentiâ fruitur quis in terris, ad Paradisum & felicitatem Angelorum non transitur. *Foris canes.* An nobis igitur decorum videtur, ab harâ aditum patere ad Regium conclave? Si in Cœlo à nobis vacuæ Angelorum apostatarum sedes sunt replendæ (ut plurimi sentiunt Auctores) considerate, an deceat, eum tanquam Monarcham illarum aliquam occupare, qui modò
2. Pet. 2. 22. se in cœno volutabat? *Sus lota in volutabro luti.* Quòd, si verum est, etiam nos tanquam homines, præter sedes Angelicas, proprias nostras habituros sedes, quò ibitis, ut locum sine pudore occupetis? An inter Apostolos? Sed Animas prius ostendite, quas ad Christum reducitis; utinam non plures ad peccatum incitando abstuleritis, quàm lucrati fueritis. An inter Patriarchas? At ubi sunt insatiabilia suspiria vestra ad DEUM emissa? An inter Prophetas? At ubi sunt continui vestri sudores DEO dedicati? An inter Martyres? Sed quomodo? Qui cùm apertâ fronte, sicut illi, fidem Christianam tueri debuissetis, eam profiteri erubuistis, si non etiam eandem negâsse gloriæ vobis duxistis? An inter pœnitentes? Sed vobis judicandum relinquo, si tales ab assiduâ ludendi consuetudine, à conversationibus, à crapulis, risibúsque obscœnis æstimari debeatis. Verùm vos, quocunque vultis, vita, quam vos ducitis, ne quidem angulum pro se habet in cœlo. *Foris canes & benefici, & impudici, & homicidæ, & idolis servientes, & omnis, qui amat & facit mendacium.* Si vos imposterum etiam supra Stellas majori cum fundamento locum habere velitis, quid facere oportebit? posthac vitam illi similem, quæ ibi agitur, incipite, unde S. Joannes Apostolus, postquam dixisset: *Scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est*, statim subjunxit. *Et omnis, qui habet hanc spem in eo, sanctificet se, sicut & ille sanctus est.* Quandoquidem nulla alia res quàm peccatum nobis cœlum auferre valet. Non illud aufert natalium ignobilitas, cùm etiam rusticos recipiat; non aufert paupertas, non ignominia, non infirmitas, non literarum ignorantia, non membrorum deformitas; cùm etiam luscis, claudis, mutis & paralyticis donetur. *Pauperes ac debiles & cæcos, claudos introduc huc.* Solum à peccato aufertur. Ideóque, *Qui habet hanc spem, sanctificet se.* Sed quomodo sanctificare se conatur, qui nunquam aliud facit, quàm ut se ipsum contaminet? Ah! hic non est ante DEUM comparendi modus, nemo hac ratione per visionem beatificam ei similes evadet. Spiritus spurcus, potentiæ spurcæ, cogitationes spurcæ, non spectacula, quæ ante Solis tam formosi faciem collocari possint. Qui DEUM in gloriâ suâ revelatum de facie ad faciem videre desiderat, cor suum mundare incipiat. *Beati mundo corde, quoniam ipsi DEUM videbunt.*

Apoc. 22. — 1. Joan. 3. — Luc. 21. — Matth. 5. 8.

DISCUR-

DISCURSUS XX.

Purgatorium demonstrat, quàm grave Malum sit Peccatum.

I. AD affligendos miseros infirmos, non solùm febrilis, sed etiam naturalis calor concurrit, à quo aliàs vita illorum fovenda esset; ab utroque siquidem, secundùm plurimorum sententiam, febris efficitur. Animæ Sanctæ, in purgantibus flammis detentæ, sunt illi infirmi, de quibus loquar; hæ tam à violento ignis extrinseci, quàm à nativo desideriorum calore cruciantur, quo DEUM videre cupiunt, & à quo plus quàm ab altero ardore torquentur. Istæ in hoc miserabili tormentorum statu, quo detinentur, propter ardentissimam duplicium harum flammarum febrim, scenam nobis aperiunt, ad inexplicabilem peccati malitiam cognoscendam. Audeo dicere, peccatum in pœnis Inferni, non tam horribile, quàm in Purgatorii pœnis videri. Volóque, ut hoc ipsum vos fateamini, postquam vobis ostendero, quantopere benedictæ illæ Animæ propter duplicem istum ignis, & amoris sui ardorem affligantur; hoc est, propter pœnam sensûs, & damni, quæ Purgatorium constituunt.

II. Charitas, quâ peccator ad DEUM convertitur, ubi valde vehemens est, inquit S. Thomas, quamprimum omne, non solùm culpæ, sed totius pœnæ, debitum extinguit; sicut in bono latrone videre licet, qui absque alio medio, solo quodam actu generoso, de patibulo ad Paradisum transire meruit. *Amen dico tibi, hodie* Luc. 23. *mecum eris in Paradiso.* Sed quia ta- 43. lis non est ordinaria conversio nostra, neque etiam ad eandem debitam impendimus diligentiam; gravis verò pro omnibus peccatis in præsenti vitâ commissis incumbit nobis Divinæ Justitiæ satisfaciendi obligatio, communiter evenire solet, ut in alterâ vitâ multa debita solvenda supersint; Justitia enim requirit, ut voluntas humana, quæ prohibita voluptate à DEO se separaverat, per pœnas pa- *S. Tho 1.* tienter acceptatas eidem se subjiciat. *2. q. 87.* Hujus autem pœnæ instrumentum est *ar. 6. in* duplex ignis, ut dixi, materialis & *c.* spiritualis.

III. Primus est materialis. Quoad hunc, quis negabit, etiam alia elementa pro castigando peccato Divinæ servire Justitiæ? Terra illi servit motibus suis; mare tempestatibus, aër fulminibus, grandinibus, gelicidiis, pestilentiisque à vento deportatis. Nihilominus ignis semper fuit, eritque Vindictæ Divinæ adimplendæ minister. *Ignis succensus est in furore meo.* *Deutr. 32.22.*

Quod

Quod videre eſt in hoc Mundo, ubi ignis pluit ſupra Impios, qui à primis ſæculis terribiles ejus vires experti ſunt; terribilioréſque adhuc in fine Mundi experientur; quando tota terra ab ipſius flammis devorabitur. Sed adhuc magis in altero Mundo vis illius apparebit, ubi Divinæ gloriæ jacturam æterno cum cruciatu inimicorum DEI in Inferno, nec non acerbo cum dolore amicorum ipſius in Purgatorio vindicabit. *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo: ſuper vos ardebit.* (Jerem 11, 14.) Sed, ut intelligatis, quàm hoc ipſum tormentum ſit enorme, duo in caſu noſtro obſervare oportet, id eſt, ignis hujus qualitatem, qui eſt carnifex; & nobiliſſimarum illarum animarum ſtatum, quæ ibi, quaſi condemnatæ ſub gravi hujus carnificis manu ingemiſcunt. Quare, quod ignem attinet, modum quidem invenêre Mathematici, noſtrates flammas ponderandi, ſed quâ alterius Mundi ponderentur flammæ, nondum à Theologis inventa eſt ſtatera. Licet tantâ cum curioſitate devotiſſimus Esdras hanc bilancem petiêrit, dum dixit: *Pondera mihi pondus ignis*; (Eſd. 4.) Nunquam tamen ipſi terra id præſtare potuit. Nihilominus nonnihil conjecturâ aſſequi poſſumus, conſiderando ignem illum ejusdem eſſe qualitatis, qualis eſt ignis infernalis, quemadmodum docet S. Thomas juxta celebrium illorum S. Auguſtini verborum auctoritatem: *Eodem igne torquetur damnatus, & purgatur electus.* (S. Thom. diſt. 2. q. 1. ar. 1. in ſupp. 100. ar. in c.) Idem eſt ardor, qui aurum purgat in vaſe teſtaceo, &, qui carbones cogit fumare in fornace. Ideò putare non debetis, eundem eſſe ignem, qualis eſt noſter in his terris; procul enim à vero aberraretis. Ignis noſter in materiâ craſsâ & densâ accenſus eſt, hinc eſt quaſi novacula in dorſo; ille verò alterius Mundi in ſulphure infernali nobis incognito accenſus eſt, hoc eſt, in materia multò magis combuſtibili, hinc eſt, quaſi novacula ſecundùm aciem. Quare notandum eſt, non ardorem ſimpliciter, ſed ardorem Spiritûs vocari. *Si abluerit Dominus ſordes filiorum Sion in Spiritu judicii & Spiritu ardoris.* (Iſa.) Quamvis enim ignis ſit materialis, videtur nihilominus eſſe totus ſpiritus, tam potens eſt & penetrativus. Creditote igitur, unicam iſtarum flammarum ſcintillam, multò magis quàm integram aliquam fornacem noſtram urere; unde colligere licet, ſi quis Sanctarum harum aliquam animarum ab hoc incendio ereptam in laterum, aut fabri ferrarii fornacem projiceret, tale illam experturam refrigerium, quale ſentiret, qui à bulliente ardentiſſimarum aquarum balneo ad ſuaviſſimum tepidarum undarum lavacrum transferretur.

IV. Addite inſuper id, quod nuper de Inferno diſſerens affirmavi, id eſt, communem hunc ignem noſtrum pro utilitate viventium à DEO factum eſſe; Piaculares autem flammas datâ opera in Peccatorum vindictam creatas. An non aliquando diverſum; quo Chirurgi, & Carnifices membrum amputant, modum obſervâſtis? Carnifex, modò Judicis exequatur ſententiam, non curat, quantum, inferendum à ſe vulnus, infligat dolorem:

At

At Chirurgus attendit diligenter, quàm forti ictu ſit opus: partibus amputandis ſoporem inducit, cavétque, ut quàm poteſt minimum patienti dolorem creet; hic enim ægrum accedit, ut eum ſanet, eíque benefaciat, non ut illum affligat, eíque noceat. Quodſi ignis ille homini pro utilitate ſuâ conceſſus, tanto nihilominus ſæpè afficit dolore: quàm íntolerabilis erit ille, qui tantùm in ſupplicium & pœnam ei accenditur? Præcipuè cùm ignis iſte (quemadmodum de igne infernali dicebam) præter activitatem naturalem, quam habet ex ſe ipſo, etiam aliam ſupernaturalem multò violentiorem & vivaciorem ſit acquiſiturus. *Uram eos,* inquit DEUS, *ſicut uritur argentum.* Quaſi non ab igne, ſed ab ipſo DEO urantur hæ animæ; à DEO, inquam, qui eſt Ignis amoris, ſed illis mutatur in ignem doloris & pœnarum, dum vim ignis ordinarii abſque menſurâ potentiſſimi brachii ſui virtute auget & acuit.

V. Hinc eſt, quòd adductis ſuprà verbis afferat Propheta; ſordes filiarum Sion non tantùm ſpiritu ardoris, ſed ſpiritu judicii à DEO lavandas eſſe: *In ſpiritu judicii & ſpiritu ardoris.* Quibus nobis ſignificat, ignem Purgatorii non tantùm in puniendo ſummè activum fore; ſed etiam æquam in puniendo proportionem ſummo cum judicio ſervaturum, magìs minúsque cruciaturum, non quaſi ſecundùm elementarem ſuam operaretur naturam, ſed ſecundùm obedientiam, ad quam DEO ſuo debitam elevatur. Ignis noſter elementaris hoc habet à naturâ, ut omnia, quæcunque ipſi opponuntur, æqualiter comburat; ita ut æquè proſtituti pudoris fœminam, ac illibatam Virginem in cinceres redigat. Non ad hunc modum agit ignis Divinæ juſtitiæ deſerviens. Siquidem factoris ſui voluntatem & ſenſum imbibit, & ſicut unumquemque pro meritis ſuis tractat, ita peccata punit juxta odium, quod gerit DEUS contra illos; adeò, ut ſi anima peccati expers caderet in has flammas, nihil pateretur, quemadmodum aurum ſincerum nihil damni patitur in igne, ſed in eo, quantum placet, requieſcit, quaſi ſciret nihil ſibi timendum, cùm totum ſit mundum. Conſiderate igitur, quàm terribilis futurus ſit ille ignis, qui præter virtutem ſuam naturalem multò ſuperiorem acquiret in manibus DEI, cujus vindicativum erit inſtrumentum, ut ſapienter illud pœnâ reparet, quod peccato inſipienter perverſum fuerat. *Quantum ſtulta iniquitas ſuggeſſit, tantum ſapiens pœna deſæviet.* Ah Chariſſimi! quantum vos ipſos decipitis, quoties inter peccatum & peccatum pene nullam facitis differentiam, nec vobis curæ eſt, ſive ſemel in ſordes labamini, ſive pluries, & pluries fœdiſſimorum inſtar animalium in eo volutemini, dicentes intra vos: *Quid refert? quia jam ſemel peccavi, etiam alterâ vice peccare poſſum: ſimul enim unâ Confeſſione expiabo utrumque.* At non ita ſtultè diſcurrit ignis Purgatorii. *Quantum ſtulta iniquitas ſuggeſſit, tantum ſapiens pœna deſæviet.* Optimè, cùm ſapiens ſit, diſtinguet inter illum, qui ſemel peccavit, & inter illum

S. Aug. hom de reſurr. Dom quæ eſt 6. Inter 50.

illum, qui ſine numero peccata ſua multiplicavit; optimè novit differentiam inter illum, qui ex mera deliquit fragilitate, & qui, ut malitiæ ſuæ ſatisfaceret, peccavit, quia ſic placuit; imò culpas etiam jam remiſſas iterum vocabit ad examen, ut quævis illarum reliquiæ purgentur. Non illi cordis noſtri obſiſtet abyſſus; omnes enim illius penetrabis ſinus, omnes permeabit infractus, omnes illius inveſtigabit latebras, in quovis abſtruſiſſimo ſubſiſtet angulo, totúmque circumſpiciet, & quamdiu aliquid etiam minimum imperfectionis comburendum videbit, non deſiſtet illud purgare; quemadmodum ſuccenſæ fornacis non ceſſat ardor, donec lapis, qui in ea coquitur, intentum acquirat candorem.

VI. In tali ſtatu diu detinebuntur Animæ, hoc eſt, pluribus annis, prout diutiùs in malo perſeveraverint, & quò diutiùs Divinam patientiam, quæ pœnitentiam illarum deſiderabat, fecerint exſpectare. Dixi, detinet Animas; quia altera hæc eſt conſideratio, quæ oculis noſtris proponenda eſt, ut inexplicabiles Purgatorii pœnas aliquatenus intelligere poſſimus. Subjectum, quod immediatè patitur, non eſt ampliùs corpus, ſed Anima. Quemadmodum igitur anima majoris capax eſt delectationis, quàm corpus, ita etiam majoris abſque comparatione capax eſt doloris. Quamobrem quis poterit exprimere illum doloris ſenſum, quem in ipsâ ignis adeò activus, & ab ipsâ DEI manu pro eâ cruciandâ applicatus efficiet? an neſcitis, hominem nobilem delicatè enutritum magis ſentire calorem, frigus, aliásque cœli inclementias, quàm hominem ruſticum inter ſylvas & pecora educatum? Pauper ruſticus male tectus brumali tempore in ſtramineo tugurio cuſtodit pecora ſua; æſtate ardoribus Solis expoſitus aperto in campo ſegetes demetit; nec tamen unquam de temporis dolet injuriâ; ubi econtra Nobilis aliquis, tantis circumvallatus opibus & deliciis, inter penates auro fulgentes, ſæpiùs queritur, ſe vivere non poſſe. Jam animo vobiſcum fingite, corpus noſtrum ruſticum & durum eſſe, quemadmodum reverà ex cœno compoſitum eſt, animam verò, quæ cœleſtis eſt naturæ, ſupra modum delicatam eſſe; quamobrem anima incomparabiliter magis, quàm corpus dolorem ſentit. Imò ſi dolor, quem in membrorum noſtrorum afflictione patimur, aliud nihil eſt, ut inquit Sanctus Joannes Damaſcenus, quàm naturalis animæ erga corpus, ſocium ſuum afflictum compaſſio, neceſſariò dicendum eſt, potiùs corpus pro defenſione & ſcuto animæ ſervire, ad quosvis dolorum ſenſus retundendos, quàm ab eodem tanquam aggreſſore adverſitatibus impeti; & hoc duobus fieri ſolet modis. Primò, quando qualitatibus ſuis contrariis in principio reſiſtit corpus, ita ut tanto cum vigore & vivacitate dolor ad Animam non pertingat; ſecundò, cùm ſenſus doloris vehementiâ ſenſim eſt ſtupefactus, efficit, ut cruciatus, quò gravior eſt, cum tempore, tantò minùs per-

percipiatur. Verùm cùm anima separata eſt, &, ut ita dicam, hujus corporis vallo deſtituta, à quo defendatur, nullus unquam doloris ictus eam intactam relinquit; imò ſemper vivaciſſimè inexplicabili quadam pœnâ, nunquam ullo tempore mitigandâ, torquetur. Adhæc corpus in hoc Mundo in unâ tantùm ſui parte patitur, aliis dolore carentibus; niſi propter naturalem conſenſum & connexionem membrum alterius quoque malum ſentire cogatur. De cœtero impoſſibile eſſe, ajunt Medici, ut corpus humanum ſimul & ſemel omnes percipiat dolores, eósque quavis in parte ſentiat. Sed non ita ſe res habet in Purgatorio. Anima indiviſibilis eſt, ideóque eodem temporis momento in totâ ſuâ eſſentiâ, quovis doloris ictu læditur, éſtque tota ſimul miſera, totáque ſimul cruciatui ſubjecta. Quare ſi objectum torquens (quod eſt ignis) eſt tam activum, ſi potentia crucianda (quæ eſt Anima) tam delicata, & ſi objecti & potentiæ conjunctio eſt tam valida, ut DEUS ipſe ad ingerendum dolorem ſuâ utatur manu: *manus Domini tetigit me*; neceſſe eſt concludere, apprehenſionem noſtram ab hoc ſanctarum animarum dolore ſuperari, ita ut minima illarum pœna cuicunque hujus vitæ miſeriæ præferri debeat, ſicut expreſsè ſuſtinet Sanctus Thomas; quamvis non ſolus, cùm in hac doctrinâ aliud non faciat, quàm quòd communi Sanctorum Patrum, qui vetuſtioribus ſæculis præceſſerunt, ſententiæ accedat.

Job. 4. ... 21. ... ar. 1. ... ſupp. ... 00. 3. Aug. ſ 37. 9. Greg ſ 37. Anſel. ... Cor. ...

VII. Neque verò hoc eſt totum: non tantùm in terris nulla invenitur pœna, quæ benedictarum illarum pœnis comparari poſſit, ſed inſuper dari poteſt caſus, ut aliqua illarum, exceptâ deſperatione, ſecundùm ſtatum præſentem plùs patiatur, quàm Anima infernalibus flammis detenta. Quod facilè fieri poteſt, quàndo anima pro unico ſolo peccato in Inferno patitur, quod ante obitum non expiaverat; alia verò in Purgatorio pro millenis & millenis, licèt Confeſſione expiatis, at debitâ ſatisfactione non extinctis, pœnas luit. Et hoc ipſum fortè Eccleſia nobis inſinuare voluit, quando Purgatorii pœnas non dubitavit etiam infernales appellare, rogando DEUM. *Libera animas omnium fidelium defunctorum de pœnis Inferni:* Quia licèt non ſint pœnæ Inferni quoad deſperationem, qualitate tamen Inferni pœnis ſimiles ſunt; iíſqve aliquando quoad aliquod temporis ſpacium & intenſionem graviores eſſe poſſunt.

Lect. in Pſ. 37. S. Bern. Serm. de div. S. Cæſ. Arelat. hom. 18. Abul. paradox. 5. c. 46.

II.

VIII. Putabitis fortè Chariſſimi; me de pœnis Purgatorii ſatis locutum fuiſſe, ita ut nihil ampliùs dicendum mihi ſuperſit. At ne vix quidem incepi. Si in loco iſto alius non eſſet ignis, quàm materialis ille, nimiùm ſe felices hæ Sanctæ exiſtimarent Animæ. Verùm alius ignis abſque comparatione multò crudelior eas cruciat, ſi ita dicere lubet; ignis ſcilicet ſpiritualis, hoc eſt, deſiderium videndi DEUM. De hoc dubitare non licet. Si omnis animæ dolor fundatur in amore, neceſſe eſt Animas Purgatorii,

quæ inexplicabiliter amant DEUM, inexplicabiliter quoque affligi, quòd eundem possidere non possint. Daniël Propheta ter ab Archangelo Gabriële appellatus fuit, *Vir Desideriorum*; fortè, ut nobis significaret, cor Prophetæ justissimorum desideriorum esse habitaculum, desiderando omnibus & naturalibus & supernaturalibus, Divinisque motivis videre, ut aliquando abjectissimæ servitutis Babylonicæ, quibus illius populares vinciebantur, catenæ rumperentur, salvique & incolumes in Patriam suam Hierusalem reverterentur. *Vir desideriorum es.* At quantò meliùs hic titulus sanctis illis Purgatorii Animabus conveniet, quæ respicientes cœlestem suam Jerusalem, multò magis interioribus desideriorum, quàm exterioribus incendii sui flammis aduruntur! Præcipuè verò à triplici desideriorum flammâ torquentur, in triplici amore, qui corda eorum torquet, fundatorum. Primus amor est amor naturalis in nativâ quadam consistens inclinatione, qua rationalis anima fertur in Creatorem suum, tanquam principium & ultimum finem suum. Hinc est, quod servitute liberatâ, quâ à sensibus corporeis oppressa tenebatur, quamprimum versùs illum majori impetu, quàm quodvis flumen in mare currens, se ferri sentiat. Unde sequitur, hanc inclinationem, adeò impetuosam, deinde ab hoc obstaculo retardatam, quo captiva in purgatorii ergastulo anima detinetur, ibidem in indicibili violentiæ statu morari, quæ est illa, quâ quidquid, ne vergat in centrum suum, impeditur. Advertite, quid non ignis in cuniculo conclusus efficiat? Hic non nisi aliquo temporis momento detentus, ut liber ad sphæram suam exsiliat, quos non excitat motus, quas non edit strages & ruinas? ab exiguâ hac adumbratione scitote, quanta sit violentia, quam Anima, ad DEUM evolare desiderans, patitur, dum tantâ pœnarum in intimis terræ visceribus vi detinetur;

Daniël. 9.23.10. 11.16.

IX. Alter amor est supernaturalis, & illius spei, quâ anima vivacissimè apprehendens DEUM summum, & unicum solum bonum esse, versùs illum sua extendit brachia, tantóque eum desiderat amplecti fervore, ut in comparatione illius, etiam velocissima fulmina, lenta & frigida dici possint: quare dum hoc desiderium protrahitur, quæ lingua explicare potest, quas pœnas Sponsæ illæ adeò amantes & infaustæ subeant? Fingite animis vestris, ab aterrima nube fulmen aliquod in scopulum allidi, simúlque considerate, quomodo vis illa, quâ tam velociter excutiebatur, contra seipsum revertens, fulminis cuspidem in mille frustula comminuat: deinde intra vos ipsos hoc solum dicit: hæc illus stragis superficialis est umbra, quam in cordibus suis sanctæ illæ Animæ propter remoram DEUM inter & se positam experiuntur, dum tanto cum fervore ad illum anhelant. Ego mihi persuadeo, si Animæ non forent immortales, solum hunc impetum ab hac resistentia retardatum sufficere, ut quamprimum in minutissima fru-

frustula dissilirent. Præcipuè cùm non solùm illius beatitudinis dilatione affligantur, ad quam omnes tam vasto aspirant corde: sed multò magis propter tot & tantos gloriæ gradus suâ culpâ admissos anguntur: boni siquidem exspectati dilatio tandem cum tempore reperit remedium; at jactura tantæ gloriæ nullum admittit remedium, utpote quæ per omnia sæcula ab illis nunquam amplius poterit recuperari.

X. Denique tertii generis desiderium, quod supra omnia alia Animas in Purgatorio affligit, est desiderium in charitatis amore fundatum; qui amor quasi Divinus, quò aliis ad animarum corda inflammanda fortior est, tantò etiam ad eadem cruciandа validior est, maximè perfectarum illarum Sponsarum, quæ, quò magis DEUM sibi uniri desiderant, tantò magis totas se DEO dare vellent. Hanc charitatem quasi reginam omnes aliæ comitantur virtutes, quæ unanimiter ad animas illas novis impulsibus concitandos conspirant, accendúntque non solùm, ut clarè illum, ùt est in se, videre desiderent, sed etiam ex Religionis virtute immensùm honorare; ex virtutè gratitudinis immensas illi agere gratias; ex virtute resignationis voluntates suas in ipsius voluntatem modo immenso transformare flagitent; & sic de aliis hujusmodi virtutibus discurrite, quæ omnes quasi novum pondus addunt animæ, versúsque DEUM impellunt; ipsi tamen subinde Animæ oneri sunt, quæ impetum illarum, ut vellet, sequi non potest. Hæ igitur Animæ, quæ verè ex desideriis sunt compositæ, quemadmodum tertiò vocari possunt animæ desideriorum potiori jure, quàm Archangelus ferventissimum Danièlem ter appellârit; *Vir desideriorum es.* Ita propter eandem causam possumus Animas illas vocare inconsolabiles: quia illa ipsa desideria tandem non nisi pœnas illis creant & afflictiones.

XI. Neque ideo tamen, quia Animæ illæ cum voluntate DEI conformes sunt, minùs sua sentiunt tormenta. Licèt enim Christus eidem voluntati conformior fuerit, quàm ipsæ; non ideo tamen minùs suam sensit Passionem. Imò excelsa hæc voluntatis conformitas, quâ amato objecto consentiunt, est illa ipsa, quæ vivacissimum in bonis illis Animabus dolorem constituit. Ratio autem est, quia quò magis summo bono suo placere vellent, tantò magis sentiunt, se adhuc non esse tales, quales illud desiderat, atque adeò in se talem experiuntur dolorem, qualem imaginis experiretur apographum, si sensu præditum esset, videndo archetypo se esse difforme, cùm omnino illi se simile esse desideraret. Hæc pœna, ut mihi videtur, omnibus aliis absolutè major est; nisi dicere velimus, hanc illam ipsam esse, quæ magis essentialiter, & magis expressè Purgatorium constituit; aliæ enim pœnæ potiùs videntur esse accessoriæ, quàm principales. Ita, ut illla ipsa pœna, quæ denique est pœna Damni, etsi ex unâ parte cedat illi, quàm patiuntur damnati in Inferno, ex alterâ tamen parte cum eâdem contendat.

Cedit, quia Sanctarum illarum Animarum vincula, quibus tenentur, tandem dissolventur, cùm econtra Damnati ne quidem unum catenarum suarum annulum, per infinita sæcula diffringere valeant. Præterea Damnati verè quidem DEO privati sunt; sed quem non coluerunt, aut malè cognoverunt; Animæ verò illæ electæ DEO privatæ sunt, quem vivacissimè cognoverunt, & vehementissimè intueri desiderârunt; quare si ipsiusmet Inferni est infernus, DEUM non possidere; etiam illis, qui summum bonum oderunt; quid ergo erit illis DEUM non possidere, qui illum plus, quàm seipsos amant? Quod si etiam damnati vel in gratiis suis amant DEUM, non ut bonum in se; sed velut delectabilem desiderantibus; nihilominùs quemadmodum in se infinitè magis bonus est, quàm delectabilis ulli creaturæ ipsius capaci; ita quoque ex hoc capite videtur magis affligi debere voluntas illa, à quâ suâmet causâ perfectæ benevolentiæ amore diligitur; quàm alia, quæ amore concupiscentiæ propter seipsam, amore proprio non justo, sed irrationabili impulsa DEUM diligit, posito præsenti illius fruendi demerito. Quidquid sit, certum est, nullam aliam pœnam propiùs ad damnatorum pœnam accedere, & ad perpetuum à gloriâ cœlesti exilium, quàm illud exilium, quod per modicum licèt tempus, in Purgatorio sentitur. Unde credibile est; nullam aliam inter angustias illas frequentiùs audiri querelam, quàm hanc ipsam in hoc exilio motam: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est!* Longa est, quia videtur longa, & longa est, quia sæpissimè longa ipsa est; quemadmodum ex universali Ecclesiæ consensu colligere licet, quæ fundata in solatium defunctorum nonnullorum anniversaria approbat sacra, licèt ante centenos & centenos annos jam obiêrint. Hinc est, quòd spes, quæ aliàs miserorum omnium est solatium, ibi crudelissimus fit carnifex. *Spes, quæ differtur, affligit animam:* est enim voluntas instar accipitris, qui, si prædâ non potiatur, in se ipsum infelix vertit rostrum, dilaceratque, *Frustrata cupiditas, non perveniendo, quò tendebat, vertitur in dolorem.*

Bellar. l. 2. c. 14.

Abul. in Mat. c. 25. 561.

Vid. Bellarm. Purg. 9. l. 2.

Prov. 1. 2.

Aug. l. 21. Civ. c.

XII. Non ignoro, plures vestrûm ingentem hanc pœnam parùm apprehendere; quia præsenti tempore à DEO vos peregrinari, minimè doletis. Sed hallucinamini Charissimi, vósque ipsos decipitis. Tria sunt, quæ nos impediunt, ne à DEI conspectu elongationem nunc sentiamus. Primùm ab intellectu nostro objectis corporeis obscurato provenit. Infans adhuc in utero matris delitescens, nullatenus carceris sui sentit miserias; non queritur suas angustias; non tristatur propter solitudinem suam, non lamentatur, se ibi ad tenebras condemnatum jacere, dum tot alii clarissimâ diei luce lætantur. Verùm si homo judicio jam præditus, postquam visibili hoc Mundo aliquanto tempore gavisus fuit, novem mensibus intra

ma-

matris suæ viscera abscondi cogeretur, quis his ipsis visceribus carcer esset magis intolerabilis, quæ duriores catenæ, quæ compedes magis forent dolorosæ? At nos sumus velut infantes sensu privati, in naturæ sinu abstrusi, ideóque in tenebris nostris parum dolemus, Divinâ luce nos carere. Sed aliter sentiemus, postquam ex tenebroso hujus Mundi utero, in quo nunc vivimus, mors nos extraxerit. Tunc velut homines jam adulti, aliud feremus judicium, aliásque cogitationes habebimus
Cor. 11. & species. *Cùm essem parvulus, loquebar ùt parvulus, sapiebam ùt parvulus, cogitabam ùt parvulus, cùm autem factus sum vir, evacuavi, quæ erant parvuli.* Aquila quoque, quamdiu dormit, non apprehendit in tenebris se vinctam detineri. Sed si diei claritatem parumper illi ostenderis, prædámque proximam, quàm exilit, ut eâdem potiatur, quantopere laborat, ut se laqueo extricet, quantopere alias quatit, quámque dolet, si eum non possit diffringere? in veritate de hac solâ pœnâ audiuntur Beatarum illarum Animarum lamentationes, quasi in comparatione illius aliæ non essent
17. pœnæ: *In amaritudinibus moratur oculus meus.* Totum Jobi corpus vulneribus hiabat, imò totum corpus potiùs unicum solum erat vulnus; nihilominus, quia ille Animæ in Purgatorio pœnas dantis figura erat, intra omnia afflicta membra sua, nullum aliud tantum sentiebat dolorem, quàm oculus, cui summi illius & veri boni intuitus abscondebatur. *Cur faciem tuam abscondis? in amaritudinibus moratur oculus meus.* Job. 13. 24. Quasi diceret, hic est dolorum omnium maximus, hoc meum est martyrium, hæc mea sola est carnificina, quod te videre non possim, DEUS meus.

XIII. Nec solùm intellectûs nostri ignorantia nos impedit, quò minùs adæquatum formemus conceptum, quid sit Animas illas, tam pulchrâ DEI visione privatas esse; sed etiam secundo loco à voluntatis nostræ perversitate impedimur, quæ res solùm terrenas nunc amare consuevit. *Dom. Ienert. de Caus. Sympt.* Phrenetici, quia stomachus illorum ab alterius nocivi humoris redundantium sensu destitutus est, non patiuntur sitim. Vultísne scire causam, cur nunc tam parùm sitiamus DEUM? Ecce illam: Phreneticis similes sumus, tam mentis cæcitatem, quàm cordis repletionem spectando. Tales verò non jam sunt sanctæ illæ Animæ. Certò scitote, quemadmodum explicari non potest, quàm ferventer voluntas illarum in DEUM feratur; sic explicari non potest, quantopere affligantur, quòd non possint ad possidendum illum pervenire, ad quem possidendum tam sunt vicinæ, ut in tam desideratæ possessionis limine pedem jamjam figant. Calor est præcipuæ sitis ardentis causa: unde animalia, quæ parum habent sanguinis, quemadmodum sunt minùs calida, ita etiam minori urgentur siti. *Arist. Hist animal. l. 3. c. 6. n. 8.* His igitur animalibus nos similes sumus, qui dum nullatenus Divino ardemus amore (non dicam etiam, nos frigêre) magnæ illius

sitis

ſitis ardorem non ſentimus, neque etiam in illum vitæ fontem quaſi cervi diu currendo inflammati, nos immergere deſideramus. Non ita fecêre Sancti, è quibus quoſdam novimus, propter nimium amoris incendium, quod in ſe experiebantur, adeò deſideráſſe videre DEUM, ut identidem exclamârint, morior; quia non morior: morior, quia non morior: donec ignis abſconditi vehementiâ conſumpti, ex puro amore morerentur. Quare ſi amor Animæ poteſt fieri carnifex, etiam dum adhuc hujus corporis inhæret luto, à quo ſemper ad ima trahitur, cogitate, an non multò magis fieri carnifex poſſit Animæ jam à corpore ſeparatæ, hoc eſt, omni mole carentis, ab omni materiâ liberatæ, ab omni viliſſimorum ſenſuum illuſione immunis, animæ, inquam, quæ DEUM jam perfectè tanquam ſummum bonum cognoſcit, & quæ in illum non tantùm naturali ſuo intellectûs pondere fertur, qui, ut primæ uniatur veritati, creatus eſt; non ſola voluntatis inclinatione ſupernaturali, quæ ut ſummam beatitudinem aſſequatur, creata eſt, ſed multò magis immenſo illo Divinæ gratiæ pondere impellitur, quâ cor refertum habet.

XIV. Denique nunc non ſentimus, privatos nos eſſe DEO, quia nunc habiles non ſumus ad illum poſſidendum. Quæ Princeps fœmina, dum adhuc faſciis involveretur, unquam ad regias aſpiravit nuptias, aut unquam doluit, ſe ad eas pervenire non poſſe? Quis noſtrûm unquam queſtus eſt, ſe pro Rege non agnoſci? Profectò nemo: nullus enim dolet, ſe illum gradum non obtinere, ad quem nullam diſpoſitionem, aut jus habet. Sed ſi haberet, quanto non affligeretur dolore! fingite jam illuſtris alicujus familiæ primogenitum, dum eſt in procinctu ad thronum, jure hæreditatis ſibi debitum occupandum, poſt obitum Monarchæ Patris ſui, ſi ſe in carcere abſtruſum videret, mœrore & ſquallore marceſcere, quo animo tam horribilem fortunæ mutationem ferret? Hoc noſtro ſæculo defunctus Angliæ Rex regiâ ſuâ civitate Londino excluſus & exul, licèt per varias Europæ partes debitos ſibi honores deferri videret, nihilominus propter ſolum hunc titulum ſe infelicem putabat, quòd debitâ ſibi coronâ privatus eſſet. Nemo ergo miretur, ſi nunc non doleamus, nos DEO, ipſiúsque throno & theſauris carere, cùm ad illos poſſidendos non ſimus adhuc habiles. Verùm ubi Anima cognoverit, ſibi jam immenſi hujus dominii adeundi jus competere; ex alia verò parte videat, ſe in profundiſſimum conjectam carcerem, compedibus gravatam, catenis vinctam, ignis nunquam deficientis vinculis detentam, quis explicare poterit, quantopere miſeram ſuam ſortem deploret? Hæc eſt magna illa miſeria, quam tam vehementer apprehendit Salomon. *Quod alius natus in Regno, inopia conſumatur.* Ecc... Neque tunc Anima ſe delectare poterit, quemadmodum nunc unita corpori ſolet facere, dum deſideriis ſuis per diver-

diverſos divitiarum, voluptatum & honorum affectus diſtrahitur; ſed hoc unicum tantum deſiderabit, nimirum, DEUM intueri. Flumen in varios diviſum alveos lentiùs currit, ſecus, ſi uno ſolùm coerceatur. Sanctæ illæ Animæ, quia omnes voluntatis vires, in uno ſimplici deſiderio conſtringunt, incredibile eſt, quanto cum impetu in DEI deſiderati ſinum ſe effundant, quámque ideò pertæſæ ſint illius muri, & molis, qui illas in omnium bonorum Oceanum prohibent avolare.

III.

XV. Hic igitur eſt alter ignis, in quo Animæ, ſolatio deſtitutæ ardent, ignis nimirum ſpiritualis, in quo inexplicabilibus & incomprehenſibilibus pœnis contabeſcunt, quas non capiunt, qui ſummum bonum non amant, ſicut illæ. Nobis interim duplex ex hoc diſcurſu hauriendus eſt fructus; unus qui illarum, alter qui noſtram ſpectat utilitatem. Ideóque primus fructus, qui ad illas pertinet, vivaciſſimum debet eſſe deſiderium, quo ex magnis hiſce afflictionibus illas, fuſis precibus, eleemoſynis, jejuniis, flagris, Miſſas audiendo, aut fieri curando, liberare contendamus. Referunt quidam Authores, tam horrendam quondam fuiſſe peſtem, ut, quicunque eâ infectus erat, omnem perdiderit memoriam, ita ut etiam, cùm ſanitati redditus fuit, neque proprium patrem, aut matrem ampliùs
Vid. l. cognoſceret. At ego auſim dicere,
Bell. plures veſtrûm tali peſte infectos eſſe,
op. dum ampliùs, neque patrem, neque matrem cognoſcitis, ſed eos absque auxilio in flammis cruciari permittitis. Et ob illos ipſos in obitu ſuo tantas effudiſtis lacrymas, quos nunc adeò oblivioni traditis, quaſi nulla jam mortuorum vobis incumberet cura. Ita ut miſeri dupliciter ſint mortui, mortui in cadaveribus ſuis, & mortui in cordibus veſtris; poſsitque quivis illorum jure merito dicere: *Oblivioni* Pſ. 3. 13. *datus ſum, tanquam mortuus à corde.* Quamvis etiam nullâ ſanguinis conjunctione vobis proximi eſſent, inſignis eſſet crudelitatis, non velle tantis in anguſtiis illis opem ferre. Quantò magis igitur vos, qui adeò conjuncti ipſis eſtis, ſuccurrere tenemini? Ciconias ætate provectiores & infirmiores refert Sanctus Baſilius, à junioribus per aërem volantes ſuſtineri. In mari quoque Delphini viſi ſunt mortui ſocii ſui cadaveris, velut ſuccollare, ne in fundum decideret. Annon igitur immanis eſſet barbaries, & feritas inter ipſas etiam beſtias intolerabilis, miſeros illos tantis in pœnis à vobis conſpici, & nihilominus opem veſtram implorantes omnino deleri? forſan autem ad ſuccurrendum illis magni impendendi ſunt ſumptus! Imò hoc ipſum eſt, ex quo inhumanitas noſtra, erga ſupplices nobis mortuos apparet, videre ſcilicet, quàm exiguis noſtris impenſis illis poſſemus ſuccurrere, ſuccurrere tamen non velle. Hinc eſt; quòd non ſolùm eleemoſynas, jejunia, flagella, aliáſque devotiones magis arduas negligamus, quas in illorum gratiam ſuſcipere poſſemus,

Hom. 3. Hex.

mus, sed ipsas etiam Indulgentias omittimus, quæ plerumque sine incommodo nostro aut saltem absque notabili nostro sumptu, pro ipsis obtineri possent. Scio aliquem in celebris cujusdam templi incendio, in medias se librâsse flammas, eâ solùm de causâ, ut quasdam summi pretii picturas ab incendio eriperet. Et nos, si possemus, in medium, ut ita dicam, Purgatorium insilire deberemus, ut ab illis flammis, non mortuam aliquam telam, sed vivam DEI nostri imaginem liberaremus. Ita faciebat Sancta Christina Mirabilis, quæ invicto animo modò inter lapides molares, modò inter secures, jam inter rotas, aliquando in medias & ardentissimas fornaces se projiciebat, ut harum DEI Sponsarum aliquam ex implacabilibus hisce flammis & pœnis liberaret. Quanta igitur erit inhumanitas, illas ab hoc igne non eripere, cùm absque ullis sumptibus fieri possit? Solùm hoc agitur, ut illarum impensis relicta dono hæreditas edendo, vestiendo & quàm fieri potest, splendidissimè vivendo prodigatur, dum illæ suo damno patiuntur. Miser Josephus in famosâ suâ cisternâ vivus jacebat sepultus, & quid interim fratres ejus factitabant? circa cavernam sedentes bibebant & lætabantur, tanto crudiori animi duritie, quò viciniores fratris lamenta audiebant. *Bibentes vinum in phialis, nihil patiebantur super contritione Joseph.* Attamen licèt locus, in quo detinebatur miser Josephus, profundus fuerit, & tenebrosus, certè non crepitabat flammis. Nos verò multo immitiore crudelitate, dum consanguineorum nostrorum animæ, in profundissimarum flammarum puteo sepultæ jacent, circa illius oras agimus hilaria; ita ut ne minima quidem nobis incidat cogitatio eas liberandi, aut solatium adferendi, aut aquam ad ardores illarum extinguendos affundendi, licèt tanta illius nobis sit copia, ut etiam supersit. *Fratres mei præterierunt sicut torrens.* Eodem modo etiam ipsæ queri possunt, dum filii, aut fratres ipsorum instar torrentis, plurimorum bonorum affluentiâ exundantis, omnibus viribus, eadem augere student, ita ut ne quidem vel semel respiciant, illorúmque pœnas & dolores considerent; & licèt extranei non sint, sed domestici, nec unicam aquarum suarum guttulam ipsis offerant.

Surius. 14. Jun.

Amos. 6. 6.

Job. 15.

XVI. Saltem si ad tantillum debita his animabus charitas nos non movet, propriâ utilitate incitemur. Hic enim verus modus est amicos acquirendi, qui validissimo patrocinio suo nobis in necessitatibus nostris subveniant; quemadmodum illæ largissimè solent facere, eámque succurrendi facultatem DEUS illis concedit, ut hoc ipso constet, quàm gratum sit illi, has Electas Sponsas suas, dum in carcere detinentur, non ideo derelinqui. Juvat hic miserabilem referre casum, qui non multis abhinc annis contigit. Anno millesimo sexcentesimo vigesimo in confinibus Romanis vir erat, qui inter depravatos vitæ mores

Jan. ... cius E... empl. ...

mores specialem erga Animas, in purgantibus flammis detentas gerebat affectum, iisque frequentem ferebat opem. Contigit igitur, ut hic gravissimam quorundam inimicitiam sibi conflaret, ideóque timens vitæ suæ quadam nocte conscenso equo Tiburim versus properaret; hostium vim apertam effugiturus, non advertens interim, se fugientem in eorum insidias incursurum. Cognito siquidem Adversarii illius itinere, quatuor armis instructi, & retro colliculum quendam absconditi, advenientem in viâ exspectabant. Jámque periculo vicinior erat, dum ecce quercum offendit, è quâ latro in quatuor partes dissectus pendebat, non multò antè in viciniâ à Judice neci datus. Substitit ibi aliquantulum, ut aliquas preces pro defuncti animâ recitaret. Et ecce rem summè obstupescendam! Videt membra illa sub capite suo invicem de novo uniri, hominémque formari, qui cùm in pedes se erexisset, amicum accedit, apprehensóque equi fræno, placeat, inquit, tibi ex equo descendere, exspectaréque, nec abire, donec rediêro. Ne dubitetis, illum jussis exactè paruisse, nec se loco movisse, adeò enim horrore obstupefactus fuerat, ut ne quidem linguam ad respondendum solvere posset, multò minùs pedes ad fugiendum movere. Hæsit itaque, altérque equo conscenso iter prosequitur, donec post aliquot passuum intervallum, quatuor armatorum insidias incurrit, qui ob noctis obscuritatem inimicum suum rati, omnes in eum catapultas suas exonerant, videntésque humi prostratum, fugâ se abripiunt, ut fieri solet, antequam ictuum reboatu exciti homines accurrerent; certò à se occisum hostem suum rati. Exinde fictus hic mortuus, in pedes se erigens equum manu, in eundem locum deducit, ubi ejus Dominum subsistere jusserat, cui singulare à se præstitum significavit beneficium, dicendo, illi hâsce structas fuisse insidias, in quibus absque ullo dubio occubuisset, corpúsque cum Animâ perdidisset, nisi ipse nomine totius Purgatorii, optimè recognoscentis & benefactores suos remunerantis, opem tulisset. Videret igitur imposterum, qua ratione inimicitias sopiret, morésque emendaret. Quo dicto cadaver, ùt antè in quatuor partes divisum antiquum quercûs suæ locum repetiit, eúmque adeò toto animo mutatum reliquit, ut intra paucos dies strictissimæ Religionis habitum indueret, ad vitam sanctè in eâ finiendam, qui jam fuerat in periculo æternùm pereundi. Ecce quid sit benedictas illas Animas opportunis adjuvare suffragiis! Estne gratia tam proficua, támque prodigiosa, quam in necessitatibus nostris, ab illis sperare non possimus?

XVII. Verùm quæ esset illa inhumanitas, non illa solùm, quæ Christiana suadet charitas, non adferre auxilia, sed ne quidem illa, quæ justitia præcipit, exsolvere? An non videtis, quousque ad induranda talium hæredum corda crescat avaritia, ut nunquam antiquissimis etiam

legatis satisfaciant? Aut enim ultimas voluntates, pro arbitrio suo interpretantur, aut cavillantur, aut litigant; aut speciosa verba, sed sterilia obtendunt, utut interim, dum lites inter vivos foventur, mortuus ardeat; sed ardeat licèt, illi non affliguntur, qui potiùs de testamenti dolent oneribus, quàm de testatoris gemitibus. Alexander Magnus moriens Ducibus suis totam Monarchiam suam, in totidem partes dividendam hæreditate reliquit. Et tamen postquam mortuus est, triginta diebus instar bestiæ in terra insepultus jacuit, adeò intenti erant hæredes, huic divisioni faciendæ; quivis ex defuncti purpura pulcherrimam partem trahere cogitabat, nullam omnino cadaveris curam gerebat. Non videmus hisce temporibus avaram hanc immanitatem, erga defunctorum corpora exerceri; sed nimis frequenter, contra Animas renovari videmus, quas in igne desideratum exspectare cogimus solatium, quod nobis nimis durum videretur præstolari etiam in molli lecto, in quo non nisi leviter saucii, aut febri laborantes jaceremus. O quàm bene convenit his ille titulus, quem Sacri Canones attribuêre, vocando eos, *Egentium necatores!* Quòd si maritus uxorem infirmam relinquens, juxta Leges æstimari debeat eam occidisse. *Si maritus ægrotantem uxorem deseruit, idem est ac si occiderit*; Judicate vos, an non idem sit, infelices illas Animas derelinquere, ac occidere; quæ non in lecto plumeo ægrotant, sed in lacu flammis ardente torquentur! fateri necesse est, inter plurimos Christianos non solùm charitatem, sed fidem ipsam extinctam esse, cùm tam fera crudelitas etiam sine remorsu exerceatur. Et quis est, qui neget, eam non esse in usu? licet jam nobis præclara illa Davidis verba intentioni nostræ applicare: *Introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt.* Quia cùm sint tria hominis bona, quibus in vita fruitur, quasi sibi maximè propriis, corpore, Animâ, & fortunæ rebus; quoad corpus *introibunt* mortui *in inferiora terræ*, quia statim sepulturæ mandabuntur, ne ejus dilatione aërem inficiant. Quoad animam, *tradentur in manus gladii*, quia Divinæ Justitiæ vindicatrici tradentur, ut de peccatis commissis pœnas luant: quoad res fortunæ, *partes vulpium erunt*, quia bona illorum, quasi à tot vulpibus certatim dilacerabuntur, quot astuti & crudeles erunt hæredes, quibus quò plus erit ingenii ad testatoris mentem eludendam, tantò minus erit amoris ad eam implendam. Charissimi, si mortuos non amatis, saltem timete illos, & si ne quidem timetis, illum timete, qui totus pro ipsis stat. Vos scitis, quale sit illud judicium, quod DEUS reservat illis, qui Misericordiâ non sunt usi. *Judicium sine Misericordiâ illi, qui non fecit Misericordiam.* Et ex hoc colligite, quale cum iis futurum sit judicium, qui ne quidem justitia uti voluerunt. Nec satis est dicere: *faciam, sed nondum mihi commodum est.* Quia

L. si ab hostibus. ff. si vir. ff. solut. Matrim.

Psal. 10.

Jacob. 13.

Quia si semper durissimum fuit exspectare, judicare, quàm durum sit exspectare in carcere, exspectare in tenebris, exspectare in tormentis, exspectare in flammis, & in talibus quidem, quarum quodvis momentum potest dici hora, quævis hora annus, quivis annus sæculum novorum cruciatuum, ubi miseri clamant, & nemo respondet.

XVIII. Alter fructus ex hodierno Discursu hauriendus pertinet ad vivos, ut intelligant, quantum malum sit peccatum. O quàm grande speculum nobis est purgatorius ignis, in quo videmus, quo odio quodvis peccatum DEUS prosequatur! audeo dicere, ex Purgatorio meliùs, quàm ex inferno Divinam demonstrari Justitiam: aut saltem bene dixero, plus terroris nobis debere incurri, ab animâ paucis horis in flammis purgatoriis detentâ, quàm à plurimis animabus ad rogum infernalem, per infinita sæcula condemnatis. Qui sunt enim illi, qui Inferno puniuntur? Sunt homines scelerati, rebelles, sunt Rei læsæ Divinæ Majestatis, qui non solùm contra Dominum suum vertère arma, sed adhuc manum strictam exerunt, licèt illis utendi vires non habeant; & etiamnum implacabile, contra DEUM Creatorem suum odium gerant. Quis igitur miretur, si à Principe, tam impia mancipiorum temeritas puniatur? At Animæ in purgatorio sunt Sponsæ, sunt Filiæ & Amicæ DEI, quem plùs amant, quàm seipsas. Quòd nihilominus Justitia Divina nullam in ipsis maculam dissimulet, aut saltem parvâ aliquâ satisfactione non sit contenta, sed ignem velit adeò penetrantem, ignem materialem, ignem spiritualem, ignem, qui ne quidem infernalis abyssi flammis cedat, hic enimverò ingens est rigor! Exinde manifestum est, quàm magna sit DEI Sanctitas, & hoc ipsum sufficit ad cujusvis Sapientis mentem terrore replendam. Quot reos Philippus secundus Hispaniarum Rex ad mortem condemnavit, attamen nulla sententia tantopere subditos illius exterruit, quàm illa, quâ Carolum primogenitum suum morti adjudicavit, nulláque majori cum fundamento Nomen Justi, illi promerita est.

XIX. Denique considerare oportet, non solùm Animam dilectam, tanto cum rigore à Divinâ Justitiâ puniri, sed etiam sæpiùs ab Animâ triumphante pœnas exigi. A Victore exercitu spoliorum reportatorum rationes ad assem non petuntur; multò minùs à Duce illius. Et quamvis fisco non desint easdem petendi causæ, dissimulat tamen, illorúmque victrici gloriæ preciosa vasa & vestes relinquit, quibus aliàs thesauros regios ditare posset. At cùm coram Divino tribunali Anima comparet, quæ plures populos, quàm omnes simul Apostoli ad fidem converterit, ubi tot inter animarum lucra, tótque inter laureas, quibus triumphans gloriatur, unicâ solâ peccati venialis maculâ inquinata esset, certam hujus peccati vindictam DEUS exigeret, altúmque clamaret Divina Justitia, *redde quòd*

debes, & hoc, *usque ad ultimum quadrantem.* Non pecuniam, quæ nullius est pretii, sed crudelissima & terribilissima tormenta, quæ unquam pro reorum supplicio, non dico à quovis judice, sed ne à quocunque etiam Tyranno excogitata sunt, sustine. Præcipiunt quidem Leges civiles, ut veteranorum militum filii, si deliquerint, puniantur, sed multò mitiùs aliis; quasi in gratiam parentum, qui non semel, sed sæpè sæpiùs, pro salute Reipublicæ vitam suam exposuerint, non sit ullum filiorum delictum, quod si veniam sperare non possit, mitiorem saltem sententiam obtinere non valeat. Quare igitur tanti rigoris est Divina Lex, ut in nullâ re cum sanctis illis Animabus conniveat, quæ licèt peccaverint, sunt nihilominus supremi illius Archistrategi JESU Filiæ, qui pro humani generis salute triginta tribus annis infinitis vitam suam periculis exposuit, tandémque se in mortis gremio generosè sacrificavit.

I. Honor. c. 1. de Pœnis.

XX. Adhæc in istis flammis peccata lacrymis deleta, imò etiam condonata puniuntur, ibi enim pro reatu illo, quem peccata etiam remissa post se reliquerunt, satisfacere oportet. Unde apparet hoc modo non solùm peccata, sed etiam vestigia ab illis relicta puniri; quod horrendæ illius malitiæ est indicium, quâ peccatum turget, odiique illius ineffabilis & imperceptibilis, quod DEUS gerit, non solùm ubi illud actu præsens intuetur, sed etiam ubi illud fuisse novit. Quàm venenosus esset ille Draco, ob quem omnia loca, per quæ transiit, in cineres redigi necessum esset! Talis Draco est peccatum, de quo, ut ad vivum ejus depingatur malitia, quid pejus dicere possim, ignoro. Attamen plures inter vos adeò excæcati inveniuntur, qui peccare pergent, nec propriæ animæ timebunt infligere vulnera, quorum, Fide docti, non nesciunt etiam cicatrices acerrimos allaturas dolores.

XXI. Tandem ut malitiæ, quæ est in peccato, abyssus intima penetretur, sciendum est; rigorem hunc Animabus illis non solùm non videri nimium; dum in flammis detinentur ad culpas suas exsolvendas, sed etiamsi à DEO ad gloriam nondum purgatæ vocarentur, instantissimè peterent, ut priùs tali igne mundarentur. Quod indubitâ explico similitudine. Nobilis Virgo magni cujusdam Domini nuptiis destinata, dum è patriâ ad aulam regiam evocatur, fœdissimâ, præcipuè in manibus & facie, dum est in viâ, scabie corripitur. Putatisne illam, quibuscunque etiam precibus ejus videndi desiderio ardens sollicitares Sponsus, inducendam, ut Regiâ compareat, ejúsque fœditas ab aliis nobilibus fœminis conspiciatur? Minimè profectò. Humiliter responderet, séque excusando tempus pro munditie & priore pulchritudine recuperandâ peteret. Ita quoque ego mihi imaginor, quòd si per impossibile Justitia Divina permitteret, ut Anima, jam ad Regis regum nuptias destinata, absque ulla præcedente ignis pur-

purgatione ad cœlestem gloriam evocaretur, eam ipsam animam, dum culpâ aliquâ, licèt etiam leviore, se inquinatam videret, invitationi restitutam, instantissiméque supplicaturam, ut priùs igne mundaretur atque adeò quasi instar auri omnem scoriæ permixtionem in eo deponeret. Quid existimatis Charissimi? Ignis purgatorius non solùm ex Justitiæ Divinæ sed etiam Clementiæ ejusdem ordinatione creatus est. Quandoquidem, quemadmodum inquit Sanctus Augustinus, ignis ille Divini amoris supplementum est, qui deest Animabus illis, quæ è Purgatorio, ad cœlum ascendentes à flammâ ad flammam transeunt: transeunt à flammâ, quam pœna mundans comitatur, ad flammam, quæ ceu præmium illas consolatur, totásque mediante charitate interminabili in DEUM transformat ac beat. *A flammâ ad flammam, à flammâ castigante in flammam beatificantem.* Miseros igitur nos, subjungit Sancta Catharina Genuensis, si DEUS pro remediis nobis curandis intentissimus, proprium infirmitatibus Animæ nosocomium non constituisset. Verissimum est, ignem purgatorium convalescentium esse nosodochium; in illo enim post peccati infirmitatem vires restaurantur, támque gravis morbi reliquiæ auferuntur. Talis equidem locus maximè necessarius: Anima enim fidelis à corpore separata, tantam inter DEUM & peccatum videt aversionem & antipathiam, ut, si illa licèt leviter infecta esset, in qualecunque incendium se præcipitaret dolorosissimum, ut mundaretur potiùs, quàm ut tali cum maculâ coram DEO in cœlis compareret.

XXII. Interim ad hæc quid dicitis, Charissimi? Quomodo est possibile, ut quandóque tam parvi peccatum mortale faciatis, dum peccati etiam venialis, tam grandem videtis esse malitiam, imò, ut ita dicam, etiam ipsam peccati umbram, id est, reatum ipsius adeò detestandum esse? an nondum cæcitatem vestram obstupescitis? an nondum oculos vestros aperire, & ad meliorem vitæ frugem vos recipere desideratis? Quare permittite mihi, ut hodie Jeremiæ verbis admonitos vos hinc dimittam. *Scito & vide, quia malum & amarum est, reliquisse te Dominum DEUM tuum.* Jerem. 2. 19. Tandem aliquando, O peccatrix Anima! hanc de odio erga peccatum Lectionem apprehendito, quam Justitia Divina tibi præscribit, cujus documenta tam sunt conspicua, ut demonstrationes vocari possint. *Scito & vide.* Si non apprehendis, quantum malum sit DEUM relinquere, saltem ex hoc collige, dum vides, quàm amarum sit DEUM reliquisse. *Scito & vide, quia malum & amarum est, reliquisse te Dominum DEUM tuum.* Hîc manifestè vides, quàm in cœlis se amabilem, quàmque terribilem se exhibet in Inferno, tam æquè admirabilem se ostendere in Purgatorio. *Miserabiliter me crucias:* Job. 10. 6. Dum non suos Rebelles, sed Fideles amicos tam prodigioso igne cruciat; non solùm postquam illum amavêre, sed etiam dum tantopere ab illis amatur, dúmque

que quasi uvæ electæ, quò magis sub gravissimo premuntur torculari, tantò amæniores laudis & benedictionis proferunt liquores; licèt ipsis ideò ne minimum quidpiam rigoris & pœnarum amicitiæ gratiâ remittatur. Ex dolore igitur vulneris addiscite, quantum sit separationis malum ab illo productæ. *Scito & vide, quia malum & amarum est, reliquisse te Dominum DEUM tuum.* Qui magnam hanc veritatem in Purgatorii scholâ addiscere non volet, tanquam auditor stupidus, & obtusi cerebri, discipulus dimittatur, abeátque ignorantiæ suæ effectus in infimâ infernalis abyssi scholâ experturus; ubi in æternum intuebitur, quod hîc intelligere non voluit. *Evigilabunt in opprobrium, ut videant semper.* Dan. 12. Urinatores nunquam meliùs vident, quàm quando in maris fundo ambulant. Eodem modo omnes hujusmodi ignorantes, in profundissimis sepulti flammis, à pœnarum suarum amaritudine peccatorum suorum malitiam agnoscere cogentur. *Scito & vide, quia malum & amarum est, reliquisse te Dominum DEUM tuum.*



DISCURSUS XXI.

Passio Christi ostendit, quantum malum sit peccatum.

I. DUobus in hoc Mundo diluviis, uno aquarum, altero dolorum, Divina Justitia suffocare voluit peccatum. In primo Diluvio aquæ adeò montium vertices transcendêre, ut, exceptis octo personis, tota generis humani vita submersa fuerit. In secundo, quod non fuit aliud, quàm Christi Passio, tot, & tanti dolores simul juncti fuerunt, ut ipsa DEI vita submersa fuerit. Sed unde quæso tanta in primo diluvio aquarum copia, & unde tot, & tanti in secundo dolores? Primæ illius aquæ partim de cœlo disruptis ipsius cataractis delapsæ sunt, partim è mari antiquos terminos suos transgrediente ascenderunt, partim ex ipsius terræ sinu, supra quam vastissimi illius abyssi fontes in visceribus suis inclusi regurgitârant, provenêre. Eædem istæ secundùm proportionem sunt horribilissimi illius dolorum diluvii origines, quibus Redemptoris nostri vita, in Passione sua submersa fuit. Partim provenerunt è cœlo, hoc est, à Divinâ Justitia: partim ex mari, hoc est, ab hominum in perniciem Christi conjuratorum crudelitate; partim ex sinu ipsiúsmet terræ exundantis, hoc est, à dulcissimo JESU corde, quod ut redemptio nostra esset copiosissima, amorem suum omnium crudelissimum sibi

Isai. c. 1. var. c. 6

ſibi voluit eſſe carnificem. Has tres immenſorum illorum cruciatuum origines, quæ corpus & animam Filii DEI, ut ita dicam, ſuffocârunt, hodie aliquo modo iniquiremus; metiemúrque, ut ex dolorum Chriſti multitudine inexplicabilem peccati malitiam intelligamus, in cujus deſtructionem primariò exantlati fuerunt. A primâ cauſarum illarum, magis intimâ & immediatâ, incipiamus.

I.

II. Prima aquarum illarum, quibus in diluvio terra ſubmerſa eſt, ab ipſâmet terrâ provenit origo, in cujus ſinu ſub rerum initio ingentem incluſit copiam; fortè ob illum ipſum finem, ut quandoque Mundum exemplari ſupplicio à flagitiis ſuis emundaret: *Rupti* …1. 7.
ſunt omnes fontes abyſſi magnæ. Eodem modo primam ſcaturiginem immenſorum illorum dolorum, quibus Sacroſancta Redemptoris noſtri Humanitas oppreſſa fuit, ab ipſiúsmet ſinu ortam eſſe dicere licet; eúmque ad ſubmergendam ipſámmet Humanitatem horribiliſſimo pœnarum torrente, tenerrimâ corporis ſui conſtitutione fortiſſimíque amoris ſui robore uſum fuiſſe. Imprimis delicatiſſimâ corporis ſui uſus eſt conſtitutione, quæ, cùm unica ſit in genere ſuo, nequaquam eam ſilentio præterire oportet. Conſiderate igitur Chariſſimi, pulcherrimam corporis humani fabricam, quam unquam DEUS produxit, fuiſſe illam, quam inter mortales ha-
…8. 1. bitaturus pro ſe ædificavit. *Sapientia ædificavit ſibi domum.* Sive enim hujus fabricæ materia, ſive architectus, aut diſpoſitio, aut inquilinus ſpectetur, ex omnibus hiſce capitibus cuivis habitationi corporeæ, unquam in terris viſæ, longiſſimè præfertur, & propter easdem cauſas deinde in Paſſione pariter abſque menſurâ Redemptoris noſtri dolores & cruciatus augentur.

III. Primò Sanctiſſima corporis hujus materia ex puriſſimo MARIÆ Virginis Sanguine deſumpta fuit, ideóque quis effari poterit, quàm tenera inde effecta fuerit conſtitutio? ob hanc teneritudinem videtur ſub Davidis perſonâ ſibi Chriſtus attribui permiſiſſe tenerrimi vermiculi titulum. *Tenerrimus ligni vermiculus.* Dictus fuit vermis, quemadmodum de ſe ipſo ſenſit Chriſtus, qui tam exigua calamitatum ſuarum commiſeratione cujuscunque conditionis homines videt, ut de ſe affirmare potuerit, ſe potiùs vermis, quàm hominis ſpeciem habere. *Ego autem ſum vermis, & non homo.* Pſ. 21. 7.
Imò vermis ſummè tener dictus fuit, qualis qui in antiquo naſcitur ligno, *tenerrimus ligni vermiculus*, ut tenerrima illa, de quâ loquimur, conſtitutio ſignificetur, idem enim eſt, talem attingere vermiculum, ac conterere. Et hanc ob cauſam Sanctus Bonaventura auſus eſt affirmare, corpus Chriſti in plantâ pedis magis ſenſitivum fuiſſe, quàm noſtrum in ipſis pupillis.

IV. Inſuper ad hanc materiæ præſtantiam acceſſit Architecti eminentia, qui fuit Spiritus Sanctus, è cujus manibus corpus illud Divinum, prodigioſum illud opus, immediatè pro-

1. Reg. 24.

venit. Insignis est Sancti Thomæ observatio, res à DEO miraculosè productas in genere suo perfectiores esse, quàm si modo ordinario prodiissent. Hinc est, quòd manna Israëlitis in deserto missum, vinúmque invitatis ad nuptias in Canâ ex aquâ conversum, nec non panes in deserto multiplicati, omnia naturæ dona perfectione suâ superârint. Ratio autem est, quia defectus in operibus omnes à causis secundis proveniunt, quæ respectu DEI sunt; quasi manuales operarii. Unde quando à solâ causâ prima producuntur, necesse est, ut omni careant imperfectione. Quo posito dicendum est, si constitutio corporis JEsu Christo dari non potuit non esse perfectissima, (velut solum summi opus Artificis) non potuit non esse etiam sensibilissima; unde argumentantur Philosophi, & inferunt, quò melioris corpus humanum est temperaturæ, tantò vivaciorem & nobiliorem illi inesse sensum tactûs.

V. Quod si deinde finis, ob quem talis corporis fabrica producta fuit, spectetur, singularissimum illum fuisse videbimus; nimirum, ut multa pati posset, qui finis in nullius alterius constructione, unquam, saltem directè, intentus fuit. Ideóque quemadmodum DEUS, cùm omnes aquas simul congregare voluit, quæ antea liberæ super terram ferebantur, finem effecit capacissimum, quem nos mare nominamus; ita quando in solâ Christi Passione omnes dolores voluit colligere, corpus ad omnes illos in eo recipiendos aptissimum, quasi abyssum quandam, in hunc usum à se excavatam, effecit.

VI. Anima denique ipsius Sanctissima corporis perfectionem, cúmque perfectione ad omnes dolores aptitudinem auxit, cujus excellentia in ipsum corpus, jam per se adeò bene formatum, redundabat. Homines subtilioris ingenii tactum habent delicatiorem, & econtra quò rudioris sunt indolis, eò obtusioris sunt sensûs. Quare cùm Anima Christi sublimissimæ menti suæ summè propor- *Ari* tionatum exigeret corpus, necesse *l. 2.* fuit, ut etiam virginalis ipsius carnis *Ani* constitutio fuerit sensibilissima; con- *c. 15.* sequenter quoque tactus delicatissimus, qui tam nobilibus in hac domo operationibus instrumentum esse debebat, ubi Sapientia increata corporaliter habitare decreverat. Neque solùm exteriores, sed etiam interiores sensus eâdem de causâ debebant esse perfectissimi. Quapropter quis eloqui potest, quantopere appetitus ad concipiendam de omnibus potentiarum inferiorum adversitatibus tristitiam fuerit dispositus, ita ut tantundem ipse ex reflexo dolore; quantum illæ ex directo, pateretur? Profectò nemo est inter nos, qui perfectè concipere possit, quantum hæc omnia ad affligendum Redemptoris corpus contulerint. Meliorem Christo titulum attribuere non possumus, quàm cùm Virum dolorum appellaverimus. *Virum dolorum & scientem infirmitatem.* *Is. 5.* Quibus terminis Isaias significare voluit, sanctissimam illam Humanitatem totam à doloribus ex omni

ni parte penetratam & afflictam fuiſſe; cùm cor ampliſſimum acceperit ad omnes ſimul cruciatus, quaſi arenam maris, complectendos, corpúſque quaſi vaſtiſſimum ſinum, artefactum ad omnes pœnas recipiendas, licèt etiam
10. fluminum inſtar irruerent. *Corpus autem aptâſti mihi.*

VII. Ecce igitur quomodo ad explendum amabiliſſimi Redemptoris noſtri Paſſionem pretioſiſſima, puriſſima, & delicatiſſima ipſius membra adhibita fuerint, quæ ob teneritudinem ſub ſymbolo lapidis oculis re-
3. pleti nobis propoſuit Zacharias. *Super lapidem unum ſeptem oculi;* ut ſignificaretur Virgineam Chriſti carnem inſtar pupillæ ſenſitivam eſſe, quemadmodum dicebat Sanctus Bonaventura, ſimúlque quaſi lapidem percuſſam eſſe. O ſi vobis hæc duo innocentiſſimi Corporis JESU extrema imaginaremini, pupillæ ſcilicet teneritudinem, & lapidis, quam patitur, percuſſionem, quomodo eſſet poſſibile, ut ampliùs tam alacriter peccaretis? Chriſtus Crucem humeris geſtans, tótque toto corpore affectus
ita vulneribus Sanctæ Catharinæ Genuenſi apparuit, ut inſtar pluviæ undique ſanguis decideret. Aſpectus hic tam lacrymabilis adeò vehementem in ſanctæ illius Animæ corde excitavit dolorem & amorem, ut quaſi extra ſe rapta clamârit: Amor meus, non ampliùs peccabimus, amor meus non ampliùs peccabimus! Verùm hæc nos non conſideramus, ideóque non commovemur; quaſi nihil omnino nos concernerent.

VIII. Magnam hucusque dolorum Chriſti originem oſtendi. Verùm ſi, quaſi abyſſum, immenſi hujus diluvii ſcaturiginem aperui, non adeò auſim dicere à me abyſſum magnam inventam eſſe. *Rupti ſunt fontes Abyſſi magnæ.* Magna illa abyſſus eſt cor Chriſti JESU, ubi amor illius reſidet, à quo plusquam ab aliis omnibus magnus ille torrens ſupra ſacroſanctam ipſius humanitatem effunditur, à quo hæc etiam ſubmergitur. Omnis animæ dolor ab amore proficiſcitur. *Amor* *S. Aug.*
eſt cauſa triſtitiæ. Quare ſi cruciatus, *de civ.*
quos voluntariè Redemptor noſter in *DEI. l.*
Paſſione ſuâ ſubîit, intelligere aliquo *14. c. 7. & 9.*
modo volumus, neceſſe eſt, ut nonnihil incomprehenſibilem illius Charitatem capere conemur. Tantum Chriſtus doluit, quantum amavit; quare ſicut impoſſibile eſt unquam plenam amoris illius aſſequi cognitionem, quem tam erga Patrem cœleſtem, quàm erga hominem à ſe ſalvandum geſſit, ſic non eſt poſſibile, unquam plenam ſublimiſſimæ Paſſionis iſtius habere cognitionem, quàm, ut Patri obediret, hominémque juvaret, promptiſſimè acceptavit. Conſiderabat peccatum, quaſi bicipitem inferni hydram, quæ capite uno honorem Patris admordebat, altero ſpiritum hominis intoxicabat. Quia verò Redemptor noſter utrique huic vulneri remedium adferre ſtatuerat, omnes & immenſas magni cordis ſui vires, ut utrúmque conſequeretur, adhibuit. Quoad Patris ſui cœleſtis honorem, credite maximam, quæ in Mundo reperiri poterat, hanc fuiſſe perverſitatem, Peccatum nimi-

rum tam fœdam DEI injuriam à nullo unquam homine tot sæculorum decursu sufficientibus fuisse lacrymis deploratum, expiatúmque, neque huic calamitati alium præter Christum mederi potuisse. Quare necesse erat, simul summam in peccato latentis Malitiæ apprehensionem ad dignè de eo dolendum, summámque dolendi capacitatem conjungere. Et hæc conjunctio, neque in cœlis, neque in terris, sed in solo Christi corde sperari potuit. Beati in cœlo clarè DEUM cognoscentes, eadem claritate etiam quasi infinitam cujuscunque injuriæ illi illatæ malitiam intuentur; sed nullo modo eam deflere possunt; cùm neque lacrymæ, nequæ lamenta in cœlo locum habeant. *Neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà.* Apoc. 21. 4. Si unquam dolor aliquis cœlum intrare posset, audeo dicere, eum acriorem fore, quàm in Inferno. Beati siquidem videntes, quàm magnus sit DEUS, & quanto propterea dignus sit amore, inexplicabili affligerentur cruciatu, dum peccatores adeò in DEUM injurios intueri cogerentur. Et quia dolor amori illorum corresponderet, ideò omnem, quam Damnati in Inferni patiuntur, pœnam superaret. Ex aliâ parte, quia homines, tristitiæ capaces, non nisi imperfectè magnitudinem DEI cognoscunt, de injuriis etiam illis non nisi imperfectè dolere possunt. Quare ad monstrosum hunc defectum tollendum, qualis erat, sicut dixi; Divinæ Majestatis injuria, quam nemo saltem sufficienter aut deplorabat, aut detestabatur, in Christo Beatitudo simul & passibilitas conjunctæ fuère, adeóque cognitione & dolore in illo unitis, effectum est, ut ipse quemadmodum homo & viator contristari potuerit, & sicut Beatus & comprehensor, perfectâ, quam de DEO habuit cognitione, de facie ad faciem illum intuendo, dolorem immensum concipere. O quanti momenti sunt hæc, ut vivaciter intelligantur! O quàm profunda sunt mysteria! sed in his absorbetur mens humana, cui id, quod Ezechiëli Prophetæ, contingit, cui vix aliquot passibus rapidum torrentem ingredienti, jam ad ipsum guttur usque aquæ ascenderant.

IX. Alterum summi in Christi corde doloris caput fuit amor erga hominem, quem immenso & infinito ardore dilexit, id est, eâdem ipsâ charitate, qua Patrem suum amabat. Quare observare oportet, mentem Christi incomprehensibili gloriæ lumine illustratam, duo suæ indicibilis in hominibus tantopere à se dilectis displicentiæ objecta clarissimè cognovisse, peccatum scilicet, & damnationem, quæ cognitio pro charitatis suæ proportione illum mirum in modum affligebat. Quando Josue infelicem Achan lapidari præcepit, adeò unanimiter totus, ad sententiæ executionem, confluxit populus, ut quilibet lapidem suum in eum projecerit. Hinc Scriptura refert. *Lapidavitque eum omnis populus.* Jos. 7. 25. Quod tunc à populo Hebræo factum est contra reum illum, ab omnibus etiam hominibus contra innocentissimum JEsum perpetratum est. *Lapidavítque eum omnis*

omnis populus Israël. Quotquot fuerunt homines, sunt, & erunt, lapides suos, hoc est, peccata sua, in Redemptoris sui cor projecerunt, qui, quoniam pro omnibus humani generis iniquitatibus satisfacere voluit, pro cunctis, quasi suæ propriæ essent, pœnas subire voluit, & re ipsa è cruce pendens proprias nominavit, dum à Patre pro nobis omnibus veniam flagitavit, séque quasi reum ad solvenda debita obtulit, ut innocentiam perditam nobis recuperaret. *DEUS,*
1. *DEUS meus, quare me dereliquisti? longè à salute meâ verba delictorum meorum:* Fuerunt hæc verba Psalmi à Christo dicta illi adeò propria, ut credibile sit, eum illa sub ultimam horam è Cruce pendentem omnia recitâsse. At quis jam verbis exprimere poterit, quàm acerbus fuerit hic Redemptoris nostri dolor, quando fœdissimis omnium peccatorum fæcibus, jam præteritorum, præsentium, & futurorum, se onustum & conspurcatum vidit? Quantus horror non incuteretur fœminæ illustri, inter flores & fragantissimos odores educatæ, nititissimis assuetæ linteis, nec aliis quàm purpurâ & auro contextis utenti vestibus, si fœdissimam, & modò leproso detractam, totámque manantem sanie cogeretur induere subuculam? Cogitate igitur, quales Sanctissimam Christi animam invaserit horror, quando ineffabili suo coacta amore non leprosi indusium, sed omnium hominum peccata, hoc est, ipsissimam illorum lepram suscepit? At qualem lepram? Lepram omnium fœdissimam, fastidiosissimam, quæ possit in Mundo videri, lepram nimirum diabolicam! Unum solum peccatum coram DEO abominabilius est, quàm omnium vulnerum immundities, quàm omnium cadaverum sanies, quàm omnium fœtorum colluvies. Quamobrem considerate, quàm abominabilia sint omnia peccata simul sumpta? vix ea, quæ in una civitate intra unius anni spatium committuntur, numerari poterunt. Quid erit de illis, quæ in toto Mundo, non uno tantùm anno, sed toto illo tempore, quo humana duravit, durabítque generatio, perpetrantur? Quàm multò libentiùs Christus vestem scorpionibus & serpentibus contextam induisset, quàm ut coram Patre suo cœlesti sceleribus nostris onustus compareret? Certùm est, Christi Animam cunctis & naturæ, & gratiæ viribus tam vehementer ad hominum peccata deflenda commotam esse, ut si omnium pœnitentium afflictiones, & dolores in uno quodam corde uniti essent, Christi doloribus comparati, minùs forent, quàm aquæ gutta cum omnibus Maris undis collata. Attamen non ignoramus, à quibusdam pœnitentibus tanta tum contritione culpas suas deploratas fuisse, ut cùm transfixorum cordium vulnera sufferre non potuerint, solo dolore extincti sint. Imò audite, quos Beata Maria Ognatensis pro peccatis etiam non suis effectus experta fuerit. Refert de illa Jacobus de Vitriaco Cardinalis Confessarius ipsius, cùm esset semper hilaris, cunctisque humanis vicissitu-

dinibus plus, quàm Olympi vertex omnibus tempestatibus & turbinibus superior, ubi audiebat, ab aliquo DEUM peccato offensum fuisse, ad mortem usque contristatam fuisse, tantásque fudisse lacrymas, ut visum perdendi periculum subiret. Quodam igitur die dum per urbem Nivellensem ambularet, viderétque publica aliqua in eodem loco scandala, talem sensit afflictionem, ut propter singultus vix non in frusta cor ipsius rumpi debere visum fuerit; & quod ampliùs est, non tantùm interiùs, sed etiam exteriùs adeò dolore illo cruciata est, ut pro pungentibus nudorum præsertim pedum plantis, quibus infectam illam terram attigerat, remedium non invenerit, donec à vocatâ puellâ domesticâ, accepto cultro valde acuto, dictarum plantarum pellem resecuisset, solóque dein pedes suâ nudatos pelle crebriùs allisisset; atque hoc modo tandem illo dolore liberata fuit, qui vehementiam vulneratorum pedum longè superabat. Si Christus Dominus propter peccata nostra etiam non acutiores sensisset dolores, quàm hæc ipsius sensit famula, an non res foret
S.Tho.3. satis obstupescenda? Attamen, sicut
p.q. 46. dixi, si omnes pœnitentium lacrymæ
ar.6. ad aut contritionis, aut Zeli motivo ab
4. innocentibus effusæ usque ad Mundi finem conjungerentur, aliam non haberent cum dolore Christi proportionem, quàm illam, quam cum ipsius charitate haberent; & consequenter non esset aliud, quàm pauculas nubium stillas, cum imbre aut nimbo effusissimo comparare. In hujus solius pœnæ consideratione, omnes reliqui Passionis Redemptoris nostri dolores omnino leves videri possunt. Quare sicut mus ponticus mavult mori quàm fœdari, ita Salvator noster libentiùs pluries acceptâsset mortem subire, quàm abominabiles nostras in se suscipere iniquitates, quæ in ipsum, sicut dixi, quasi propriæ congestæ fuerunt. *Posuit Dominus in eo iniquitatem om-* Is. 53.
nium nostrûm.

X. Alterum summi horroris objectum in Christi Animâ, fuit tot & tantorum hominum damnatio, culpâ suâ Passionis fructu se privantium, quemadmodum propriâ culpâ tot & tanti in universali diluvio ab Arcâ exclusi fuerunt. Quando Christus decem leprosis sanitate redditâ, vidit unum solum redeuntem sibi gratias agere admirans dixit: *Nónne de-* Luc.
cem mundati sunt, & novem ubi sunt? 17.
Et tamen illorum sanitas, non nisi verbo constitit Salvatori. Quantum igitur affliget illum, imò acerbissimum adferet dolorem, videre ex toto humano genere jam Sanctissimo Sanguine suo lavato, fortè ne decimam quidem partem efficaciter ad DEUM redituram, ut aliquando in cœlis debitam illi reddat gloriam! Constantino Imperatori suasum fuit, ut ad tollendam lepram calido ex infantium occisorum sanguine parato sibi balneo uteretur. Verùm consilium illud caruit effectu, Imperator enim Baptizatus multò meliùs sanctificatæ illius aquæ virtute convaluit, quàm si crudeli illâ lotione usus fuisset. Fingite igitur, illum Medicorum

suo-

ſuorum, aut, ut meliùs dicam, homicidarum ſequentem conſilio tot infantes trucidari juſſiſſe, quot ad balneum tale erant neceſſarii, negari non poteſt, ob hanc funeſtam ſtragem matres extremis afficiendas fuiſſe doloribus. Sed nihilominus tandem ſolatium videntur potuiſſe admittere, ſi Conſtantinus inde ſanitati reſtitutus fuiſſet; exiſtimâſſent enim effuſum filiorum ſuorum ſanguinem, ex quo tam grandi Monarchæ reddita fuiſſet ſanitas, pro bono publico conſecratum eſſe. Verùm imaginemini vobis, paratum jam hoc crudele balneum, Conſtantinum intrare recuſâſſe, & absque ulla tanti ſanguinis pro ſe effuſi curâ habitâ, in conſpectu Matrum illarum, leprâ ſuâ extinctum fuiſſe: An non ex hoc capite ſummum dolorem illarum incrementum capturum fuiſſe exiſtimabitis, ita ut ſolatium non fuiſſent admiſſuræ? Erítne tantus ſanguis, tam innocens & incontaminatus in vanum effuſus? Chariſſimi mei, quas hic adfero comparationes, ne ex minimâ quidem parte, nec injurias ab innumeris peccatoribus Chriſto illatas, propriâ culpâ ſuâ ipſius meritorum fructu ſe privantibus, séque ipſos damnantibus, nec Salvatoris explicare queunt mœrorem, hanc ab ipſis iniquitatem commiſſam, damnationémque petulanter accitam prævidentis. Hos omnes per Prophetam queritur plurimum doloris addidiſſe vulneribus ſuis, *ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt*, ſed non dicit, quantum addiderint, adeóque indefinitum reli-

[Psal.] 68. [2]1.

quit, cùm plena illius intelligentia debilitatem mentis noſtræ longè ſuperet. Si temporalem Hieroſolymæ interitum tantopere deflevit; *Videns civitatem flevit ſuper illam, dicens: quia non relinquent in te lapidem ſuper lapidem.* Judicate quantopere non unius civitatis temporalem ruinam, ſed tam magnæ hominum partis æternam damnationem deplorârit! Et quidem tantò magis, quòd hæc omnia clara & diſtincta coram Divinæ mentis ſuæ oculis lumine gloriæ illuſtrata apparerent. Quare quemadmodum Joſephus, poſtquàm agnoverat fratres ſuos, eòsque magno amoris exceſſu erat amplexus, ſupra quemvis illorum flevit: *Ploravit ſuper ſingulos.* Ita Redemptor noſter, cùm omnes homines & ſingulos, qui ſe ipſos damnarent, cognoſceret, & plus, quàm fratres ſuos diligeret, ſuper quemvis illorum multò juſtiorem flendi cauſam habuit, quàm Joſephus, qui ob fratres, quos perditos rebatur, jam præſentes præ nimio gaudio flevit; cùm econtra Chriſtus præ nimio dolore æternùm illos perditurus lachrymaretur. Mater illa, quæ poſt longas pariendi difficultates & dolores videt formoſum ſe in lucem infantem edidiſſe, tota lætatur, nec priorum anguſtiarum ampliùs recordatur, *non meminit preſſuræ propter gaudium.* Sed alia, quæ ex puro animæ fatiſcentis deliquio plus, quàm ſemel moritur, nec exſpirat, ubi mortuam à ſe prolem in lucem datam eſſe advertit, ah! quàm lamentatur, tot à ſe dolores inutiliter exhauſtos fuiſſe, omnéque ſolatium renuit!

Luc. 19. 41.

Gen. 45. 15.

Joan. 16. 21.

renuit! Potuit, non nego, ob ingentem Electorum numerum, quos æternæ gloriæ cruciatibus suis se peperisse videbat, Redemptor noster exultare; sed quemadmodum ad dolores suos mitigandos nullum petiit solamen, ita oculos suos tantùm in illos defixit, plures suâ sponte perituros, ideóque sæpiùs ingemiscens hæc verba repetebat, *quæ utilitas in sanguine meo?* Non quòd Divina Passio, adhuc magnam illis ipsis sponte suâ se perdentibus, non esset allatura utilitatem; cujus nimirum virtute sufficientissima, cuivis ad salutem media conferri debebant, sed quòd Passionis fructus ad media tantùm, non verò ad ejus finem extenderentur? quamvis merâ ipsorum culpâ, à quibus mediorum usus negligendus esset.

Psal 29. 10.

XI. Nec sit aliquis inter vos, qui hoc doloris excessu, tantùm extremo mortis tempore, cor Christi afflictum fuisse existimet; minimè verò, respondet ipse: *Dolor meus in conspectu meo semper.* Sol vix oritur, cùm statim radiis suis oppositos ferit montes, in quibus occubiturus est. Eodem modo Christus JESUS à primo conceptionis suæ instanti, non tam citò in materni uteri horizonte visus est, quin statim vivacissimis cognitionis suæ radiis oppositum Calvariæ montem aspexerit, ex quo terminato vitæ suæ cursu in quodam amaritudinis pelago submergendus erat. *Ingrediens Mundum, dicit: Ecce venio, ut faciam, DEUS, voluntatem tuam.* Christus Mundum ingrediens, ne quidem paucas sibi horas tribui, quibus felicitatem suam, à nostrâ ut ita dicam, divisam contemplaretur, ut tantùm Angelorum catervatim ad se adorandum descendentium gauderet obsequio, creaturarúmque omnium, ad quarum possessionem inductus erat, dominio lætaretur; sed illo ipso tempore de nobis cogitare voluit, ut ingresûs sui in Mundum dulcedinem, cum obitûs sui amaritudine misceret. Dúmque considerabat, se à Patre suo cœlesti, propter amorem nostrûm ad dolorosum illum mortis occasum vocari, has à primo ortu cogitationes suscepit, quas per totum, eúmque non brevem, dierum suorum cursum nunquam è mente sanctissimâ deposuit. *Ingrediens Mundum, dicit: Ecce venio, ut faciam, DEUS, voluntatem tuam.*

Psal. 37. 18.

Heb. 10. 5. & Ps. 39. 8. 9.

II.

XII. Ingens hic dolorum interiorum à Christo susceptorum torrens profectò ad verum aliquod diluvium efficiendum suffecisset. Attamen ut illud magis exundaret, etiam à mari augeri voluit, hoc est, ab inimicis capitalissimis, qui infrementis instar Oceani, præscriptósque rumpentis terminos, virginalem immaculatæ Humanitatis terram inundarent, & eluvione inaudita eandem submergerent. Conjiciamus parumper oculos nostros in tortores Christi, illorúmque, quibus ad affligendum & necandum illum usi sunt, inventiones intueamur, & negare, quod dico, porrò non poterimus. *Quare fremuerunt gentes?* inquit Psalmista; admiratur scilicet, quomodo tot in Christi vitam con- Ps. 2.

conjurare potuerint; erat enim quasi incredibile, vel unum etiam hominem contra illum insurgere potuisse. At ecce omnes hominum ordines, Sacerdotes, Laici, Plebei, Principes, Rustici, Exteri, omnes in ejus necem conspirant. Præ omnibus, ut de tam horridâ illâ & probrosâ, post rebellionem suam in cœlestis strage se vindicet Diabolus, omnium se cordibus ingerens, omnémque humanitatis sensum auferens, eos contra incarnatum DEI Verbum furoris sui ministros assumit. Ideóque Redemptoris nostri hostes
0.6. innumerabiles fuisse dicuntur, *multiplicati sunt super numerum*, totus enim
. 22. Infernus in eorum numerum venit,
3. *hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.* Hinc non est mirum, ipsos etiam homines, tot à Christo affectos beneficiis incredibili, in corde humano furore & crudelitate in eum sævîisse. Jure merito dicere possumus, non ampliùs homines, sed Dæmones fuisse, qualis absque ambiguitate Discipulus ille proditor denominatus est.
6.71. *Unus est vobis Diabolus est.* Et si homines erant, malignitate saltem, & sæviti â Diabolis non erant dispares. Quapropter quis cogitando assequi poterit, quàm horrendis Christum pœnis attriverint? Non vacat mihi omnes illas explicare; nec enim huc veni, ut sermonem de Passione facerem, quo omnes tam crudelis tragœdiæ actus recenserentur. Quare satis mihi erit, tres tantùm magis conspicuos considerare, Flagellationem ad columnam, factam spineo serto coronationem, & Crucifixionem. Paucis percipietis, videbitísque nihil humani in illis actibus s.perfuisse: omnes videbantur esse diabolici, tanta in illis exercendis barbaries se exercuit.

XIII. Instrumenta flagellationis (si antiquissimæ Christianorum in terrâ sanctâ traditioni fidem habemus) fuêre catenæ, virgulta spinosa, virgæ terribiles, funésque stellulis ferreis armati. Carnificum tam crudelibus utentium instrumentis triginta fuêre paria, qui vices inter se mutabant; robustáque brachia sua supra tenerrima Redemptoris membra defatigabant, quemadmodum Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis in quadam extasi de Passione revelatum fuit: ideóque cogitate, quàm crudeliter barbari illi tam delicatum corpus prosciderint & immaniter dilaniárint! ad quod instrumentis adeò horrendis dilacerandum etiam per unicam tantùm horam, ne quidem duobus lictorum illorum opus fuisset! Cùm verò tot vires suas impenderint, quis non agnoscit eos, non tantùm ad dilaniandum Christum, sed ut suæ furendi libidini satisfacerent, anhelâsse, immensúmque certatim illum discerpendi desiderium demonstrâsse.

Cornel. in c. 19. Jo. & in Matth. c. 17. v. 16.

XIV. Solum caput à furiosâ illâ verberum tempestate exemptum erat; sed pœnæ hactenus dilatæ paulò pòst multiplici acerbitate compensatæ fuerunt. Diabolus ex inferni abysso, ubi omnia hæc tormenta inventa sunt, hanc novam coronandi rationem attulit, dum militibus suggessit ex

ex acutis marinis juncis galeam potiùs, quàm sertum inflecterent, capitique impositum (quemadmodum ex Sanctæ Brigittæ Revelationibus habetur) ad medietatem usque impingerent. Tradunt plurimi, plusquam septuaginta spinas Salvatoris caput profundissimè penetrâsse, tanto cum dolore, ut nemo hominum satis concipere possit. Si enim unica solùm spina casu incauti Leonis pedi infixa cogit eum integram rugitibus implere sylvam; cogitate, qualem non una, sed tot spinæ, non pedi, sed tenerrimo Christi capiti impressæ acciverint dolorem! attamen, quod silentio prætereundum non est, tale tormentum non præcepit Judex, sed petulantia carnificum Christum ad illud subeundum coëgit. Quales igitur homines isti vobis videntur fuisse, qui cùm sententiam in miserum latam mitigare debuissent, eandem pro animi sui libidine pœnis crudelioribus exacerbare non sunt veriti. Saltem, ut æquitas ferebat, à Judice increpari, redargui, aut puniri debuissent. Sed hoc sperare non licuit; fortè ideò, ut clarissimè appareret, illud ipsum, quod inter limites suos non continetur, mare esse, dum nemo ejus eluvionem coërcere audet. Interea Christus gaudebat in tam sævo cruciatu, pro nobis languere, vidensque spinis illis superbiam nostram, nostram ambitionem, impurásque cogitationes nostras in capite suo puniri, eas, quæ acutiùs pungebant, magis amabat, & quo profundiùs ingressæ, plus quoque sanguinis eliciebant, gratiores accidebant; cùm horam, quâ omnem è Crucis trunco pro nobis sanguinem effundere debebat, nondum adesse sciret.

XV. Supplicium Crucis ab antiquis tam enorme æstimatum fuit, ut illud nunc supremum, nunc summum vocârint. *Summum & supremum supplicium.* L. 1. ff. 12. de Cruc. c. 1. Ita ut etiam pœnæ ignis prætulerint. Solùm unius horæ spatio aliquem brachiis è fune suspensum teneri, tam dolorosum est supplicium, ut ab hominibus etiam durissimis & ferissimis commissorum exprimat scelerum confessionem, licèt non ignorent, cùm hæc fassi fuerint, laqueo sibi vitam abrumpendam esse. Quid jam erit, non per unam horam toto corpore è rotatâ pendere machinâ, sed tribus integris horis ligno affixum esse, quemadmodum pro nobis vivus ex eo JESUS pependit? in manibus & pedibus omnes junguntur nervi, omnes venæ, omnésque arteriæ conveniunt, ideóque ibidem sensus est dolorosissimus. Tantò verò major erat dolor, quia clavi non solùm sanctissimam carnem penetrabant, sed etiam dilacerabant; membrorum quoque pondus continuò omnes tam capitis, quàm totius vulnerati corporis dolores, augebat, renovabat & exasperabat. Imò, quemadmodum vulnera & dilacerationes clavorum omnes erant in partibus extremis, & à corde remotissimæ, ita sensim vitam Christo auferentes, longam mortem solo deliquio adferebant. Plures fuerunt istius sententiæ, Christum non vi pœnarum ad occiden-

dendum illum sufficientium mortem oppetiîsse, sed propriâ voluntate obiîsse, mortémque ad se accedere non audentem vocâsse, nec non sanctissimam illius Animam è lacerato tot in partibus corpore, velut Regem, quandò illi placet, è Palatio suo egressum esse. Opinio nihilominus universalis & magis verisimilis est, quam sequitur Sanctus Thomas, Christum vi dolorum, & sanctissimi sanguinis sui effusione exspirâsse, ut verificetur à Judæis & Gentibus occisum fuisse, quemadmodum loquitur Scriptura. *Quem occiderunt suspendentes in ligno.* Imò in revelationibus Sanctæ Brigittæ, à Concilio Basileensi approbatis, pluribus in locis refertur, approximante mortis articulo cor Christi summâ dolorum vi disruptum esse, omniáque membra tremuisse non secus, ab si ac invicem disjungi & separari vellent. Antiqui Rabbini, qui nonnullam de futuri Messiæ doloribus habuere cognitionem, doloribus partûs illos comparârunt. Sed nimis benigna hæc est comparatio. Meliùs dicemus cum Jeremiâ, tam acerbos fuisse Christi dolores, ut neminem præter illum verè puniviſſe Divina justitia videatur. *Tantum in me vertit & convertit manum suam.* Solum in me brachii sui robur exercuit, victoris instar, cui non sufficit, hostis jam prostrati pectoriensem infixisse, si non ab omni parte transfixerit. *Tantum in me vertit & convertit manum suam.* Bella, strages, Provinciarum & Mundi ipsius desolationes pœnis Christi ex adverso opposita, non videntur aliud esse, quàm pugna ludicra cruento prælio comparata.

[Left margin: ...ul. ...a- ...3. 10. ...ho. 3. q. 47. 1. — A. 10. 39. — ...1. c. & ... vel. ...rav. ...51. 106. — ...ren. 3.]

III.

XVI. Et ecce ad ultimum caput, ob quod Redemptoris nostri Passio tam enormis apparet, devenimus, id est, ad Justitiam Divinam considerandam, quæ causa ejusdem fuit præcipua. Neque enim sola terra propriè tam copiosam Diluvii inundationem produxit, quæ aquas sinu suo inclusas evomere cœpit; neque mare præscriptos sibi terminos transgrediens id effecit, sed primaria illius causa fuit cœlum, quod apertis magnis suis cataractis omnem aquam à Mundi principio supra se collocatam depluit; totámque terram quaqua versum submersit, ita ut etiam montes ipsi in eâ abscon-derentur. Eodem modo Dolorum Christi abyssum pœnarúmque ejus diluvium, non tenerrima corporis ipsius constitutio, ardentissimæ Spiritûs Charitati conjuncta, nec carnificum crudelitas, Sathanæ instigationibus roborata, sed Justitia Patris primariò effecit. Equidem re ipsâ maximum afflictionum suarum torrentem ab illâ profectum esse agnovit ipsemet Salvator, dum verbis ex Psalmo desumptis dolenter Patrem alloquitur: *Super me confirmatus est furor tuus, & omnes fluctus tuos induxisti super me.* Pater mi, non levi manu, quemadmodum olim Jobum tetigisti, sed robore brachii tui contra me usus es tali cum impetu, ut ad derelictam humanitatem meam in pœnarum acerbissimarum diluvio submergendam, omnem aquam pro peccato suffocan-

[Right margin: S. Tho. 3. p. q. 47. ar. 3.]

focando à te affervatam, effuderis. *Omnes fluctus tuos induxisti super me.* Profectò tam rigorofa fuit hæc justitia, ut ad illam aliquo modo capiendam, audire neceffum fit, quomodo loquatur Apoftolus: *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Dicere vult, Patrem in Filio fuo omnia omnium hominum præteritorum, præfentium & futurorum peccata ita adunâffe, ut Chriftus non fub peccati habitu, fed quafi peccatum ipfum comparuerit, unde pœna de ipfo non quafi de peccatore, fed velut de peccato ipfo fumpta eft. *Pro nobis peccatum fecit.* Quamvis DEUS infinitè abominetur iniquitatem, nihilominus, in puniendâ illâ, multa erga iniquum utitur compaffione; dum enim culpam punit, culpabilem refpicit; ejúsque naturam eodem ipfo tempore amat, quo peccatum odit. Quare DEUS cum peccatore agit velut Chirurgus, qui, dum vulnerat, infectámque ægri partem adurit, nihilominus partibus fanis compatitur, eásque amat, ita ut quantum absque artis fuæ præjudicio licet, doloribus pafcat accien dis. Quod fi ita coram Tribunali Patris fui folùm fub figurâ peccatoris Chriftus comparuiffet, eodem tempore pœnam & compaffionem retuliffet; & fic vindicta ab ipfo fumpta multa benignitate temperata fuiffet. Verùm ille non tantùm fub peccatoris, fed ipfius peccati fchemate comparuit, ideóque absque ullo refpectu, absque ullâ remiffione & commiferatione, quafi ipfum peccatum effet, pœnas luere debuit. *Pro nobis peccatum fecit: omnes fluctus tuos induxisti super me: tantum in me vertit, & convertit manum suam.*

1. Cor. 1. 21.

XVII Jam quoque intelligetis, cur dolores Redemptoris noftri dolores Inferni dicti fuerint. *Dolores Inferni circumdederunt me, & vita mea Inferno appropinquavit.* Non quòd verè effent Inferni dolores, (animarum enim fegregatarum pœnæ fuperioris funt ordinis) fed quia nullis aliis, quàm Inferni pœnis fimiles erant. Quòd autem dicat, *vita mea Inferno appropinquavit*, non dicit, quòd intrârit, fed quòd circumdederint eum dolores ipfius: *Dolores Inferni circumdederunt me*, non verò afferit, fe ab illis apprehenfum fuiffe. Multis verò de caufis dolores Chrifti Inferni pœnis fimiles funt. Primò partes illis erant quoad intenfionem; quia non tantùm exteriora corporis affecerunt, fed intima quoque animæ penetrârunt. *Repleta est malis anima mea.* Dolorum fiquidem pelagus in eâ conclufit, eodem potentiæ miraculo, quo olim totum mare in utrem congregare promifit. *Congregans sicut in utre aquas maris.* Hæc intenfio meliùs poterit intelligi, fi perpendatur id, quod affirmat Sanctus Thomas, quantitatem nimirum dolorum Chrifto inflictorum, non tantùm quoad Divinæ Perfonæ dignitatem, fed etiam quoad pœnarum magnitudinem omnium hominum peccatis proportionatam fuiffe. Non enim folâ poteftate, fed purâ Juftitiâ fuâ DEO placuit, peccatum deftrue-

Pf. 17. Pf. 87. S. Tho. p. q. 4 ar. 6. a 5. Pfal. 8 Pfal. 31 70.

destruere; adeóque quandam æqualitatem etiam secundùm humanam naturam, inter debitum & satisfactionem esse voluit. Quapropter nonnulli existimant, tantum Christum passum fuisse, quantum omnium hominum peccata, in hac vitâ temporaliter puniri merebantur; támque graves illius fuisse pœnas, ut si purus fuisset homo, plenè pro omnibus satisfecisset peccatoribus in terrâ post culpæ remissionem, quantum ab illis Divina Justitia exegisset.

XVIII. Deinde Dolores Christi aliquam cum pœnis Inferni, quoad tormentorum puritatem, similitudinem habuêre. Olim in lege antiquâ præceperat DEUS, ne in Sacrificiis uterentur melle, non quod liquorum tam amabilem, & velut cœli partum abominaretur, sed quia antiqua sacrificia totidem erant figuræ sacrificii, in arâ Crucis offerendi, conveniens erat, ut sicut in vero illo nulla dulcedinis gutta admisceri debebat, sic in illis, quæ tantùm figuræ erant, etiam omitteretur. Unde Salvatori nostro, ne illud quidem, quod dolores intensi secum
hom. adferunt, solatium permissum est;
. q. ar.1. scilicet dum tantopere patienti vires
2. franguntur, ut paulatim vix ampliùs, aut minùs tormenta sentiat; Christo siquidem vires, usque ad finem in nativâ suâ virtute, quæ maxima fuit,
vel. conservatæ fuerunt. Imò ipsa DEI
rig. visio, quâ sanctissima ipsius Anima in
c.10. supremâ intellectûs parte fruebatur, partis inferioris dolores magis irritabat, utpote quam tædium & tristitia totam occupaverant, sicut fieri solet, dum pars Lunæ magis illuminata partem lucis indigentem magis obscurat. *Altissimo Divinitatis consilio factum est, ut tota Divinæ fruitionis gloria in eo militaret ad pœnam.* Subliminiter inquit Beatus Laurentius Justinianus. *De triumph. Christi Agon. c.1.*

XIX. Denique cum Passionis doloribus quædam cum Inferni pœnis, quoad illarum originem, intercessit similitudo; quodnam terribilissimum est malorum omnium, quo puniuntur damnati? Hoc nimirum, quòd cruciatus illius sint quodammodo ordinis Divini: propterea quòd in illis DEUS ut objectum constituat pœnam Damni; ut principium verò & causa constituat pœnam sensûs, majorem propriâ & naturali virtutem igni tribuendo. *Ego Dominus percutiens.* Hoc modo in Passione affirmat Pater æternus Filium suum à se percusum esse. *Propter scelus populi mei percussi eum.* *Is. 53. 8.* Quasi majorem flagellis, spinis & clavis vim imprefferit, quàm illa crudelitatis instrumenta à naturâ habuerint. Ipsemet quoque DEI Filius queritur se à Patre derelictum: *DEUS, DEUS meus, ad quid me dereliquisti?* *Ps. 21. 1.* Non quòd Divinitas in Passione ab Humanitate Christi separata fuerit, sed quòd Divinitas quoad minuendos dolores, adeò cum Humanitate se habuerit, quasi nullo modo ei unita foret. Quapropter quis inundationis hujus altitudinem metiri audebit, quam Pater æternus disruptis nubibus, supra dilectum Filium suum effudit? *Cataractæ cœli apertæ sunt: multiplicatæ sunt aquæ, & prævalue-* *Gen. 7.*

 runt

runt nimis, opertíque sunt montes excelsi. Tam grande est hoc diluvium, ut non nisi ipsemet DEI Filius in eo submersus, Paterque illum submergens plenè id comprehendant. Hinc ut profundissimam hanc malorum abyssum Christus nobis explicaret, ad tribunal Divinum se recepit, dixit-
Psal 68. 20. que. *Tu scis improperium meum, & confusionem meam & reverentiam meam.* Quasi diceret, tu solus Divinâ scientiâ tuâ Passionis meæ fundum attingere potes, qui me pejus quàm ullum, qui unquam in terris comparuit, malefactorem tractâsti; solis oculis tuis dolores mei, quos patior, manifesti sunt; omnis alia bolis ad maris hujus altitudinem explorandam, nimiùm brevis est.

XX. Hic nunc ergo aliquanto per mecum subsistite, Charissimi, mecúmque hunc in modum ratiocinamini. Quis fuit finis primarius, ob quem Christus tanto cum excessu, qui omnem humanum intellectum transcendat, passus est? An ut hominem salvaret? minimè. Sed ut DEO sa-
Rom. 3. 25. tisfaceret. *Quem proposuit DEUS propitiationem, per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem Justitiæ suæ,* inquit Apostolus. Mundi salus erat medium; finis autem, saltem perfectior, fuit gloria Justitiæ DEI. Non potuit illam Christus perferre rerum perturbationem, ut cùm DEUS injuriis affectus esset, nullus pro iis illi satisfaceret integrè; & cùm creaturis non esset ea summa, quâ ingens extingueretur debitum, voluit Redemptor noster illud per se tanto cum excessu exsolvere, quo immensa inde Patris sui gloria resultaret, ita ut etiam peccatorum omnium possibilium debitum expungi posset. Quare etiamsi omnes homines obstinatè damnationem suam præeligerent, non ideò Christi Passio suo careret fructu: primarius enim illius obtineretur finis, qui est de peccato tantum contristari & affligi, quantam ipsum peccatum afflictionem & dolorem exigit, tantúmque DEO pro injuriâ illatâ satisfactionem præbere, quantam DEUS offensus meretur. *Ad ostensionem Justitiæ suæ.* Atque hoc ipsum est, quod Christus pro inauditorum dolorum suorum compensatione principaliter à nobis desiderat, ut peccatum supra omnia mala detestemur. *Nolite flere super* Luc. 23. 28.
me, sed super vos ipsos flete. Inquiebat mulieribus lacrymantibus, séque ad Calvariæ montem comitantibus; non quòd tenera nostra erga dolores suos compassio ipsi non placeat, sed quia potiùs desiderat, ut propter peccata nostra, unicam dolorum suorum causam, lacrymas effundamus. Verbo, totus fructus, quem Salvator noster ex laboribus suis, pœnis, vitâ & morte colligere prætendit, est unicus ille, ut addiscant mortales peccatum agnoscere, illud detestari, omniáque ejus vestigia extirpare. *Iste est omnis fructus,* If. 27.
ut auferatur peccatum ejus. Hæc est præcipua lectio, quam nobis Divinus Magister noster prælegit. Mathematicus, postquam in arenâ demonstrationes suas descripsit, cathedram ascendit, easque explicat. Eodem modo postquam in terris turbas & disci-

discipulos suos docuisset, DEUM omnibus Mundi bonis præferendum esse, è conscensâ Crucis cathedrâ, potissimæ veritatis hujus demonstrationes, cuivis intellectui facilè penetrabiles esse declaravit. Poterat Salvator noster levissimo suo incommodo, plenissimè mederi vulneribus nostris, sed quia gravitatem mali sui non ita apprehendissent, medicinæ acerbitate morbi atrocitatem demonstrare nobis voluit. Omnino mente captus dici potest Christianus ille, qui ne quidem in hac ipsâ Calvariæ scholâ addiscit; quanti DEUM facere, & quantopere eidem servire teneatur, quantúmque malum sit, illum offendere. Quòd si DEUS propter unum aliquod peccatorum nostrorum, de novo mundum diluvio, quemadmodum Noëmi tempore fecit, submergeret, esset ne vestrûm aliquis tam stolidus, qui peccatum illud parvum aliquod malum existimaret? quomodo igitur dicere quis audet; quid mali est, hæc fragilitas? cùm manifestum sit ob eandem fragilitatem puniendam multò majus, non aquarum sed ineffabilium pœnarum diluvium à DEO decretum fuisse, Deique Filium mortem subire debuisse, cujus vita infinities valet plùs, quàm novi alicujus hominis, in quo omnes vitæ possibiles conjunctæ essent, vita valeret.

XXI. Grande Divinæ Justitiæ theatrum est Infernus, ut palàm fiat, quanto iniquitatem persequatur odio. At nihilominus hoc cum illo Calvariæ Theatro comparari non potest, in quo non contra peccatores, sed contra dilectum Filium suum, propter solam, quam gerit, peccatoris umbram desævîit. Quis unquam sibi persuasisset, postquam DEI Filius vultu in terram prostrato, genis pallidis, genibus flexis, corpore quin etiam toto sanguine manans, humillimis petierat precibus, ut amarus ille calix à se transiret, quis, inquam, credidisset, eum à Patre, pietate commoto, non exauditum iri, maximè verò cùm totam Divinæ voluntatis suæ dispositionem in manibus ejus reliquerit? *Voluntas Domini in manibus ejus* *dirigetur.* *Is. 53. 10.* Verùm quidem est, illam Christi petitionem non absolutam, sed conditionatam, illúmque, quem tunc Passionis suæ sentiebat, non rationis, sed sensûs fuisse horrorem. *S. Thom. 3. p. q. 13. ar. 6. & q. 21. ar. 4.* Nihilominus totum illud, quod à Christo proveniebat, tantâ æstimatione dignum erat, ut illa ipsa naturæ inclinatio, plùs quàm quævis alia quorumlibet Sanctorum expressa voluntas satisfactionem mereretur. Quapropter repeto, quis unquam existimâsset, à DEO, qui se humiles, derelictos & afflictos audire, prædicat, Filii sui, in abjectionis abysso, & inauditis submersi angustiis, preces exaudiendas non esse? Equidem sic est, exauditus non est, voluit suum Justitiæ relinqui rigorem, ut quantum verè debitum sit peccatum, mortales intelligerent, pro quo extinguendo nulla, ne quidem in illius gratiam, qui non ut primarius debitor pro se, sed tanquam fidei jussor pro aliis solvebat, in cœlo pietas & clementia se exhibebat. O peccatum, peccatum!

Et

Et adhuc mortales te non dignoſcunt? non fugiunt, non eliminant? Imò adhuc cum voluptate committere non verentur? *Poteſt aliquis guſtare, quod guſtatum affert mortem?* Eſtne poſſibile, ut homo re illâ delectetur, quæ DEO mortem accivit? Eſtne poſſibile, ut nihilominus temerario illi, & rebelli hoſti in corde ſuo locum præſtare velit, ad quem extirpandum DEUS vitam ſuam infinitè ſibi dilectam amittere voluit? *Dedi dilectam animam meam in manu inimicorum ejus.* Dilectiſſimi, aut mutanda vita eſt, aut mutanda fides. Nimis magna repugnantia eſt credere, DEUM, ſi ita loqui liceat, in Cruce, ut peccatum deſtrueret, ſe in nihilum redegiſſe; hominem tamen tantâ cum voluptate adhuc peccare, non aliter, quàm ſi mortem Chriſti vanam eſſe fabulam exiſtimaret.

Job. 6. 6. Jer. 7.



DISCURSUS XXII.

Ex Peccati Venialis malitia, extrema peccati mortalis malitia infertur.

NOn absque gravi causâ DEO placuit, ut in Mundi principio rebus ſua nomina ab Adamo imponerentur, quippe cùm à DEO ſupereminenti ſcientiâ præditus eſſet, quemadmodum optimè creaturarum omnium naturam novit, ſic etiam optimè cuivis ſuam appellationem, quæ eam exprimeret, tribuere potuit. *Quod vocavit Adam, ipſum eſt nomen ejus.* Nos econtra in ignorantiæ noſtræ tenebris, quia ſæpiùs præpoſterè res intuemur, ita quoque ſæpiùs præpoſtera ipſis Nomina imponimus, lucique tenebrarum, tenebris lucis nomen indimus. *Ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras.* Imò ignorantia noſtra non ſolùm ad proprium & proportionatum rebus nomen indendum inhabiles nos reddit, ſed etiam ad jam impoſitum bene intelligendum inepti ſumus. Judicate, an non verum loquar. Peccatum Veniale etiam à viris Sanctitate conſpicuis, Peccatum Veniale, peccatum parvum, & leve nominatum fuit. Sed quis eſt, qui veram vocis hujus ſignificationem intelligat? Licet hîc cum Davide exclamare: *Delicta quis intelligit?* Quare hodie veritatem vobis inexſpectatam probabo. Peccatum Veniale demonſtrabo non eſſe Veniale, peccatum parvum non eſſe parvum, peccatum leve non eſſe leve; non enim eſt leve, nec parvum nec veniale eo ſenſu, quo communiter à vobis accipitur. Ex hoc deinde peccati mortalis gravitatem inferam, pro conſuetudine meâ & pro majori, quàm unquam aliàs, deſiderio meo, ſummum contra infernale

Gen. 2. 19. Iſ. 5. 20.

nale hoc monſtrum hoc ultimo meo Diſcurſu odium vobis imprimendi, ut, quia omnimodam ejus deſtructionem obtinere non poſſum, ad generalem illius deteſtationem vos inducam.

II. Jovinianus, & plures alii famoſi hæretici, celeberrimi inter antiquos erroris inſtauratores ſuſtinere voluerunt; omnia peccata paria, eſſe mortalia. Sed falſitas eſt manifeſta. Non omnes morbi ſunt corpori lethales; atque adeò neque omnes animæ infirmitates mortem illi adferunt. Aliquando conſtitutionis noſtræ humores taliter inter ſe pugnant, ut vitam adimant; unde hanc reparandi jacturam naturæ vires non ampliùs ſuppetunt; aliquando humorum perturbatio non eſt tam nociva, ut natura omne ſuum damnum reparare non poſſit, priſtinæque ſanitati reſtitui. Idem prorſus contingit Animæ: quandoque adeò recti limites transgreditur, ut vitæ ſuæ principium, hoc eſt, charitatem erga DEUM, perdat; quare tunc eſt quaſi mortua, cùm jacturam illam ex ſe reparare non poſſit, ſed ad reſtituendam illam maxima DEI virtus neceſſaria ſit. Tali in ſtatu verſatur anima, quando graviter peccando ultimo fini ſuo terga vertit, ut caducum aliquod bonum nanciſcatur. Quandoque verò non eâ perverſitate Anima tali alicui adhæret bono; ut ab ultimo fine ſuo avertatur, adeóque à DEO gratiâ ſuâ privetur; quare cùm tunc ſalvum & integrum vitale ſuum retineat principium, quod eſt ipſamet illa gratia, ipſius virtute omne damnum, quod paſſa eſt, reparare poteſt. In tali ſtatu verſatur Anima, quando ſolùm venialiter peccavit; atque adeò infirmatur, ſed non eſt mortua. Attamen pro majori adhuc à me dicendorum intelligentiâ notandum eſt, aliquando ex ignorantiâ & inconſideratione venialiter peccari, aut fragilitate aliquâ, ut vocant, humanâ, quæ eſt quædam infirmitas à naturâ corrupta in animâ emergens. Subinde verò peccatur venialiter, ſed ex propoſito, & omnino deliberato animo, & (quemadmodum viri Sancti loquuntur) apertis oculis, quod eſt idem, quaſi ſpontaneâ animi & prævisâ perverſitate in morbum ſe ſe conjicere ideò, quòd infirmitas non ſit lethalis futura. Jam verò cùm hodie de peccatis Venialibus mihi ſermo ſit, oſtendámque, quantum ea ſint malum, proteſtor, me non niſi de ſecundis, quæ plenè voluntaria, quia prævisa & intenta ſunt, loqui cogitare. *Noli velle mentiri omne mendacium,* inquit Spiritus Sanctus in Eccleſiaſtico. Non dicit *noli mentiri omne mandacium,* ſed dicit, noli velle mentiri. Non dicit, ne loquaris mendacium, quàm parvum etiam illud ſit; ſed dicit, noli velle illud loqui, ut nos inſtrueret potiſſimum culparum venialium malum eſſe; non quando ex improviſo exſurgunt, quemadmodum quilibet humor nocivus non ſatis repreſſus facere ſolet; ſed quando plenâ cum voluntate admittuntur.

hom. q. tr. 2. Hie-. l. 3. Joh. dial. ontra ag. id rez. de disp. ct. 4. 2. ho. 1. . 72. s.

Eccl. 7. 14.

I.

I.

III. Primò igitur de talibus culpis affero, quantumvis peccata ſint levia, non ideò tamen leve eſſe malum, ſed omnino graviſſimum. Neſcio, inquit Sanctus Baſilius, quomodo leve poſſit dici peccatum illud, quod tamen aliquo modo eſt peccatum. *Quis eſt, qui peccatum ullum, cujuscunque modi illud ſit, leve audeat appellare?* Et in veritate aut peccatum veniale Animam reſpiciens, à qua committitur, aut DEUM reſpicens conſideramus; ſi quantum Animam reſpicit, intueamur, certam quandam illud in eâ eſſe maculam reperiemus, quæ quidem partium proportionem, id eſt, intrinſecam & habitualem in gratiâ ſanctificante fundatam pulchritudinem, non tollit, externum tamen illum ſplendorem aufert, qui ad pulchritudinem talem illuſtrandam conducit; atque adeò minimum actualem illum decorem mutat, virtutem minuit, ſplendorem deformat; & majorem illam, quâ coram DEO totáque cæleſti curiâ compareret, gratiam impedit. Si mente attentâ, quanta ſit animæ pulchritudo gratiâ præditæ, perpenderetis; quomodo, quæſo, qualemcunque ſplendoris diminutionem æſtimare levem poſſetis? Certè Regis alicujus filia vultu, luto, fuligine aut tetro alio colore aſperſo coram omnibus Aulicis ſuis non compareret; & Anima Sanguine ipſius DEI nobilitata, immortalem pulchritudinem ſuam, tam parvi faciet, ut voluntariam ejus diminutionem, aut ejusdem minimâ in parte obfuſcationem, quaſi nihil mali putet; dum minima corporalis ſpeciei macula, aut diminutio tantum creat horrorem, quæ tamen aliud non eſt, quàm flos campi manè vivens: ad veſperum flaceſcens?

In Regul. brev. inter. 4.

IV. Quòd ſi denique in ordine ad DEUM hæc transgreſſio quaſi levis conſideretur, quis illam unquam hoc dignam titulo æſtimabit? *Quis eſt, qui levem audeat appellare?* DEUS eſſentiâ ſuâ tam ſupereminens eſt, tam perfectus, támque omni æſtimatione noſtra ſuperior, ut ſumma, quæ in creaturas cadere poteſt felicitas, credi debeat; pleniſſimè juſſis illius ſatisfacere; contrà verò ſummum quoque malum æſtimari debeat, etiam vel in leviſſimâ re illi diſpicere. *Leve nunquam eſt, DEUM etiam in exiguo contemnere.* Inquit alio in loco Sanctus Baſilius. Nunquam parvum malum eſt irreverentia illa, quæ in Legislatorem committitur, etiam in re parvâ. Verum eſt, ab eo, qui venialiter tantùm peccat, dici non poſſe, Divinam Majeſtatem verè contemni; cùm ſaltem jam habitu ita comparatus ſit, ut bonum illud, à quo ad peccandum inducitur, abominari velit, quotiescunque ſimile bonum à DEO graviter prohibitum, ipſius ſecum inimicitiam attraheret. Quare qui tantùm venialiter peccat, DEUM quidem omni creaturæ præfert, nec contra (quemadmodum docet Sanctus Thomas) ſed præter legem operatur, potiúsque modum legis quàm finem ab illa intentum pervertit.

Baſil. Reg. Min. de ob

S. Th. 1. 2. q. 88. ar. 1. 1.

tit. Modum pervertit, quia legem illo cum rigore, quo deberet, non obſervat; finem verò non pervertit, quia cùm tam DEI, quàm proximi dilectio ſit finis leg s, in illo actu nihil admittit, quo talis dilectio præſcindatur; ſed ſolùm in causâ eſt, ut aliquantum diminuatur. Hoc totum quidem verum eſt, nihilominus venialiter peccans, ſemper bonum increatum æquo minoris facit: &, ſi non contemnit, certum tamen eſt, eum non tanti illud facere, quanti deberet; & ſi Soli illi Divino, cui omnia debet, terga non vertit, ſaltem viam; quam venerandi ipſius oſtendunt radii, non omnino ſequitur. Verbò, negari non poteſt peccatum veniale aliquo modo Divinæ opponi voluntati, id eſt, ſi non quoad finem, ſaltem quoad modum præcepti; negari non poteſt, gloriam, quam DEUS actualiter à ſuis creaturis requirit, diminui; neque etiam inficiari quis poteſt abſolutè loquendo, id DEO diſplicere, quare veriſſimè DEI malum, quodam ſenſu, appellari poteſt. Malum eſt, quod quodammodo eſt ordinis Divini, perfectæque Divinorum præceptorum adimpletioni opponitur; an igitur, repeto, leve malum nominari poterit? *Tu nullum peccatum puta leve, nullum negligendum.* Cave, dicebat Chriſtus Sanctæ Brigittæ, ne ullum defectum unquam levem æſtimes, ideóque corrigere negligas. Re ipſa quoque Chriſtus culpas minimas parvi non fecit; ſiquidem non tantùm pro omnium hominum mortalibus, ſed & peccatis venialibus extinguendis labores ſuos, Sanguinem, cruciatus, & mortem ipſam Divinæ obtulit Juſtitiæ: quis igitur ex hoc quoque capite leve illud debitum æſtimare poterit, quod infinito venarum ſuarum theſauro Divinâ Juſtitiâ ſolvendum eſſe judicavit? Adhæc theſaurus indulgentiarum non tantùm in mortalium, ſed etiam peccatorum venialium ſatisfactionem, inceſſanter à fidelibus applicatur. An igitur ad illa tam valida adhiberetur Medicina, ſi levem in nobis morbum efficerent?

V. At nihilominus dicetis, peccatum veniale vocari peccatum leve. Diſtinguo; ſi dicatis, *peccatum* leve vocari, concedo; ſed ſi dicatis, vocari *malum* leve, omnino nego. In genere peccati eſt quidem leve, quia illud committentem abſolutè non reddit ſceleratum; non enim ex ſe pœnam meretur æternam; cùm animam à fine ſuo non avertat, nec ex ſe hominem DEO inimicum conſtituat; ſed in genere mali eſt malum graviſſimum, malum, quo non eſt majus, quàm malum æternum, hoc eſt, peccatum mortale & Infernus. Peccatum mortale eſt majus malum peccato veniali, quia, abſolutè loquendo eſt malorum omnium poſſibilium maximum, Infernus eſt majus malum, quia cum illo DEI inimicitia conjuncta eſt, quæ nunquam ceſſat; cui gratia perpetuò ſubtracta eſt; quæ perpetuò à gloriâ ſeparata eſt, quæque Summo bono in æternum privatur. Malum eſt, quod ordinata charitas extremo rerum omnium abominabilium odio deteſtari

deberet. Cæterùm etiam aliquo sensu pejus ipsomet Inferno peccatum veniale dici posset; quia nullus casus dari posset, in quo unquam licitè admitti potest. Atque adeò videtis DEUM supposito peccato mortali, alicui posse velle Infernum; nullo modo autem velle posse, ut aliquis peccatum Veniale vel unicâ solâ vice admittat; unde apparet malum culpæ etiam levioris, certam quandam imperfectam malitiæ infinitatem continere; quæ in nullâ pœna, quæ merè pœna sit, & non pœna & culpa simul, invenitur, pœna enim mera quandoque sanâ mente eligi potest, culpæ verò electio nunquam est licita. Et fortè ad hunc sensum dicebat Sancta Theresia, necesse esse, ut quivis hanc veritatem intelligat, eámque pro infallibili teneat, unum solum peccatum Veniale majus esse toto Inferno. Quamvis quilibet aliunde gravissimè ad Infernum evitandum obligatus sit; utpote qui ultimo fine irreparabiliter nos privat; nec sub gravi obligatione ullum peccatum Veniale fugere teneatur, quasi tale, per quod à dicto fine impetrando non excludimur, nisi ad tempus, id est, tamdiu, donec in Purgatorio deletum fuerit.

Vid. Suarez de Pecc. disp 2. sect. 5. n. 18.

Vid. Sylv. Maur. de act. hum. ut q. 44. n. 25.

VI. Sed ut ad intentionem nostram redeamus. Quid judicatis nunc, Charissimi, de malo tali, quod malitiâ suâ, non nisi peccato mortali cedit & Inferno; imò in sensu quodam; si quoad pœnam sensûs saltem consideretur, ne quidem ipsi cedit Inferno? Vos, qui tanti facitis causam aliquam forensem perdidisse, facultates amisisse, charissimorum vestrorum aliquem morte vobis sublatum fuisse, quomodo leve illud malum existimare potestis, quod omnium creaturarum temporalium ruina majus est? Proponite oculis vestris terribilissimam illam stragem, à Divinâ Justitiâ in universali diluvio editam, quando ex omnibus hominibus octo soli in vitâ super terram remanserunt. Putatur his temporibus mille hominum milliones in Mundo contineri, ita ut cùm probabile videatur, nunc Mundum magis, quàm tunc hominibus refertum fuisse, similiter probabile sit mortuorum numerum mille millionibus longè superiorem fuisse. Fingite igitur, vos videre tantâ cadaverum multitudine terram opertam esse, oculósque circa tam enormem stragem attollentes intra vos dicite: O immensum exterminium! O desolationem inauditam! Attamen minus malum est, quàm mendacium non grave. Equidem si levi aliquo peccato veniali, tam vastum potuisset impediri excidium, nec licitum fuisset, neque honorificum illud avertere; neque etiam bonum illud, quod ex generis humani liberatione resultâsset, unius solius venialis culpæ malum propterea commissæ, unquam potuisset supprimere. Fingamus etiam Noëmum in Arcam suam adeò fortunatam omnes creaturas viventes recipere potuisse, si propter hanc receptionem vel levem inobedientiam, contra DEI voluntatem committere debuisset, minus malum fuisset omnes,

abs-

absque ullo remedio perire permisisse, quàm eos salvare & non obedire. Quòd si miseri illi omnes elevatis, versus Arcam manibus, flentibúsque oculis simul Noëmum rogâssent, ut miseriâ eorum commotus, in navim reciperet, liberâ & altâ voce eos repellere debuisset, clamaréque; manete foris, maximum est malum vestrum, equidem agnosco illud; non est tamen malum, quod DEUM concernit: est temporalis pœnæ malum, quod nec horrori DEO est, nec ignominiæ; ideóque nec cum minimæ culpæ malo comparari potest, quam propter vos admitterem: quare patientiam habete, & interite. *Longè melius est omnia corpora perire simul, quam lædi animam in re minimâ.* Totius Mundi visibilis ruina minus malum est, quàm culpæ etiam minimæ assensum præbere, quæ tam in Animæ damnum, quàm in Divinæ gloriæ diminutionem vergeret.

. Dorot. erm

VII. Hanc necesse est peccati Venialis habere ideam, benéque advertere, quando illud leve vocatur, non absolutè, sed comparativè intelligendum esse; nec tunc considerari, quid in se ipso sit; sed quid sit peccato mortali comparatum. Sic angustiæ vocantur maris sinus respectu totius maris; & terra punctum vocatur toti Universo comparata; licèt globus ejus tantæ sit vastitatis, ut viginti duo millia milliarium in suâ contineat circumferentiâ; & in quo tot Provinciæ, Principatus, Monarchiæ, tot campi, tot aquæ, tot montes, & sylvæ comprehenduntur. Verùm nos propter peccati originalis corruptionem infirmis illis similes facti sumus, qui apoplexiâ affecti, dimidiam amisêre vitam. Quoad latus sinistrum, ex quo mala temporalia aspiciuntur, ad ea timenda, sentienda & evitanda, toti & meri sensus sumus; sed ex latere dextro, quod mala animæ respicit, toti stupidi sumus, nec quidquam sentimus, nil suo pretio æstimamus. Unde intra nos dicimus: quid mali est tam parva iniquitas? Beata Catharina Genuensis, cùm quodam tempore radio quodam cœlesti illustraretur, ut cognosceret, quemadmodum ipsa loquitur, quantum etiam ipsa minimi actûs, contra DEI voluntatem committendi, umbra sit timenda, miratur, quòd ob hanc visionem, non quamprimùm horrore extincta fuerit. Profectò, pergit enarrare, si lux illa in unico instanti non disparuisset, existimo, licèt mihi adamantinum fuisset corpus, in minimâ illud frusta abiturum fuisse. Nec unica quidem in venis gutta mihi remansit, quæ non congelata fuerit, & ad tantam me deduxit debilitatem, ut me morituram putaverim. At DEUS me superstitem esse voluit, ut mirabilia hæc, quæ experta sum, aliis referre possem. Quapropter quid tandem erit peccatum Mortale, cùm sola peccati Venialis umbra tam sit terribilis? Audite quæso, quomodo à DEO illuminatæ Animæ loquantur, & quàm horrendum hoc vocent malum, quod vos leve dicitis.

In Vita.

II.

VIII. Leve non est Peccatum Veniale, si in se ipso perpendatur, adeóque nec parvum dici debet, si effectus ejus ponderentur. *Observa diligenter*, inquit DEUS, *ne incurras plagam lepræ*. Per hanc lepram à Doctoribus communiter Peccatum Veniale intelligitur, quod, sicut jam dixi, non quidem est mors animæ, sed quædam tamen illius contagio, ideóque extremâ cum diligentiâ illam evitare necesse est. *Observa diligenter.* Illud in morbis præsertim funestum habetur, quod ad mortem disponant, viámque parent, quemadmodum fossores & cunicularii furibundum exercitum præcedunt, à quo ultimum exterminium inferendum est. Ideoque magis perniciosus Peccati Venialis effectus ille est, quòd animam ad peccatum mortale disponat, à quo mors ei infertur, dum DEI gratia, quæ vita illius erat, per hoc ab eâ aufertur. Quod duobus modis à Sancto Thomâ indicatis contingit; indirectè & directè. Primò quidem Peccatum Veniale indirectè disponit animam ad peccatum portale, dum vallum illud aufert, quo torrens hic coërcebatur, aggeresque solo æquat. Magnum contra peccatum mortale se defendendi munimentum est virtus. Hæc licèt secundum habitum non nisi à peccato mortali omnino destruatur, nihilominus quoad actum suum etiam, à Peccato Veniali deperditur. Magnes duos habet hostes; prior est ignis; qui attrahendi virtutem penitus illi aufert; alter hostis est Adamas, qui suâ eum virtute verè non privat, ejus tamen usum tollit. Eodem modo Charitas duos habet inimicos, unum majorem, qui est peccatum mortale, quique instar diabolici ignis omne virtuosæ operationis principium illi aufert; alterum minorem, id est, Peccatum Veniale, quod quidem vigorem non adimit, sed illum impedit, diminuitque præsentiâ suâ fervorem, non quidem ut existere omnino non possit, sed ne porrò operetur. Haud aliter ac Adamas agit contra magnetem, qui in illius præsentiâ licèt virtutem, quâ ferrum attrahat, non perdat, attrahere nihilominus nequit, aut attractum ferrum dimittit, & sic actu suo privatur. Hæc tamen inter virtutem mortalem & naturalem est differentia in perniciem nostram, quòd naturalis (qualis est lapidum) si non operetur, nihil perdat, sed moralis (qualis est Justorum) si ab operando desistat, magnum damnum patiatur. Nihil enim est, quod quemvis bonum habitum magis enervet, quàm ejusdem usûs continuata remissio. Quare actus virtutis intermittere sensim idem est, ac habitum illius perdere.

Deut. 24. 8.

S. Thom. 2. q. 24. ar. 10. in c.

IX. Præter alia, quibus voluntas nostra à Divinorum mandatorum transgressione inhibetur, multum confert subjectio illa, quam hæc ipsa voluntas DEO quasi supremo Domino suo profitetur. Quodsi ergo in rebus parvis ab hac subjectione se subtra-

here

here assuefaciat, etiam paulatim in rebus majoribus minus horrebit DEO repugnare & contra illius præcepta recalcitrare. Quid causæ est, quòd Veneris & Mercurii Stellæ, nunquam sicut Luna, à terrâ Eclipsin patiantur? Ratio est illa, quia itinere suo parum à Sole recedunt, ita ut terræ inter hunc & illas se interponendi opportunitas non relinquatur. Et hæc ipsa causa est, cur Sanctæ Animæ timentes, vel parum etiam à Divino Sole distare, nunquam innocentiæ candorem amittant. Cùm econtra aliæ liberè instar Lunæ vagantes, & pro arbitrio suo ab increato Sole recedentes, terrenorum bonorum amori locum dent, ut se interponat, felicissimæque gratiæ luce illas privet. Satis explicari non potest quantum hæc libertas, quâ quidam aliàs Justi utuntur, detrimentum adferat, dum quosvis intuentur vultus, cum quovis sexu sermocinantur, ad quasvis facetias dant responsa, alter alterius manus levitate juvenili attrectat. Qui similes committit ineptias, statim respondet objurgatus; quid hoc mali est? idem dicunt spectantes; idem quin etiam sæpè afferunt Parentes, qui hæc vident vel audiunt. Quid mali est? Malum est, dequo judicari non potest, quousque tendat; libertas enim illa in parvis impedimentum removet, quo remoto ad majora procedatur. In principio, inquit Plutarchus, feras tantùm homines interficiebant; sed venationis paulatim pertæsi, animalia etiam domestica occiderunt. Idem evenit in casu nostro. In principio assuefit nonnemo liberiori oculo, quo innocentem, ut ipsi videtur, feras insequendo delectationem venetur, quæ nulli noceat: sed deinde ab innocuâ prædâ ad strages domesticas magis nocivas procedit; ita ut denique non tantùm iis, qui domi serviunt; sed nec illis, qui in eâdem domo nati sunt, honor & reverentia habeatur. Ite nunc & quærite, quid mali est? Est mali principium; quod sufficere debet ad timorem vobis incutiendum; levis enim error in principio, in progressu maximus efficitur. *Principium virtute majus est, quàm magnitudine.*

..de in-ust. nimal.

Arist. 1. de cœlo.

X. Quod adhuc meliùs intelligetis, si consideretis, Peccata Venialia magno numero multiplicata, Justitiæ Divinæ ansam præbere posse, copiosiorem gratiæ suæ opem retrahendi; quâ deinde anima destituta, non tantùm in gravia labitur peccata, sed iis adeò inhæret, ut nunquam ope seriæ pœnitentiæ resurgat. Et hæc est causa, cur Sanctus Augustinus dixerit; si ideò parvi facimus peccata venialia, quia parva sunt, horrere saltem deberemus, quia tam multa sunt. *Si contemnis quando appendis, expavesce, quando numeras.* DEUS inurbantitatis Animæ illius pertæsus, quæ non ab aliis, quàm iis, quibus penitus Divinâ privatur amicitiâ, vult abstinere, non ampliùs lætam ipsi incipit ostendere faciem; non tam faciles ipsi præbet ampliùs aures; non tam frequenter ampliùs visitat, verbo, non tam liberaliter suas exhibet gratias, ut pessi-

Tract. 1. in ep. Joan.

pessimæ ipsius avaritiæ, quam erga ipsum ostendit, par pari referat. *Propter iniquitatem avaritiæ ejus iratus sum, & percussi eum; abscondi à te faciem meam, & indignatus sum, & abiit vagus in viâ cordis sui.* (Is. 57. 17.) Magna profectò avaritiæ monstrositas est, quando Christianus tantis à DEO cumulatus beneficiis, deinde tam ingratus est, ut tantùm à gravioribus peccatis abstinere velit. Talis avaritia meretur, ut tam ingratam animam DEUS iratus puniat, & quamprimùm faciem suam ab eâ abscondat; id est, benignitatem suam & beneficentiam, majorémque ei auxiliorum copiam deneget, *abscondi à te faciem meam.* Et ut deinde eam prætcriens, aliquantum recedat, impedimentáque in viâ salutis obtinendæ objecta non removeat, *& indignatus sum*; unde denique sequitur, quòd anima uberiore DEI ope destituta, continuis tentata periculis, ipsâ difficultate vincatur, pérque latam voluptatum mundanarum viam, per quævis prata vagetur. *Et abiit vagus in viâ cordis sui.* In qua eam sæpè miserè perire permittit, ita ut eam non ampliùs in semitam rectam reducat. O horrendum terminum, ad quem à tam levi principio via sternitur! Tandem ad ultimum præcipitium devenitur. *Qui spernit modica, paulatim decidet,* (Eccl. 19.) hoc est, *decidet à pietate, decidet à statu gratiæ in statum perditionis.* Ut sacri sentiunt Interpretes.

XI. Ite nunc & parva dicite peccata illa, quæ tam horrendos possunt producere effectus! quantum profuisset Christiano illi, qui ad extrema deductus, diabolicæ consensit tentationi, quantum, inquam, illi profuisset, si speciali providentiâ, ne eum tentare possent, in illo articulo Dæmones retinuisset; aut ampliori quadam gratiâ eum confortâsset, ut illorum manus effugere potuisset? sed negligentiâ suâ miser tantum amorem non promeruit, adeóque in exitium delapsus est. *Qui negligit viam suam, mortificabitur.* (Prov. 19. 16.) Struthionem ajunt, dum spirat ventus à Venatoribus insequentibus nunquam capi posse; vento siquidem magnas illius alas explicatas implente adeò currens propellitur, ut navis remis velísque acta vix celeriùs provehatur; vento autem remittente, rarissimè effugere. Nos quoque in gravissimis tentationibus, præcipuè in articulo mortis exsurgentibus, infernales fugimus Venatores nos insequentes? felices erimus, si ita fugientes vehemens aliquis Spiritûs Sancti ventus afflet, propellátque; tali enim aurâ velificantes, nunquam impiorum, persecutorum nostrorum unguibus in prædam cedemus. Quid autem fiet de nobis, si ventus non aspiret, aut tam debilis & remissus spiret, ut auxilii ordinarii qualitatem non excedat? Et nos peccatorum venialium, quæ indies committimus, multitudine, adhuc speciali & superabundanti DEI ope indignos nos reddemus, & ne quidem ulla doloris signa ostendemus?

XII. Atque utinam saltem, donec tam immanis strages edatur, revera multis peccatis venialibus opus esset? Sed

Sed quod fidem ferè ſuperat; Unicum ſolum aliquando ſufficit ad ruinæ principium in miſerâ animâ inchoandum. Putant nonnulli Judam perverſionem ſuam ab eo incepiſſe, quòd abſque licentiâ quandam eleemoſynarum à Chriſto ſibi creditarum partem inter cognatos pauperes diſtribuerit, & quòd leviori hâc culpâ paulatim avaritiam ſuam foverit, auxerítque, ut tandem auri acquirendi rabie adactus proprium Magiſtrum ſuum prodiderit. *Itaque Judam in barathrum nequitiæ præcipitavit, neglecta minimorum cautio.*
ugo de Vict.
An nunquam audîſtis neglectam ſpinæ puncturam tam malignè degeneráſſe, ut priùs animi deliquium, denique mortem ipſam attulerit. Peccatum Veniale eſt febris quædam ephemera, à qua, non nego, humores non pervertuntur. At quis neſcit Ephemeram ſæpiùs in Hecticam immedicabilem degenerare? Scintilla eſt, ſed DEUS avertat, ne Dæmon illam inſufflare poſſit: non eſt ignis, qui inde accendi non queat. *Si ſufflaverit in ſcintillam, quaſi ignis exardebit.* Non poteſt ſatis explicari, nec concipi ingens illud malum, quod à ſolo Peccato Veniali plenâ cum deliberatione admiſſo provenire poteſt; à tam tenui enim principio ad æternam perditionem tranſitur. Leo quidem laqueis irretitus à parvo ſorice vincula ejus arrodente libertate donatus fuit. Concupiſcentia noſtra eſt plus quàm Leo. Non eſt malum, quod à faucibus ejus formidandum non ſit, niſi à Sancto DEO timore bene conſtricta & circumdata ſit. Attamen parva nonnunquam culpa ingenti huic feræ carcerem aperuit, revinctæque etiam compedes ſolvit.
mel. Feb.
cl. 18.
XIII. Hæc igitur prima via eſt, per quam anima ad peccatum mortale diſponitur, viâ ſcilicet indirectâ. Secunda eſt directa, id eſt, via facilis conſequentiæ. *Dum amantur vana,* inquit Sanctus Auguſtinus, *perpetrantur mala.* Nonnunquam tantus in res vanas ponitur affectus, ut homo, ne id, quod vanum eſt, deſerere cogatur, etiam id, quod peccaminoſum eſt, ſectetur, jámque idipſum pro fine ſibi conſtituat, quod priùs tanquam medium animo inordinato quærebat. Fœnum ſæpenumero à ſe ipſo, non ab alio igne, accenditur: ob nimiam enim vaporum multitudinem in tantâ congerie conſtrictorum, alter alterum fovet, donec flammam concipiant, fœnúmque cum ipſo fœnili in cineres redigant. Aſpicite Juvenem illum, qui ſolùm fallendi temporis gratiâ Juvenculæ ſibi dilectæ ædes frequentat; cum illâ de rebus mundanis loquitur, confabulatur, & cum quadam levitate eidem corridet. Progreſſu temporis actus hujuſmodi non graves, per integros deinceps menſes repetendo, talem erga illam concipit affectum, ut quaſi idolum veneretur: & quamvis hæc vivendi libertas in amante Filio ſummoperè Patri diſpliceat; ìſque deſerere eam jubeat, licèt illi interdicat deambulationes nocturnas, eúmque minis terreat, & acrioribus verbis objurget, licèt ſub gravi pœnâ à diſſolutorum juvenum

num ſocietate eundem jubeat eſſe procul, nihilominus in re tam juſtâ filius obſtinato animo obedire Patri detrectat, & in illius contemptum domum puellæ, cujus faſcino illigatus eſt, frequentare pergit. De nocte armatus plateas inambulat, contractámque cum diſcolis adoleſcentibus amicitiam mordicus tuetur; quin imò potiùs debitam negare mavult parentibus obedientiam, quàm conceptum erga dilectam ſibi puellam affectum abdicare. *Dum amantur vana, perpetrantur mala.* Plurimi hujusmodi actus inter duo ſimilia corda repetiti, quibus nonniſi venialiter ſimul peccant, dum alter alterum accendunt, tantam poſſunt excitare flammam, ut absque illâ quam priùs ſentiebant, difficultate, jam magnâ cum delectatione tandem ad graviter peccandum inducantur.

XIV. Hæc ipſa diſpoſitio adhuc facilior redditur, ubi Peccato Veniali communis eſt cum mortali materia, quemadmodum ſi proximo aliquid, ſed parum, furto tollatur, aut ſi leviter fama alterius lædatur. Tunc enim peccatum veniale differt à peccato mortali, ſicut magnum à parvo, id eſt, ſicut Leunculus lactens à Leone adulto, qui cùm careat unguibus & dentibus, paulatim tamen hi creſcent, & immanis fient lanienæ inſtrumenta. *Veniale*
S. Thom. 2. q. 68. ar. 6. ad 7. *differt à mortali, ſicut imperfectum à perfecto. ut puer à viro,* ut docet Sanctus Thomas. Quare ut ſapienter agamus, nullum peccatum quaſi parvum contemnamus; licèt enim in principio ſit parvum, progrediente tempore adhuc magnum fieri poteſt, & ſi jam naturâ ſuâ parvum ſit, maximum in effectibus ſuis fieri poteſt. *Quicunque totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus:* inquit Sanctus Jacobus. Quod etiam hoc ſenſu intelligi poteſt; prævidere nos non poſſe, quouſque peccatum veniale liberè in cor noſtrum admiſſum tandem nos deducat; ab illo enim in ſcelerum & damnationis abyſſum præcipitari poſſumus. Quare nullus hoſtis unquam contemni debet, cùm ille, cujus nulla fuit habita ratio, omnium aliorum terribiliſſimus fieri queat. *Sapiens timet, & declinat à malo.* Et quò ſapientior eſt, tantò magis timet; non aliter ac lepus, qui, quò magis annis crevit, eò profundiùs ſpecum ſuam excavat, cùm periculis compluries evitatis multò ſit factus cautior. Jacob. 2. 10. Prov. 14

III.

XV. Verùm ſi tam parvæ curæ eſt Chriſtianis, ne in graviora labantur peccata, quis mirabitur, eos à levioribus ad hos lapſus diſponentibus ſibi tam parum cavere? hominem deſperatum ad præcipitium properantem horror viæ ad idem deducentis non abſterret. Videamus igitur, an validioribus motivis, quàm huc uſque uſi fuimus, faciliùs præſentem veritatem vobis perſuadere queam. Dico igitur, Peccatum Veniale non tantùm ingens eſſe malum in eſſentiâ ſuâ, nec ſolùm ingens eſſe malum in effectibus ſuis, ſed etiam in pœnis ſuis eſſe malum grande, ita ut, licèt quidem

ſit

ſit veniale, id eſt remiſſibile, non tamen illo ſenſu tam facilè condonetur, quo communiter accipitur. Quod inde apparet, quia magnitudo debiti, nunquam meliùs cognoſcitur, quàm ex ſolutionis magnitudine: At nunc quis neſcit, culpam quamvis eſſe debitum, ejúsque ſolutionem eſſe pœnam? Quare ex hac ſatisfactione facilè, quanta ſit illius ſumma, deduci poteſt; quamobrem ſi reum aliquem ob delictum vobis incognitum à Judice ad excæcationem, ad Leonum Lanienam, aut ad repentinam mortem, ita ut nec ſibi ipſi opem præſtare, nec ab ullo alio implorare liceat, damnatum videretis, an tale delictum parvi faciendum diceretis? Et tamen ſimiles pœnæ, & quidem à Juſtitiâ Divinâ in venialem culpam latæ ſunt, de quâ dubitare nefas eſt; an in puniendo modum excedat, quæ ſemper pœnæ rigorem miſericordiæ melle ſolet aſpergere. Sanctus Oddo Abbas Cluniacenſis refert, Sanctum Gerardum comitem à DEO oculorum uſu privatum eſſe, quòd elegantioris vultûs puellam fixis nimium oculis aſpexerit. Sanctus quidam Propheta ob levem inobedientiam, ut à furibundi Leonis dentibus diſcerperetur, à DEO condemnatus fuit. Judæ Machabæo ob continuas victorias à DEI hoſtibus reportatas tam glorioſo, quòd ſucceſſu temporis nimiam in Exterorum auxiliis ſpem poſuerit, in medio triumphorum curſu vita ſubitò ablata fuit: ob alias ſimiles culpas quoque ſubitaneâ morte extincti fuerunt, Uxor

Vit. 1. c. 10. Reg. 3. 24.

Loth quidem, ob curioſum aſpectum in ſalis ſtatuam converſa eſt; Oza Levita coram arcâ extinctus concidit, tantum quòd manu, & actu minus religioſo eam attigerit; Ananias & Saphyra uterque mendacii Rei, coram Sancto Petro prolati, morte ſubitaneâ puniti ſunt; quod tamen mendacium, ut famoſi ſentiunt Interpretes, non niſi veniale fuit. Sed hoc parum eſt; quid dicturi eſtis, ſi vobis campum vaſtiſſimum cadaveribus oppletum, ſtragibus plenum, horrore ſqualentem monſtravero? An non ex ingenti hujuſmodi deſolatione peccati, quod lanienæ hujus cauſa eſt, gravitatem facilè erit colligere? Audite igitur: David Rex Joabo exercitûs Archiſtratego in mandatis dederat, ut totius in Regno ſuo Populi numerum iniret; & hoc ex quadam complacentiâ quam ſentiebat ex eo, quòd florentiſſimi Regni Dominus eſſet. Propter hanc gloriam, quæ coram hominum oculis non exigua laus, & boni regiminis ſpecies videri poſſet, DEUS præcepit Prophetæ Gaad, illi denuntiaret, aut ſeptem annorum famem, aut trium menſium bellum, aut trium dierum peſtem eligendam. Et quia tales inter anguſtias David ultimum Peſtis flagellum acceptavit, in quo quaſi minimam manus hominis ſibi vendicaret partem, vix intra triduum ſeptuaginta ſubditorum millia peſtiferâ lue abrepta ſunt. Chariſſimi, factum hoc momentis ſuis librate. Si Sicarius aliquis centum homines occidiſſet, illum pejus quàm Draconem extimeſceretis. Cur ergo tam

Vide Abul. in hunc locum.

Aug. con parmen l. 3. Hieron ad Demet.

2. Reg. 24.

Gaſpar. Sanctius in hunc locum.

 parvi

parvi facitis Peccatum Veniale, quod Regno integro luctum induxit? Quot matres ob tenerrimarum prolium ſuarum necem in lacrymas abiverunt? Quot filii parentibus, quot Sponſi conjugibus, quot uxores maritis orbatæ ſunt? Verum quidem eſt, etiam Populum aliorum ſcelerum reum, quæ, ùt notat Sanctus Gregorius, promeruerant, ut Davidis in hanc vanitatem lapſus à DEO permitteretur, ob quem tanta dein multitudo perire debebat; nihilominus ſola illa vanitas cauſa fuit immediata, ex qua tanta hominum ſtrages ſecuta eſt. Quid mali eſt, dicitis vos, fœminam majori ſtudio ſe comere, quàm quo ad ornandum Altare uteretur? *Circumornata ut ſimilitudo templi.* Quid mali eſt, quòd quodam faſtu inter Eccleſiam, aliorum venetur obtutus & laudes, & dum à Sacerdotibus hymni decantantur DEO, quibus & ipſa devotionem ſuam jungere deberet, aſpicientium ſe eliciat encomia? Denique totum hoc nihil aliud eſt, quàm parùm aliquid vanitatis. Eſto ſicut dicitis. An igitur vanam gloriam non magis timetis, quàm tigridem unguibus carentem, cùm tantæ Sanctitatis Propheta, qualis erat David, eam ut ſuprà dictum eſt, tam cruentam expertus ſit? Ponamus DEUM pari in vos ſeveritate non acturum, an verò non contremiſcitis, cùm non ignoretis, eam vos promereri? Hæc ambitio, iſta ſuperbia, illa ſine ullâ cauſâ in templo confabulatio, ille de proximi defectibus jam notis ſermo, hæc tua oſtentatio, ille aliorum contemptus, illa licèt levis alterius proſperitatis invidentia, quamvis nullius momenti malum tibi videatur, nihilominus malum eſt, quod jure merito tibi, toti familiæ, imò toti poſteritati mortem adferre poteſt. Quòd ſi DEUS hanc à te pœnam non ſumit, gratias illi age; toties enim ab eo vitam recipis, quoties ob culpas tuas eam perdere merebaris. Quid quòd non tantùm peccando venialiter, actibus præſertim deliberatis, vitâ privari, ſed millies crudeliſſimè excarnificari merebaris. Audite, quid Sanctæ Catharinæ Senenſi dixerit DEUS, uti illa in ſuis refert Dialogis: Scias, inquit filia, mea, omnibus pœnis, quas anima in hoc Mundo ſuſtinere poteſt, integram aliquam culpam condignè expiari non poſſe. *Dialog. 3.*

XVI. Sed quid adhuc juvat dubitare, cùm DEUS leve delictum longiore pœnâ in purgatorio dignum judicet? Ex Sanctorum virorum teſtimoniis notum eſt, minimam Purgatorii pœnam, omnibus hujus Mundi cruciatibus ſenſibiliorem eſſe, ita ut Sancta Brigitta eam in ſuis Revelationibus vocet incomprehenſibilem; cùm enim Animam ſeparatam afficiat, illius gravitatem in hac vitâ ſenſibus noſtris præpediti comprehendere non valemus. Profectò quicunque reum aliquem ſolùm per unam horam vivum in igne ſervare poſſet, tormentum inveniſſet, cui par nullus unquam Tyranorum excogitâſſet. Quid ergo erit vivum non unicâ tantùm horâ ſed multis annis in Purgatorii flammis

S. Th. 3 p. q. 4 ar. 6. a 3. & 1 ſup. q. 100. a 3.

L. 6. Revel. c.

mis

mis durare? Unicus solus annus octies mille septingentas sexaginta sex horas continet. Judicate ergo, quàm abominabile sit coram DEO peccatum illud veniale, quod tam diuturnâ à DEO pœnâ puniri potest, sæpiúsque punitur? *Uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit.* Ignis adeò terribilis clarissimè ostendit, an transgressiones nostræ tam leves sint, quemadmodum fidei nostræ debilitas nobis exhibet; præsertim ubi consideraverimus tantæ justitiæ severitate etiam in ipsósmet amicos suos DEUM animadvertere. Sanctus Gregorius Turonensis refert, Sanctum Martinum Beatæ Vitalianæ sepulchrum visitantem post longas preces à Sanctâ petiisse, quale esset gaudium, quo nunc ex visione beatificâ frueretur? Respondit Sancta Virgo: nihil mihi constat de gaudio, quæ adhuc in Purgatorio illam erga Sanctissimam Christi Passionem luere cogor irreverentiam, quando feriâ sextâ cincinnos capitis lavi. Sanctus Gregorius Magnus etiam recenset, Paschasium Diaconum, irreprehensibilis vitæ virum, solo vestium contactu, jam mortuum, malignos spiritus ab energumeni cujusdam corpore fugâsse; nihilominus quòd certi cujusdam Laurentii ad Pontificatum Romanum anhelantis ambitioni adhæsisset aliquantulùm, ad ferventissimas quasdam thermas, crudelissimam profectò Purgatorii speciem, à DEO relegatum fuisse. Sanctus Petrus Damianus Author est, Sanctum Severinum Archiepiscopum Coloniensem, quòd horas Canonicas absque debitâ temporum distinctione recitârit, ut pro agendis majoris momenti in aulâ negotiis liberior esset, cuidam Sacerdoti flammis circumdatum apparuisse adeò acribus, ut apprehensa illius ab eo manus usque ad ossa consumpta fuerit. Hæ sunt Divinæ Justitiæ demonstrationes, ut, quanta sit cujuscunque culpæ etiam venialis gravitas, apprehendamus. Et nos adhuc parvum illam vocabimus? *Pœna non debet excedere culpam.* Si ergo pœnæ sint tam acerbæ, quomodo illarum culpas audemus contemnere, imò etiam per jocum ridere? Si jocus esset, tam gravibus se onerare debitis, DEUS nunquam tam gravem solutionem exigeret. *De minimis non curat prætor.* Non decet supremum Gubernatorem in sententiâ de rebus minimis ferendâ occupari. Quare ubi suprema Majestas aliquid decernit, non ludicras, sed maximi momenti res esse tenendum est. Nimiæ olim severitatis arguebantur Consules Romani, quòd, postquam tantâ cum gloriâ bello Africano finem imposuisset Scipio, eum ad reddendam impensarum rationem vocaverint. At Sancti illi, de quibus locutus sum, triumphantium more, Mundo ipso, se suisque sensibus & inferno devictis ex hac vitâ discesserant. Quomodo igitur enormis non posset dici rigor parvulorum defectuum, durante hoc bello, commissorum, rationem exigere, si verè defectus illi parvi forent, & non potiùs magni momenti essent debita?

Margin notes: 1. Cor. 3. 13. — De glor. Confess. c. 1. — L. 4. Dial. c. 40. — L. 2. ep. 15. — C. formiter. ff. fin. de sum. trin. & fid. cath. — Plutar. in Scrip.

 XVII.

XVII. Denique auscultate, an unquam tanquam jocus Peccatum Veniale despici possit. Casus ille contingere potest, ut propter Peccatum Veniale anima æternas pœnas luere debeat. Siquidem Peccator Divinâ privatus gratiâ moriens, secúmque cum peccato mortali, quo illam amiserat, peccatum veniale in Orcum adferens, non solùm gravis illius transgressionis causâ, sed etiam propter hanc leviorem culpam non extinctam æternas in barathro illo pœnas dare debebit; quia sicut in Inferno non remittitur culpa, sic quoque nullus erit pœnæ remittendæ locus; quare utraque erit æterna; conveniens enim est, ut ille sibi semper in pœnis suis displiceat, qui peccatis suis, quæ commisit, semper DEO displicere non erubuit. *Peccata vestra absconderunt faciem ejus à vobis.* Ecce pœnam vestram in perpetuâ à summo Bono separatione ab Isaiâ descriptam. *Manus enim vestræ pollutæ sunt sanguine.* Ecce peccata vestra per manus pollutas significata. *Et digiti vestri iniquitate.* Ecce peccata venialia per digitos expressa. Hæc & illa, ut videtis, quemadmodum Oleaster commentatur, funestæ illius & nunquam finiendæ punitionis simul causæ adducuntur. *In Inferno nulla est redemptio*, hoc est, *nec redemptio à culpâ, nec redemptio à pœnâ.* Ad confirmandam hanc doctrinam à me allatam, præter plures illustres alios Doctores, Angelicus Seraphicus, id est, Sanctus Thomas & Bonaventura consentiunt, quorum sola sufficeret sententia, si non jam in Scholis esset communissima. Quare cùm talis culpa tantas in hac vitâ mereatur afflictiones, tantas semper in Purgatorio, imò etiam in ipso inferno subire cogatur, quomodo illam imposterum despicere poterimus, quasi ejus remissio esset tam facilis & absque ullis sumptibus impetrari queat? Illud Africæ promontorium, quod mitiori vocabulo *Caput bonæ spei* nominatur, quandoque tantas patitur tempestates, ut à nautis mutatio nomine, *Caput Leonis*, appellari soleat. Optarem nos quoque ita facere, ita ut malitiæ, quam in se omne peccatum veniale continet, profunditatem, nec non eam, quam in animâ excitas, tempestatem, scopulos & syrtes, támque luctuosa, ad quæ tandem deducere posset naufragia considerantes, nomen illi unanimiter mutemus, & saltem privatim in corde nostro peccatum non veniale, non parvum, non leve, sed grave in essentiâ suâ, magnum in effectibus, & in pœnis excedens mensuram vocitemus.

Syl. Maur. de act. hum. q. 40. n 13.

Is. 59. 2.

S. Th. 1. 2. q. 87. ar. 3. ad 3.

S. Bon in 4. dist. 4. ar. 2 q. 3.

IV.

XVIII. Veruntamen neque hic præcipuus est fructus, quem ex hodierno Discursu haurire debetis. Maximus fructus hic esse debet, ut exinde colligatis, quàm grave malum sit quodvis peccatum mortale. Artis est, ex plantâ pedis justam hominis staturam designare. Imò fama est, Phidiam sculptorem eximium non solùm ex pede, sed ex unque totam ingentis Leonis molem dimensum esse. Ita & nos facere deberemus. Ex minimo

nimo ungue, id eſt, ex minimo peccato, quadam proportione, quanta & quam vaſta ſit beſtiæ illius infernalis moles, hoc eſt, peccati mortalis, imaginari nobis deberemus. Ponamus enim Mundum adeò corruptum, qualis eſt modernus, ab æterno fuiſſe, in eóque infinitos ſemper homines ſupra terram vixiſſe; ab hoc igitur tempore infinita conſequenter commiſſa fuiſſent peccata venialia; attamen hoc ingens peccatorum mare unius ſolius culpæ mortalis profunditatem non æquaret. Ratio autem eſt illa, quia cum peccatis venialibus homo nihilominus manet in viâ, quæ ad finem ultimum conducit, licèt minùs debitè ad illum tendat; at peccato mortali inquinatus abſolutè ultimo fini terga vertit; quare infiniti venialiter peccantes unius mortaliter delinquentis malitiam non adæquant; quemadmodum infiniti in ſtadio pro bravio currentes, ſed claudicantes, hoc defectu ſuo uni ſoli non æquivalerent, qui contempto bravio, quantum poteſt, currendo ſtultiſſimè ad terminum oppoſitum converteretur. O quanta igitur eſt in peccato malitiæ abyſſus! Quis fundum illius attingere poterit? Si unum ſolum peccatum veniale tam grave malum eſt, quemadmodum hodie vidimus, quantum malum non peccatum mortale erit, quod infinitis peccatis venialibus, infinities gravius eſt & deformius?

XIX. Quapropter quidquid adhuc in peccati deteſtationem generaliter accepti adduci poteſt, finiamus pulcherrimis illis Eccleſiaſtici verbis, ad debitam erga hoc monſtrum immane abominationem magis imprimendam aptiſſimis. *Quaſi à facie Colubri fuge peccata: ſi acceſſeris ad illa, ſuſcipient te.* Eccl. 21. Non ſolùm, inquit DEUS? peccata, ſed etiam aſpectum illorum, tenuem ſpeciem, & ut ita dicam, ipſorum umbram fugienda eſſe; deliberandum non eſſe, liceátne tentationi conſentire, an non? quemadmodum nemo deliberandus hæret, an ſerpentem quem licèt à longè adrepentem videt, effugere debeat.

XX. *Quaſi à facie colubri fuge peccata.* Non ſolùm peccatum grave, ſed etiam id, quod leve videtur, fugitote: *Peccata.* Multi Philoſophi non poſitivam in corporibus levitatem, ſed tantùm majorem aut minorem aſſignant gravitatem. In genere mali moralis hanc opinionem veriſſimam eſſe vobis perſuadere. Nullum eſſe malum poſitivè leve, ſed omnia eſſe; aut minùs, aut magis gravia, prout omnino finem impediunt, aut ejus aſſecutionem difficilem reddunt. Non poſſe malum illud eſſe leve, quod integram DEI voluntatem nobis adimplere non permittit. Non poſſe leve eſſe illud malum, quod ad gratiæ tam actualis. quàm habitualis jacturam nos diſponit, ut gloriâ illâ in cœlis nobis præparatâ æternum privemur. Non poſſe malum illud eſſe leve, quòd pœnis in purgatorio ſubeundis omni apprehenſione noſtrâ ſævioribus nos ſubjicit. Si ſciret homo, quantos dolores ob minimam contra DEI voluntatem habitam delectationem ſubire deberet, ajebat Christus Beato Henrico Suſoni, mallet ſibi C. 2 3. *de rupibus.* ſæpiùs

ſæpiùs de die caput amputari, quàm unquam illâ gaudere.

XXI. *Fuge peccata.* Sed ſuper omnia, Chariſſimi, fugite peccatum mortale, quod propriè peccatum eſt, pluréſque ob cauſas tam luctuoſum meretur nomen. Deſidero enim vice ultimâ hac juſtam tanti mali æſtimationem in animis veſtris impreſſam relinquere. Quare primò conſiderate vaſtitatem ipſius eſſe omni menſurâ majorem. Peccatum enim mortale omne poſſibilis mali genus in ſe comprehendit. Alia mala ſunt mala particularia; Paupertas divitiis non aliâ re nos ſpoliat, infamia ſolum aufert honorem, morbus ſanitatem tantùm tollit, & ſic de cæteris: at peccatum eſt malum univerſale, quod omne malum in ſe comprehendit, omnéque bonum nobis aufert. Præterea malum quoddam eſt, quod nocet omnibus. DEO nocet (non quidem intrinſecè, quod impoſſibile eſt) ſed eo modo nocet, quo nocere poteſt, id eſt, extrinſecè quoad gloriam illi debitam, & obſequium, quod à Creaturis ſuis exigit. Nocet beatis cœli Incolis, quia concive illos privat, de quo per infinita ſæcula ſibi complacerent. Nocet animabus Sanctis in Purgatorio detentis, quas privat auxilio, quod ex bonis operibus hominis in DEI gratiâ viventis ſperare poſſent. Nocet Sanctæ Eccleſiæ Catholicæ, cujus putrida quædam reddit membra, ideóque ferro & igne digna efficit. Ipſi etiam nocet Inferno, cui novos tranſcribit reos, novóſque ad augendum incendium titiones injicit.

Vide Bellarm. de gemit. l. 12.

Verbo, Peccatum mortale ex impiis tot quaſi peſtiferos facit Dracones, à quibus regiones vicinæ inficiuntur, eámque contagioſo halitu ſuo edunt ſtragem, quam dentibus non inferrent.

XXII. Eodem modo menſurâ nullâ adæquatur mali hujus altitudo; intolerabili ſiquidem ſuperbiâ ſuâ ſe ſupra DEUM ipſum collocat. *Adverſatur & extollitur ſupra omne quod dicitur DEus.* *2. Theſſ. 2.* In DEO infinitæ ſunt perfectiones, infinitæque cauſæ, propter quas noſtrum meretur obſequium. Supra omnes autem has perfectiones propria voluntate ſuâ peccator ſe extollit, contráque omnes has rationes caput erigit; nec aliud vult, quàm quod ſibi placet; ita ut in actionibus ſuis, quoad malitiam tenebroſa quadam Omnipotentiæ malefactricis ſimilitudine, ſe ipſum primum principium & ultimum finem conſtituat. *Faciendo impunè, quod non liceret,* inquit Sanctus Auguſtinus, *tenebroſa Omnipotentiæ ſimilitudine.* *Lib. 2. Conf. c. 6.*

XXIII. Sed Væ temerario illi, qui Magno Factori ſuo contradicit. *Væ qui contradicit fictori ſuo!* *Iſ. 45. 9.* Peccator ſiquidem tam ſuperbus, qui ſupra cæli altitudinem ſe extollens, plùs eſſe vult quàm ipſe DEUS, in Errorum abyſſum demergetur. *Et tu Capharnaum* *Luc. 10. 15.* uſque *ad cœlum exaltata,* uſque *ad infernum demergêris.* Quare etiam omnem menſuram excedet ipſius profunditas. Peccatum enim ſumma eſt à Primo eſſe elongatio; unde non eſt poſſibile, profundiorem inveniri abyſſum, quàm illam, in quam quivis peccator culpâ ſuâ ſe præcipitat. Inter DEUM & ipſum infi-

infinitæ quoddam distantiæ Chaos interjacet, ideóque propter summam hanc separationem infelix majori afficitur dolore, quàm si in nihilum, ex quo ingratus divinâ Creatoris virtute extractus fuit, redigeretur. *Melius erat illi, si natus non fuisset homo ille.*

XXIV. Denique superat mensuram mali hujus, quod continet peccatum, longitudo. Ex suo enim genere malum est æternum; cùm nullis natura polleat viribus, quibus damnum illius reparare, támque ingenti vulneri mederi possit. Videte, an non veritati consentanea loquar, & in ipsum infernum, ubi gratia locum non habet, oculos vestros conjicite. Postquam tot annorum myriades effluxerint, quot in toto aëre atomorum sunt milliones, damnati cujuscunque culpa inter illas flammas adhuc vivit immortalis, adhuc tam vegeta est, ut antè, neque adhuc vel minimum destructionis illius apparet indicium. Augeat flammas quousque vult divina Justitia, depluat semper major, & major in maledictum illud caput pœnarum tempestas, exoneret Pharetram Sagittis, in cor illud emissis, nihilominus hoc caput non inflectitur; hoc cor non emollitur, hoc peccatum adhuc durat. Quàm maledicta est igitur hujus culpæ rubigo, quæ tantis non absumitur flammis? Quàm pestifera hæc est Contagio, quæ ne quidem tot sæculorum incendio purificatur!

XXV. Quodsi ergò nunquam in peccatum lapsi fueritis, Ecce abyssum, in quam cecidistis, abyssum, cujus longitudo, profunditas, altitudo & vastitas carent terminis. Vos quoque cum Salomone exclamare potestis? *Pene fui in omni malo.* Labendo in peccatum in quodvis malum incidi, in malum, quod est malorum omnium origo, in malum adeo universale, cui omnia bona creata & creabilia intra naturæ limites non possunt præponderare? *Fui in omni malo.* Quòd si Deus gratiâ suâ ex hac abysso vos extraxit, vellétisne denuo in eam vos præcipitare? Bene velim attendatis, Peccatum in principio esse suave, *si accesseris ad illa, suscipient te*, at in fine venenum illius agnoscetur. *Nónne cognoscent omnes, qui operantur iniquitatem?* Immensus quidam serpens supra terram distensus in sylva dormiebat, quem prætereiens infelix quidam Viator putabat arborem esse in terram dejectam, quare quietis capiendæ causâ ejus tergo insedit. Sed heu quietem omni labore pejorem! Serpens se premi sentiens, omnem ignem & furorem, qui somno in venis sopitus erat, excitat, infelicem viatorem longâ corporis sui mole implicat, tractúmque in cavernam suam, ac membratim discerptum devorat. Ecce peccati comitatem, ecce amores illius & amplexus, *suscipiet te*, sed ut in cavernam abducat, in qua in æternum tuo corde pascatur, ita, ut nunquam, quæ sola solatio tibi esse posset, mortem adferat. *Quamobrem, quasi à facie colubri fuge peccata, fuge, fuge.* In hoc omnis salus vestra posita est, ut peccatum etiam à longè conspectum fugiatis.

Prov. 5. 14.

Psal. 13. 4.

* * *

FINIS.

